BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8 17
13 — H
39

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

4.2.5.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

R. P. IOANNIS GRVŻEWSKI

VLTIMA & MAXIMA HOMINIS MVTATIO.

Digitized by Google

VLTIMA
ET MAXIMA HOMINIS MVTATIO.
Siue
DE MYSTICA CVM DEO VNIONE,
EAQVE ADMIRABILI,
ET DE DVPLICI DISPOSITIONE AD EANDEM, TRIBVS LIBRIS EXPLICANDA.

Liber Primus.
De prima, & remota diſpoſitione.

Pars Libri prior.
De honeſtate Morali acquiſita in communi, eiuſq; ſubiectis partibus duabus: Prudentiâ, & Temperantiâ.

Auctore
R. P. JOANNE GRUŻEWSKI, SOCIETATIS JESU
Sacræ Theologiæ Doctore.

VILNÆ,
Typis Academicis Societ: Iesu Imprimebat Ioãnes Kochan.
Anno poſt Natiuitatem Chriſti MDCXLI.

Coll. Rom. Soc. Jesu. Cat. inscript.

Digitized by Google

SALUATO-
RI
D E O.

DE honeſtate acturus, Tibi SALVATORI DEO auſpicium opellæ meæ offero, dicoque; vt qui genus humanum, inhoneſti labe fædatum, cruore tuo abluendum ſuſcepiſti, adeſſe velis, Auctori honeſti allaboranti. Audax, tantum præſumo: ſed non ignarus angariati Cyrenæi, à quo, & officium, & ſocietatem tui operis acceptaſti. Neq; alienam à tua D. laude putaſti paupercu- *Mat:27* *Luc:21.*

)3(lam

lam illam, quæ non aurum, quod non habuit) ſed æra minuta duo miſit, quæ
Ioan: 4. habuit. Non Maſsico aut Falerno, ſiti tuæ, à Samaritana, voluiſti olim prouiſum eſſe, frigidâ contentus; talis ei præſto tūc erat. Ita ſemper, non quo tu dignus es (illa, ſcilicet, vna majeſtas) ſed quo te, pro virili ſorte dignatur ſeruus, libēs accipis. Et nunc quidem baiulus, vt occurrat, non opus habes, neque enim te pondus iā grauat crucis. Æra duo, pro templo Salomonis non colligis, in tuo illa remuneras potiùs, mēſurâ bonâ, & confertâ, & coagitata & ſuper effluente. Eſt verò quod adhuc expectes à nobis. Nā illa ſitis, qua peregrinus in Samaria laborabas hora ſexta, ſedata fuit à Sicharitis: ſucceſsit alia etiam ſexta hora, quâ clamando (ſitio) occubuiſti. Nempe hæc eſt illa ſitis, quam ibi quoque vbi nunc es, laboras, ſine tamē labore: nec ſedabitur ea vnquam niſi ſalute electorū. Hāc

tibi

Digitized by Google

tibi ipſa mūdi, à te condita tribuit ma-
china. Eam ab eius ortu, vulgata clamāt
oracula. Non aliam de cœlo miſsi nun-
tiarūt legati. Eandē hominū primi præ-
dicarunt. ſed quod melius de illâ, quam
tuum ipſius teſtimonium? dixiſti, noſtræ
vitæ moriturus; dicis tuæ nunc, ſicut &
tunc viuens, ſitio. Ergo huic ſiti, alij im-
menſos, pro ſaluandis, offerunt crucis la-
bores: cæteri, recondita myſterijs edunt
volumina, aureis phalerata verbis. A me
tantillum, obedientiæ, non ſpernas obſe-
quiū: faxo, nō angariāte, ſed annuente il-
la. Minuta æra non reijcies; mitto quod
habeo: hoc quantūuis vile, cedat tibi in
refrigerium. Cedet; ſi munere tuo, vel
pauci fuerint reperti, quibꝰ ſaluti ſit, le-
giſſe à me oblata. Id vt conſequar, à te
ordior SALVATORE, ſupplexque
oro, ſic auſpicijs faue, vt non deſis fini, qui *Apoc:2. Exod:15*
ſolꝰ es α & ω, primꝰ, & nouiſsimus. Viue,
regna in æternū, & vltra.

FACVLTAS R. P. VISITATORIS SOCIETATIS IESV IN REGNO POLONIAE.

FABRITIUS BANFUS Viſitator Societatis IESU in Regno Poloniæ, Poteſtate ad hoc mihi facta ab Adm: R. P. N. MUTIO VITELLESCO Generali Præpoſito Societatis IESU, facultatem concedo, vt Primus Tomus de Vnione hominis cum DEO à R. P. IOANNE GRUŻEWSKI Societatis Noſtræ compoſitus, & grauium Virorum eiuſdem Societatis iudicio approbatus, typis mandetur. In cuius rei fidem has literas, manu Noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Vilnæ 1. Februarii Anni M DC XLI.

Fabritius Banfus.

INDEX

Digitized by Google

JNDEX

CAPITVM ET SECTIONVM.

CAPVT I. Quid ſit honeſtas moralis acquiſita? pagina 3.

SECTIO 1. Quid ſit pulchritudo animæ? pagina 5.

Sectio 2. Quotuplex ſit honeſtas? pagina 9.

CAPVT II. Quam ſit neceſſaria homini honeſtas moralis acquiſita, ſpectata illius natura? pa: 11.

Sectio 1. Neceſſitas honeſtatis in homine tanta, quanta vitæ? pagina 13.

Sectio 2. A quibus honeſtas in pretio habenda? p. 15

Sectio 3. Cur honeſtas negligitur à pleriſque p. 21.

CAPVT III. Neceſsitas honeſtatis moralis acquiſitæ oſtēditur ex vita hominis Socialis p. 23.

Sectio 1. Quæ virtutes in ſociali vita ſunt neceſſariæ? p. 25

Sectio 2. Honeſtatis inopia maxima parit damna communitatibus, peperitq́; toti generi humano pagina 27.

Sectio 3. Monachos ad communem cænobitarum vitam, honeſtatis reduxit neceſſitas, pagina 25.

CAPVT IV. Magnas moleſtias neceſſe eſt ſentire eum, virtute morali acquiſita, pag: 38.

Sectio 1 Quid ſit h[illegible] animæ? pagina 39.

S[illegible] 2 [illegible]

ctionem. pagina 41.

CAPVT V. Oſtenditur neceſsitas virtutis moralis acquiſitæ ex communi obligatione cuiuſuis creatæ rei tendentis in DEVM, pag: 45.

Sectio 1. Religio in DEVM maximè exercetur per verum Sacrificium Miſſæ, pagina 47.

Sectio 2. Sacrificium Miſſæ mirè prodeſt viuis & defunctis. pagina 48.

CAPVT VI. Quid ſit Prudentia? & quæ illam promoueant aut impediant? pagina 52.

Sectio 1. Rara in hominibus prudentia, pag: 45.

Sectio 2. Quod ſit munus, & quæ vis prudentiæ? p. 58.

Sectio 3. Quid turbat prudentiam, p. 64.

CAPVT VII. Quæ prudentia ſit cuique propria? & primó de ea, quæ eſt Eccleſiaſticorũ Prælatorum, pagina 69.

Sectio vnica, Quæ ſint partes boni Paſtoris? p. 70.

CAPVT VIII. Qua prudentia præditi eſſe debẽt, qui ciuiliter præſunt? pagina 82.

Sectio 1. Quas virtutes comites habet prudentia ciuiliter Gubernantium? pagina 83.

Sectio 2. In quos miſericordia exercenda? vbi primò agitur de miſerabilibus Perſonis fœminarum? p. 86.

Sectio 3. Seruis & ſubditis miſericordia exhibenda p. 90.

Sectio 4. Pupillis miſericordia oſtendenda, p. 94

Sectio 5. Eccleſia ſancta à Principibus defendenda p. 97.

Sectio 6. Quid debeant præſtare boni Principes in commodum eorum, quos regunt? pagina 99.

Sectio 7. Magnates in Pauperes debent eſſe miſericordes pagina 102.

Sectio 8. Quid ſeruandum eſt Principibus in largiendis elemo-

Digitized by Google

emoſynis? vbi de varijs excuſationibus eorum, p 104
Sectio 9. Quæ eleemoſyna DEO gratior, mendicisne an Dei ſeruis data. pagina 110.
Sectio 10 Iuſtitia commutatiua neceſſaria eſt. p. 110
Sectio 11. Iudicium rectum impedit ignorantia, in ijs, qui præſunt. pagina 116.
Sectio 12. Iudicium juſtum impediunt fauores p. 118.
Sectio 13. Munera corrumpunt judicia, pagina 120.
Sectio 14. Timor Potentiorum inuertit judicia, p. 123.
Sectio 15. Ira turbat judicia, p. 125.
Sectio 16 Principibus ſeruãda eſt juſtitia Diſtributiua p.128.
Sectio 17. Quæ impediunt juſtitiam Diſtributiuam? p. 135

CAPVT IX. Prudentia Oeconomica, p. 135.

Sectio 1. Oeconomiæ primum munus cura rei familiaris, p.135
Sectio 2. Augendæ rei familiaris duos Oeconom⁹ fines habere debet, quorum prior eſt, ſuſtentatio domeſticorum, p. 136.
Sectio 3. Secundum, quod in augenda re familiari attenditur, eſt miſericordia in pauperes, p. 139.
Sectio 4. Ad eleemoſynam debitè largiendam, tria conferunt pagina 142.
Sectio 5. Vtilitas eleemoſynæ triplex p. 147.
Sectio 6. Oeconomiæ pars altera eſt, gubernare familiã, p. 150.
Sectio 7. Quid debeant Dominis Oeconomis, famuli, & quacunque ratione eis ſubiecti? p. 182.
Sectio 8. Quid præſtare debent Domini ijs, quibus præſunt œconomicè p. 154.
Sectio 9 Coniuges mutuò in curanda re familiari, iuuare debent. pagina 156.
Sectio 10. Filij ac Filiæ quid debent Parentibus? p. 159.
Sectio 11. Tria debent præſtare Parentes proli, & primum eſt, benigna tractatio. pagina 164.
Sectio 12. Educatio Prolis, eſt ſecundum, quod Parentes illi debent; & in quo educatio ſita ſit? pagina 166.

Digitized by Google

Sectio 13. Exempla bona Parentum, quantum promouent rectam educationem? pagina 168.
Sectio 14. Quænam Doctrina inſtillanda ſit iuuenibus? p.171
Sectio 15. Societas IESV commendatur à Concilio Tridentino ob ſtudium inſtituendæ iuuentutis pag: 174.
Sectio 16. Filij filiæque formari debent à Parentibus, vt operentur manibus ſuis? pagina 180.

CAPVT X. De Prudentia ſingulari, & cuique propria, pagina 186.

Sectio 1. Nihil obeſt virtuti, ſi ſentiantur animi contrarij motus. pagina 188.
Sectio 2. Quæ ſit Clericorum prudentia? pag: 191.
Sectio 3. Perfectiores ſunt Epiſcopi Religioſis, p.194
Sectio 4. Quomodo Sacerdotes præemineant Religioſis? & quid de Diaconis & Subdiaconis cenſendum. p.197.
Sectio 5. Qua de cauſa Clerici debeant, eſſe eximiè perfecti. pagina 196.
Sectio 6. Quæ indicia ſint eximiæ in clericis perfectionis? pagina 201
Sectio 7. Quanta debeat eſſe perfectio Religioſorum p 207.
Sectio 8. Quæ ſint relinquenda Religioſis, inter quæ ſint poſſeſſiones? pagina 208
Sectio 9. Quæ vnicuique ad perfectionem conferant? p. 209
Sectio 10. Relinquenda eſt à Religioſis carnis voluptas. p. 213
Abnegandum Religioſis iudicium voluntasq́ propria, p.217
Sectio 11. Obedientiæ inſignis præſtantia. p. 218.
Sectio 12. Quæ ſit crux Religioſorum, pagina 224
Sectio 13. Qua prudentia præditi eſſe debent Cælibes? p. 224.
Sectio 14. Votum facit opera DEO gratiora. p. 225.
Sectio 15. Quæ prudentia eſt propria coniugum? p 227
Sectio 16. Quæ prudentia omnibus communis eſt? p231

CAPVT XI. Quid nomine Temperantiæ intelligendum ſit, & quantum illa homini præſtet? pagina 234.

Digitized by Google

Sectio 1. Tria in homine per virtutes morales ſunt rectificãda, pagina 221.
Sectio 2. An paſſiones ita virtutibus reprimi debeant, ut nihil contrarietatis reſtet ſentiendum? p. 239.
Sectio 3. Quid moderatur Temperantia? p. 240
Sectio 4. Temperantia ſemper in jucundum fertur, p. 248.
Sectio 5. Quantum boni è homini præſtat Temperantia, & quantum Intemperantia nocuit, p. 253.
Sectio 6. Amor omnium operationum eſt cauſa, p. 256
Sectio 7. Quo pacto Intemperantia præ cæteris peccatis Angelo & homini plus nocuit, pagina 258.

CAPUT XII. De variis virtutibus quæ ad Temperantiam referuntur, pagina 263.

Sectio 1. In verecundia ſunt tria, & quid horum virtus?
Sectio 2. Quid ſit, quidue efficiat continentia, & num rebellio ſenſus ſit peccatum? p. 267.
Sectio 3. De ſtudioſitate, modeſtia, & eutrapelia, p. 271.
Sectio 4. Ioci, ludi, inhoneſti, vitia Eutrapeliæ oppoſita, p. 273.
Sectio 5. Fugere honeſtam animi remiſſionem eſt vitium, pagina 274.
Sectio 6. Moderari cultum corporis ſpectat ad Temperantiã, pagina 276.

CAPUT XIII. Quid ſit, & quid conferat ad ſalutem Humilitas, ſeu modeſtia animi, pagina 289.

Sectio 1. Quot modis quiſq; ſe cum alio conferre poteſt, citra diſpendium humilitatis, p. 281.
Sectio 2. Humilitatem Chriſti excellens ſectandi ratio, p 286
Sectio 3. Humilitas duplici ratione confert ad ſalutem p. 294
Sectio 4. Humilitas alta quadam ratione participat de excellentia DEI. pagina 295.
Sectio 5. In duobus hominibus clarè oſtenditur quid poſſit apud DEUM humilitas? p. 301.

Digitized by Google

Sectio 6. Ratio practica humiliandi ſe, p. 303.
Sectio 7. Quo pacto ſuperbia omnium peccatorum ſit cauſa, humilitas è contra omnium operationum bonarum, p. 305.
Sectio 8. Humilitas voluntate Chriſti magni facienda, p. 308
Sectio 9. Quinam è nobilib' & potentibus non ſaluātur p. 310.

CAPVT XIV. Quid ſit, & quantum conducat ad ſalutem manſuetudo ac Tolerantia aduerſorum, pagina 313.

Sectio 1. Quæ mala ex intemperata ira, & nimia triſtitia conſequuntur? p. 314.
Sectio 2. Rixarum magna incommoda, p. 318.
Sectio 3. Cur tot mala immineant ferenda in hac vita hominibus, pagina 321.
Sectio 4. Mali etiam coguntur aduerſa pati, p 324.
Sectio 5. Permiſſio ſequentium peccatorum, in pœnam priorum, eſt juſta DEO, magnaq; vindicta, & quidem interna duplex. p. 325.
Sectio 6. Vno peccato admiſſo, non admittere deinceps plura, eſt magnum DEI beneficium, p. 328.
Sectio 7. Maxima omnium in hac vita tribulatio eſt, mala conſcientia, p. 330.
Sectio 8. Mali patiuntur quædam externa grauiter affligentia. p. 332.
Sectio 9. Manſuetudo & Tolerantia, duplex commodum affert bonis; primum eſt protegi, vel purgari à peccato. p. 333.
Sectio 10. Cauſa quæ in omnia impellit peccata eſt duplex 339.
Sectio 11. Alterum commodum manſuetudinis & patientiæ eſt, copia virtutum, p. 340.
Sectio 12. Ad perfectionem tria requiruntur, ad quæ apprimè confert patientia mitis, p. 345.
Sectio 13. Quinam in afflictione diuinis abundant ſolatijs p. 350.
Sectio 14. Nullus patitur ſine cauſa, modo is ſit, qui vel leuiter peccauerit aliquando, p. 352.

Secti. 15.

Sectio 15. Culmen perfectionis tolerantiæ, ac manſuetudini tribuendum eſt, p. 356

CAPVT XV. In quo ſit ſita Caſtitas, quã multiplex, & quæ illi oppoſita? pagina 378.

Sectio 1. Delectatio prohibita carnis, multis modis poteſt ſentiri & expleri, p. 374.
Sectio 2. In quo ſita ſit pudicitia, & qua ratione tuẽda? p. 383
Sectio 3. Ratio tuendæ caſtimoniæ, vbi de fine, & modo eius, p. 338.
Sectio 4. Parua nũc jam paſt tempora Chriſti, Matrimonij neceſſitas, p. 392.
Sectio 5. Quot modis vitiatur matrimonium? p. 396.
Sctio 6. Nuptine an innupti faciliùs conſequũtur caſtitatem? p. 398.
Sectio 7. Quam ſit præſtans caſtitas vidualis? p. 401
Sectio 8. Abſentia corporalium delectationum, diſponit ad vnionem cum DEO, p. 403.
Sectio 9. Quæ conſiderare debeant viduæ, ſi conſilium perfectionis, non nubendi ſecundo ſequi velint. p. 407.
Sectio 10. Singularia beneficia viduis à DEO cõcedũtur p. 409
Sectio 11. In quo ſita ſit virginalis caſtitas? p. 415.
Sectio 12. Quid in BEATISSIMA Virgine cultores virginitatis ſpectare debent? pagina 422.
Sectio 13. Quodnam ſit virginum in cœlo præmium, præ cæteris ſingulare? pagina 425.
Sectio 14. Qualis erit cantus vocis, & curſus pedum a virginibus in cœlo exhibendus? p. 426.
Sectio 15. Num plures ſunt in cœlo conſonantiæ muſicæ, quam ſint in hac vita? p. 429.
Sectio 16. Quis erit cantus, & curſus virginum in anima, p. 431.
Sectio 17. Hoſtis caſtitatis luxuria, quot & quales habeat filias? p. 437
Sectio 18. Fornicatio cur prohibita? p. 438
Sectio 19. Adulterium, & inceſtus, quam ſint exoſa DEO? p. 439.
Sectio 20. Raptus & ſtuprum, vt diſplicent DEO, p. 441.

Sect: 21

Sectio 21. *Sacrilega carnalitas deteſtanda DEO,* p. 444.
Sectio 22. *Quam abominanda vita carnis contra naturam?* p. 446,
CAPVT XVI. Quid Abſtinẽtia & Sobrietas cõferat ad honeſtatem morum, & ad ipſam ſalutem, vbi & de oppoſitis vtrique vitiis? p. 449.
Sectio 1. *In quo ſita ſit Abſtinentia?* pagina 450.
Sectio 2. *Hæretici perperam contemnunt Eccleſiæ ieiunia,* p. 452.
Sectio 3. *Conuiuia cur apud quoſdam ſuſpecta eſſe debent?* p. 457
Sectio 4. *Finis inter edendum habendus omnino honeſtus* p. 460.
Sectio 5. *Gula quantum animo corporique noxia?* pagina 462.
Sectio 6. *Quæ ſint remedia Gulæ ex quibus primum eſt oratio?* p. 463
Sectio 7. *Inter veſcendum vtilis eſt ſermo pius,* p. 466.
Sectio 8. *Quare ſuſcipitur jejunium Eccleſiaſticum* p. 467.
Sectio 9. *Quando licita eſt exemptio à ieiunando,* p. 468.
Sectio 10. *Quid ſit, & in quo ſita Sobrietas, ac quam præſtans?* p. 473
Sectio 11. *Quæ damna affert ebrietas?* p. 477.
Sectio 12. *Quid Gentiles, & SS. Patres de ebrietate ſentiant.* p. 482
Sectio 13. *An, & quænam excuſent ebrietatem & primò, an ſanitas corporis?* pagina 485.
Sectio 14. *Vtrum propter hoſpitalitatem licita ſit ebrietas?* pagi: 489.

Digitized by Google

LIBER PRIMVS.

De primâ, & remotâ diſpoſitione, ſiue De morali Honeſtate, quæ ad veram hominis cum DEO præparat Vnionem.

LIBRI I. PARS I.

De Honeſtate morali, & acquiſitâ in communi, eiuſque ſubiectis partibus duabus,

De Prudentiâ, & Temperantiâ.

QVid ſit vera hominis cum Deo Vnio, & in quo conſiſtat, libro tertio explicabitur latiùs: quò tamen meliùs intelligi poſſit, quemadmodum ad prædictam vnionem conferat diſpoſitio remota, de quâ agitur hoc libro; & proxima, de qua ſecundo.

PRÆNOTANDVM eſt, in hac vnione conſiſtere ſummã hominis felicitatem, ſiue ea ſpectetur, vt in hac vitâ haberi poteſt, & gratiam concernit, ſiue vt in futurâ, æternam confert gloriam. Quia verò ſumma hominis felicitas, ſummè perficit præſtantiſſimas eius facultates, intellectum, videlicet, & voluntatem, aliaſque inferiores, ſcilicet ſenſum & appetitum, prout docet S. Thomas 1. 2. quæſt. 3. art. 3. vbi ſic inquit: *Ex beatitudine animæ, fiet quædam refluentia in corpus, & ſenſus corporeos; vt in ſuis operationibus perficiantur.* Quia etiam ad vnionem duorum, ſolet vt plurimùm prærequiri

Digitized by Google

quiri aliqua diſpoſitio; quod in Phyſicis manifeſtum eſt: qualitates enim primæ & ſecundæ aptant materiam ad recipiendam formam: in moralibus quoque quid ſimile cernitur. Nam S. Lucas Act: 4. cùm dixiſſet: *Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna;* mox ſubnexuit: *Nec quiſquam eorum quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia,* quo ſignificare voluit; vnionem illam cordium, & animarum tantam, vt è diuerſis cordibus, eſſet vnum, & ex tot animabus videretur eſſe vna; fieri nequaquam potuiſſe, niſi præceſſiſſet facultatum & poſſeſſionum abdicatio, & propria in cōmune conferrentur, *vbi enim eſt MEVM ac TVVM frigidum illud* (teſte S. Chryſoſtomo in orat: de S. Philogonio) *verbum, ibi diſſenſiones, & innumera gignuntur bella.* Quapropter rectè S. Euangeliſta præmittit communionem bonorum tanquam diſpoſitionem ad Vnionem mentium.

Cùm ergo, vt dixi, vnio diuerſorum ſemper aliquâ præuiâ diſpoſitione opus habeat, etiam hæc vnio hominis cum Deo, in qua ſumma eſt felicitas, requirit eandem, vt quiſque non prius Deo vniri poſſit, ſiue per gratiā, ſiue per gloriam, quàm ſint debitè perfectæ potentiæ eius, quà ſuperiores, quà inferiores, ornentque hominem ſtudioſis illarum operationibus. Hoc libro ab eâ operatione initium ſumitur, quæ tam ſuperiores quàm inferiores hominis perficit facultates, ſcilicet, intellectum, voluntatem, & appetitum ſenſitiuum, ſtudio & labore proprio exercentem ſeſe in virtutibus, quas Theologi vocant acquiſitas, diſtinguendo illas ab ijs quæ à Deo homini infunduntur, de quibus erit ſermo lib: 2. Neque tamen de his eâ ſubtilitate agetur, quà Theologi ſolent, cùm inquirunt, num in appetitu ſenſitiuo Virtus eſſe queat? num, & quomodo idem appetitus obediat rationi, deſpoticè, an politicè? & ſimilia quæ magis ſpeculationem veritatis, quàm Virtutis actionem intendunt. Scholæ hæc relinquendo, ea potiſſimum toto iſto dicentur opere, quæ ad exercitationem conferant honeſtatis; non prætermiſsâ, vbi erit opus, breui & op-

Digitized by Google

& opportunâ declaratione veritatis. De ipsâ etiam hac exercitatione, non afferentur illa, quæ ſpiritualium rerum peritiſſimi tractare ſolent ex abditâ Theologiâ myſticâ, viam pręmonſtrantes ad ſummam perfectionis Chriſtianæ: hæc enim ab ijs duntaxat percipiuntur, qui ſolidæ Virtutis iactis fundamentis, ad ſupremum ædificij cœleſtis culmen nituntur conſcendere. Illa ergo hìc dicētur quæ cuiuis ſtudioſo honeſtatis ſeruire poſſint, & quæ intelligentiam præbeant veræ, integræ, ſolidæque Virtutis. Et hac quidem parte priore huius libri, ſolùm de honeſtate in communi, eiuſque duabus ſpeciebus, nempe de Prudentiâ, & Temperantiâ agetur; quâ autem ratione titulus mutationis vltimæ, & maximæ, toti huic operi accommodetur, tertio libro explicabitur.

CAPVT I.

Quid ſit honeſtas moralis acquiſita?

IN hoc titulo ſingulæ voces ſunt explicandæ. Quid ſit Honeſtas? Quid moralis? & cur acquiſita dicatur? Atque vt prius intelligatur, ſciri debet, duplicem à Philoſophis aſſignari vitam, eſſentialem ſeu formalem vnam, alteram actualem; prior eſt anima in corpore viuentis, poſterior operatio eius congrua naturæ ſeu eſſentiæ cuiuſque; ita herbæ, arboreſque formalem retinent vitam, ſi non exareſcunt; porro actu viuunt, cùm nutriuntur, augentur, generantur: ita animalia eſſentialem retinent vitam, antequàm moriantur; actualem verò cùm vident, audiunt, cæteriſque vtuntur ſenſibus, & quæ ſibi vt conformia apprehendunt, eadem appetunt. 1.

2. Pari ratione homo, vtrâque hac & inſuper multo excellentiore præditus eſt vitâ: habet formalem, quàm diu rationalis atque immortalis eius anima (qua ad imaginem ſui Conditoris creatus eſt) corpus viuificat, intimâ & formali ſuâ

Digitized by Google

præſentiâ: actuali quoque fruitur vitâ, quoties ita operatur, vt ipſius præſtantiſſimas decet facultates, quod tunc fit, cùm ratio percipit veritatem depulſis ignorantiæ tenebris, & vitatâ omni falſitate: appetitus etiam rationalis, ſeu voluntas bono inhæret, cui, & quantùm, vera ratio inhærendum cenſet. Et id quidem interdum fit ſpeculatiuè, interdum practicè; ſpeculatiuè cùm cognoſcitur bonum vt eo fruamur; practicè verò, cùm ideo cognoſcitur, vt bona fiat operationum ad finem directarum electio. Bonum quo frui poſſumus; eſt illud omne, quod recta ratio iudicat eſſe hominis finem, vel vltimum omnino, qualis eſt prima Veritas, & ſumma Bonitas Deus, vt dicetur lib: 2.; vel non vltimum, ſed talem, qui ad vltimum illum referri poſſit, ac debeat, tales ſunt cæteri hominis fines, præter vltimum iam dictum. Quod verò ad electionem bonam attinet; hæc in ijs verſatur bonis, quæ tanquam media conferunt ad conſequendos præfatos fines.

3. Porro vtraque hæc bona, ſiue quibus fruimur, ſiue quæ eligimus, honeſti cenſentur nomine, ex eo duntaxat, quòd recta, veraque ratio iudicet illa eſſe iam hominis finem, iam media ad eundem; quæ qui amplectitur, ita agit, vt ob id honore cenſeatur dignus, quippe qui excellentiſſimis iuxta, & cõgruentiſſimis, naturæ ſuæ ſpiritualis potentijs viribusq; morẽ gerit. Atque ita idem eſt, in propoſito honeſtas, & virtus, niſi quòd honeſtas ad excellentiam honoremque referatur, virtus ad vires & facultates animæ. Quod S. Thomas ita oſtendit 2. 2. quæſt. 14. art. 1: *Honeſtas*, inquit, *dicitur quaſi honoris ſtatus; vnde ex hoc dici aliquid videtur honeſtum, quod eſt honore dignum; honor autem excellentiæ debetur, excellentia autem hominis maximè conſideratur ſecundùm virtutem, quæ eſt diſpoſitio perfecti. & ideò honeſtum propriè loquendo in idem refertur cum virtute.* ita S. Thomas.

Digitized by Google

Sectio Prima.

Quid ſit pulchritudo animæ?

ALij eandem honeſtatem vocant pulchritudinē animæ, 4.
eò quòd per illam debitâ & congruâ ſibi, ac proportionatâ ornetur ratione, quemadmodum & corpus per colorem & figuram, apto modo in membris diſpoſitam, redditur pulchrum.

Explicatur id egregiè à S. Auguſtino varijs in locis, & in primis lib: 83 quæſtionum q. 30. ſic ſcribit: *Honeſtatem voco intelligibilem pulchritudinem, ſecundùm quam ſpiritualem propriè dicimus.* In Pſalmo verò 44. fuſiùs idem dilucidat: I*n anima,* inquit, *eſt vera pulchritudo, eſt enim conſtans nec marceſcit. Compoſitio membrorum ſpiritualium eſt iuſtitia, ſeu virtutum connexio, color eſt ſapientiæ lux, & ſplendor, hac enim luce comparatâ inuenitur prior.* Proponit hanc pulchritudinem idem S. Pater in eo inuentam, qui *ſpecioſus formâ præ Filijs hominum* à Spiritu Sancto nuncupatur. Præmiſsâ igitur tituli explicatione pſalmi illius 44. qui eſt Filijs Chore, pro ijs qui cōmutabuntur, id eſt, Filijs Calui in Caluariâ occiſi, pro ijs qui renaſcētur, & fient pulchri, ſubiungit deinde: *Vidimus eum, etiā tum, cùm non erat illi aſpectus; ſi conſideremus miſericordiā qua factus eſt, etiā ibi pulcher eſt: mihi autem abſit gloriari, dixit vnus amicorum Sponſi, niſi in cruce Domini noſtri IESV CHRISTI. Parum eſt vt inde non erubeſcas, niſi etiam & glorieris; quare ergo non habet ſpeciem? Quia IESVS CHRISTVS crucifixus, Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitia, nobis iam credentibus pulcher natus Infans: Quia cùm ſugeret, cùm manibus portaretur, Cœli locuti ſunt, Angeli laudes dixerunt, Magos ſtella direxit, &c.* Et poſt multa concludit idem S. Aug: *Audite canticum, ſumma & vera pulchritudo eſt Iuſtitia, ibi illum non videbis pulchrum, vbi deprehendis iniuſtum.* Sunt in eodem Pſalmo non pauca quæ inter-

 terpre-

Digitized by Google

terpretes ſacræ Scripturæ ad hanc mentis pulchritudinem adducunt explicandam, vt tum in Chriſto illam commendent, tum ad eiuſdem amorem atque imitationem nos excitent. De Chriſto illud dictum aiunt; *Specie tuâ & pulchritudine tuâ intende, proſperè, procede & regna*, reges enim ſplendor & te maieſtas decet. Atque vt percipi poſſit vnde nam ille ſit ſplendor cum gratiſſimâ & ſuauiſſimâ iucunditate, ſubdit Pſalmiſta: *Propter veritatem, & manſuetudinem & iuſtitiam & deducet te mirabiliter dextera tua.* Eaſdem virtutes ſymbolis tectas iucundè repetit: *Myrrha & gutta & caſia à veſtimentis tuis, à domibus eburneis.* Per myrrham amara ſignificatur tolerantia aduerſorũ, per guttam, ſeu aloë, demiſſio animi etiã amara, humilis item atq; deiecta, id enim ſonat vox hebræa אהלות *ahaloth* nigrũ, terreſtre, abiectũ: Per caſiam ſignificatur promptitudo, & candor animi Deo deuoti, quem maximè charitas præſtat. Grata hæc velut odorum iucundiſſimorum ſuauitas, defluit ex veſtimentis Chriſti, & replet domos eburneas. Per veſtimenta, & domos intelligunt authores Humanitatem Domini noſtri, quâ tegitur Diuinitas eius, & in quâ eadem velut in domo inhabitat, quæ demum iucundiſſimâ pretioſiſſimarum virtutum diffluit ſuauitate. Ita Spiritus Sanctus commendatâ Chriſti Sponſi ac Regis pulchritudine, ad animas illius amatrices ſe vertit: *Ex quibus*, inquit, *delectauerunt te Filiæ Regum in honore tuo.* Jiſdem quippe virtutum odoribus, imbutæ animæ ſanctæ delectant ſuum ſponſum, & Regem Chriſtum, neque eſt quod hanc delectationem impediat, cùm iugiter ſe conſpiciant mutuò, quod inſinuatur ſequentibus verbis: *Aſtitit Regina à dextris tuis, in veſtitu deaurato, circumdata varietate.*

5. Poſtremò vt hic mutuus aſpectus, & gratiſſima ac honeſtiſſima voluptas nullo vnquam interrumpatur tempore, aut tollatur, diminuaturue; quin potiùs ſemper creſcat magis ac magis, excitat Spiritus Sanctus in Filiabus regum, id eſt in animabus ad excelſa ſeſe erigentibus, ſtudium indefeſſum illius

Digitized by Google

lius pulchritudinis ſpiritualis curandæ amantiſſimo, & (vt ſic dicatur) zelotypo epiphonemate; *Audi*, inquit, *Filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuum, & domum Patris tui.* Populus hic, & domus Patris eſt, procul omni dubio illa veteris Adam, qui & ſe, & poſteros ſuos virtutum ſpoliauit honeſtate: quid deinde hanc obliuionem conſequi neceſſe ſit, proxima inſinuant verba: *Et concupiſcet Rex decorem tuum; quoniam ipſe eſt Dominus Deus tuus, & adorabunt eum.* Neque hic decor alius eſſe poteſt, quàm interna pulchritudo animæ, *omnis ſiquidem gloria eius Filiæ Regis ab intus:* Ita Doctores, Patreſque Sancti Honeſtatem, Virtutem, & Pulchritudinem, quæ Diuinos etiam iucundiſſimè perſtringit oculos, pro eodem ſumunt.

Ex dictis hactenus facilè intelligitur primæ ex tribus illis dictionibus notio vocis in titulo poſitæ, nempe, *Quid ſit Honeſtas &c.?* Nihil enim aliud eſt, quàm operatio vitæ humanæ, ac ſpirituali congrua, per excellentiſſimas exercita facultates, per intellectum videlicet, & voluntatem (appetitum quoque illis vt ſeruum adiungo) debitè ordinatas, quam operationem quoties peragit, viuit ita, vt poteſt ſpiritus corpori immixtus. Quod ſi generaliùs de honeſtate agamus, reperiemus eam Deo quoque ſpiritui puro, & Angelis conuenire. Nam Deus & Angeli honeſtè agunt, intellectu, & voluntate debitè, hoc eſt, ita vt præmiſimus, vtendo. 6.

Non diſputatur hìc, ſint nec ne diuerſæ eorum trium Spirituum operandi rationes, eſſe enim omninò oportet propter diuerſitatem naturarum. Cæterùm huic loco ſatis eſt oſtendere Deum, Angelum, & hominem, in eo conuenire, quaſi genere, quòd honeſtè operando vitam agunt conformem excellentiſſimo altiſſimoque Entis gradui, ſcilicet intellectiuo, ex quo fit vt operatio honeſta, ſit pulchritudo & decor operantis. Cùm enim pulchritudo ſit quædam proportio interna rei pulchræ, proportionem verò in ſpiritu, ratio ita cõponat, vt nõ tranſeat, ſed immaneat in vtente ipsâ, neq; aliter

com-

Digitized by Google

cōponat, quàm debitè operando, ſemoto omni errore, & inordinata affectione; ſequi neceſſe eſt prædictam honeſtatem, eſſe pulchritudinem animæ, ipſam proportionatâ actionū conſonantiâ exornantem. Quod ex S. Thoma præter iam dicta breuiter comprobatur. Qui 2. 2. q. 14. a. 2. de hac planè re loquens, ſic concludit: *Pulchritudo ſpiritualis in hoc conſiſtit, quòd conuerſatio hominis, ſiue actio eius ſit benè proportionata ſecundùm ſpiritualem rationis claritatem, hæc autem pertinet ad rationem honeſti.* Explicatio hæc honeſtatis confirmari, & magis dilucidari poteſt, ex vita actuali brutorum, quæ etiam ſicut & homo vtuntur appetitu elicito, ſiue tali, qui præuiâ cognitione tendit in rem ſibi obiectam. Quemadmodum enim animantia ſuapte naturâ feruntur in iucunda, neq; alijs quàm gratis frui expetunt, eò quòd talia ſenſui eorum, & appetitui ſenſitiuo ſint conformia: ita planè animal rationale homo, ſuapte naturâ in honeſtatem ferri debet, quam præcipua in illo potentia, vis nimirum intellectiua cognoſcere poteſt, & appetitus ſpiritualis, ſcilicet voluntas expetere. Quod non ita ſit dictum, quaſi homo à iucundo abſtinere debeat, cùm enim iucundum illud ſit, quod appetitum explet, redditque quietum; & multa ſint, quibus hac ratione gaudet appetitus humanus, ſequitur vt etiam homo fruatur iucundis, hac tamen à brutis differentia, quòd iſta nonniſi iucunda appetant, homo honeſta, quibus tamen ſua annecti ſolet iucunditas, vt docet S. Thomas 2. 2. q. 145. art. 3. his verbis: *Honeſtas ſubiecto concurrit cū delectabili, à quo tamen differt ratione; dicitur enim honeſtas in quantùm habet quendam decorem ex ordinatione rationis, hoc autem quod eſt ſecundùm rationem ordinatum, eſt naturaliter conueniens homini; Vnumquodque autem naturaliter delectatur in ſuo conuenienti, & ideò honeſtum naturaliter homini eſt delectabile, non tamen omne delectabile eſt honeſtum, quia poteſt aliquid conueniens eſſe ſecundùm ſenſum, & non ſecundùm rationem.* Quibus verbis oſtendit S. Doctor, belluis propriū eſſe ferri in delectabile ſecundùm ſenſum, homini autem in honeſtum, quod nihilominus

nus

Digitized by Google

nus non caret ſuâ voluptate; & quidem multò præſtantiore, ſicut & appetitus hominis belluino eſt multò præſtantior.

Sectio Secunda.

Quotuplex ſit Honeſtas?

8. EXplicatâ primâ tituli dictione, ſeu honeſtatis voce, ſequuntur duæ reliquæ, quæ ipſam jam deſcriptam coarctant ad finem in hoc libro primo præfixum, per id, quòd dicatur Moralis, & Acquiſita. Duplici enim honeſtate exornari poſſumus, vnâ, quæ moderatur actiones humanas internas, & externas, ſiue quæ à potentijs purè ſpiritualibus produci ſolent, nempe, intellectu, & voluntate, ſiue quæ proficiſcuntur ab appetitu & imaginatiuâ, ſiue quæ ab his imperantur: alia honeſtas eſt, quæ hominem in Deum refert, vt in illo tanquam in vltimo fine quieſcat. Prior moralis vocatur propterea; quòd (vt rectè Diuus Thomas docet 1,2. q. 58. art: 1.) mos dicit inclinationem ad aliquid agendum: proprium autem eſt appetitui inclinare, cùm ſit pondus quoddam quo anima fertur in aliquid. Quando ergo actio ad quā appetitus inclinat eſt à ratione præſcripta & honeſta, inclinatio, ſeu mos, dicitur honeſtas moralis, quæ moderatur actiones humanas, ſiue purè ſpirituales, ſoli volūtati proprias, vt eſt, electio, & intentio; ſiue eas, quas paſſiones nominamus, quiq; ſunt, actus animalis appetitûs, vt eſt ira, triſtitia, gaudium, & ſimiles, & hæc omnia, ſiue interiùs fiant duntaxat, ſiue exteriore mōſtrētur opere. Honeſtas itaq; moralis eſt, inclinatio in appetitu humano ad bene honeſtèq; agendum diſponens, non tamen abſq; conſortio rationis, quæ lucem præfert appetitui, nimirum ex ſe cæco, & nihil videnti. Quo ipſo differt honeſtas moralis ab honeſtate ſeu virtute Theologicâ, hæc enim, vt conſtabit ex lib: 2. non præſtat homini vt exerceat actus fortitudinis, temperantiæ, caſtitatis, & alios virtu-

virtutum moralium proprios, ſed vt Deum cognoſcat, & amet: atq; ita honeſtatis moralis finis eſt operatio humana; honeſtatis autem Theologicæ, eſt DEUS.

Porro vtràq; hac honeſtate altior, & generica Honeſtas creata in hoc eſt, quòd ſit conformis diuinæ honeſtati increatæ. DEus enim ſuo intellectu ſe cognoſcit ſummum verum, & ſummum appetibile, ſuaq; voluntate ſe, vt talem, appetit, omnia alia honeſta ad ſe dirigendo; in quo ſita eſt, increata honeſtas, & ſanctitas, cui conformari, eſt hominem, vel Angelum, honeſtè operari; id quod docet S. Thomas 2. 2. quæ: 104. art 4.

9. Differunt etiam illæ duæ honeſtates, moralis, & Theologica, aliâ quadam ratione: ad quam intelligendam, præſupponi debet, id quod docet Tullius lib: 5. de finibus, & cum eo S. Thomas 1. 2. quæſt. 63. art. 1. cęteriq; Theologi, nullum eſſe à naturâ præditum virtute; inſunt tamen ejus principia, & quaſi ſemina in hominis naturali facultate: quod ita perſuadet Cicero: *Eſt, inquit naturâ, ſic generata vis hominis, vt ad omnem virtutem percipiendam facta videatur, ob eamq́; cauſam parui, virtutum ſimulacris, quarum in ſe habent ſemina, ſine doctrinâ mouentur; ſunt enim prima elementa naturæ, quibus auctis, virtutis quaſi carmen efficitur. Nam cùm ita nati ſimus, vt & agendi aliquid, & diligendi aliquos, & liberalitatis, & referendæ gratiæ principia in nobis contineamus, non ſine cauſâ, has in pueris, quaſi, ſcintillulas videmus.* Hæc Orator. Quæ S. Thomas, vt Magiſter, apertiùs explanat, loco nūc citato, aſſeritq;, ſemina virtutum ideo innata homini dici, quòd & ratio ejus ſuapte vi apta ſit ad percipiendam virtutem, & vis appetens in bonum feratur: accedit huc quòd ſinguli hominum pro ſui corporis propriâ complexione ſint faciles ad quaſdam virtutes; ſanguinei ad liberalitatem, cholerici ad fortitudinem, frigidiores ad continentiam. Quia verò potentiæ homini innatæ, & materiales diſpoſitiones, ſunt determinatæ ad vnam certamq; rationem; nam & intellectus verum, & appetitus bo-

num

Digitized by Google

num duntaxat attendit, complexiones etiam indiuiduales in ſingulis ſunt certæ, & inuariabiles; virtutes autem variantur, pro varietate objectorum, & circumſtantiarum; rectè S: Thomas infert, ſolùm in naturâ eſſe quaſdam inchoationes virtutum, non verò conſummationem, & perfectionem: vt igitur conſummentur, labore, & induſtriâ opus eſt. Propter quā cauſam honeſtas moralis, de qua hoc libro agimus, acquiſita dicitur, vt diſtinguatur ab honeſtate virtutum à Deo infuſarum, ſiue eæ ſint Theologicæ, Fides, Spes, & Charitas; ſiue morales, quæ vnà cum Theologicis infundi ſolent, non viribus noſtris acquiri: harum enim nullum in nobis præcedit, aut ſupponitur naturale principium, ſed in Deo ſolo, qui pro ſuâ infinitâ liberalitate infundit animæ hæc dona, *datq;*, teſte S. Iacobo Apoſtolo in Epiſt: cap: 3. *omnibus* (modò non detrectent accipere) *affluenter & non improperat*, Et hoc quidem libro, in quo de remotâ ad vnionem cum Deo diſpoſitione agimus, intentio eſt explicare virtutem moralem acquiſitam; deflectendum tamen erit interdum ad infuſas etiam, præſertim morales virtutes, tanquam eas, quæ affinitate quadam connexæ ſunt acquiſitis.

Per vltimam hanc particulam jam expoſitam, monemur officij noſtri, ita poprij, vt eſt proprium homini viuere; ſi tamen quis vitæ ſuæ nolit eſſe hoſtis. Munus ergo cujuſq; noſtrum eſſe debet, acquirere morum honeſtatem, & in hac acquiſitione ita deſudare, vt deſudandum ſuadet ipſa neceſſitas, quæ ex ſequentibus capitibus magis patebis.

CAPVT II.

Quàm ſit neceſſaria homini honeſtas moralis acquiſita, ſpectatâ illius naturâ?

CONditor generis humani DEUS ſimul atq; creauit hominem, adduxit eum de loco vbi creatus eſt ad paradiſum, id quod non obſcurè ſignificat Moyſes Gen: 2. *Tulit*, inquit,

quit, *Dominus DEVS hominem, & poſuit eum in paradiſo volupta-tis.* Alibi ergo conditus videtur, & poſitus in paradiſo volu-
1. ptatis, vt in eo haberet, quæ alibi habere non potuit, nempe voluptatem. Porro hanc in tribus ſitam fuiſſe deſcribit idem Hiſtoriographus, cùm ait: *Produxitq́; Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuaue, lignum etiam vitæ in medio paradiſi, lignumq́; ſcientiæ boni, & mali.* Quibus verbis tria inſinuantur; quædam grata ſenſui, qualis erat pulchritudo colorum; alia congrua palato, fructus eorundem; deniq; ea quæ recreant intellectum, nimirum, Scientia. His tribus triplicem in homine vitam (cujus etiam ibi fit mentio) ſignificare voluit author illius Deus, vegetantem, animalem, & rationalem: Prima propria eſt arbori, ſecunda bruto, tertia Angelis, & ipſi Deo, quam vitæ partitionem omnes docent Philoſophi. Et quia, vt præcedenti capite dictum eſt, omne viuens tum viuit, cùm exercet opera vitæ ſuæ conformia, Deus, qui hominem triplici vitâ dignatus eſt, addidit ea quoq; quæ ad illam tuendam, conſeruandamq́; erant neceſſaria. Vitæ igitur vegetatiuæ dedit fructus ad veſcendum, & aptos, & ſuaues; vitæ ſenſitiuæ, pulchritudinem arborum, amœnitatem loci, odorum ſuauitatem, ſalubritatē aëris, & alia, quæ ſenſus demulcere, appetitumq; jucundè delinire poſſent. Poſtremò vitæ rationali in ipſo paradiſi medio ea obtulit, quæ præberent materiam ſibi tanquam ſupremo Domino obſequendi: fecit ergo lignum ſcientiæ boni & mali, vt ſi illud intactum relinqueret, obedientiam præſtantiſſimam virtutum moralium opere impleret, promiſſum ſui obſequii referret, mercedem immortalitatis in terrâ, & æternæ in Cœlo felicitatis. Non paruit tam benigno, tamq́; ad exequendum facili inobediens ſeruus mandato, abuſuſq; poteſtate quiduis pro libito eligendi, à liberali Deo conceſſâ, judicauit neglecto ligno vitæ ad vſum dato, veſcendum ſibi de ligno vetito ſcientiæ boni & mali, idq́; ipſum voluntate, & opere patrauit: caſtigatus eſt ob hāc temeritatē notâ pœnâ, quā etiā nunc ſentiunt poſteri ejus.

Digitized by Google

Sectio Prima.

Neceſſitas honeſtatis in homine tanta, quanta vita.

CÆterùm Diuina Prouidentia, hac ſuâ cū homine agendi ratione, oſtendere voluit, ad hoc illi triplicem donatā à ſe vitā, vt eā retineret, tueretu rq; alimentis ſalubrib⁹, proficuo vſu ſenſuū, atq; appetitûs, rationis demū & voluntatis honeſtate. Subtractio quippe alimēti ſenſuumq; neglectus, cauſa eſſe poſſunt Phyſicæ mortis, quæ eſt ſeparatio animæ à corpore; inopia etiam in graui materiâ honeſtatis, inducit in animam moralem mortem, ſeu peccatum mortale, *quod*, vt, ſcribit S. Iacobus Apoſt: in ſuâ Epiſt. cap: 1. *cùm conſummatum fuerit generat mortem*: neq; aliter certè generat, quā ſeparando ab animâ noſtrâ, id quod eſt vita illius, ſcilicet, Deum: verè enim de illo teſtatur S. Auguſt: tr. 47. in Ioan: cap. 10. quod eſt anima corpori hoc eſſe animæ Deum. Quin & ipſe Chriſtus idem de ſe fatetur, Ioan: 11. *Ego ſum vita.* Ab hac ergo vitâ, ſcilicet Deo, vt legitur Sap: 10. ſeparat peccatum hominem, efficitq; in illo ſpiritualem, longè quauis aliâ deterrimam, mortem. Hinc jam facilè quiſq; videre poteſt, quanta ſit neceſſitas honeſtatis, nimirum tanta, quanta eſt vt id quod habet vitam, conſeruet illam, & non moriatur. Parum momenti hæc apud illos neceſſitas habet, qui pro tuendâ vitâ Phyſicâ quid non agunt? quos non adhibent medicos? quæ genera ciborū non adinueniunt? quo non vtuntur potu? quas non quęrunt loci amœnitates, varietates temporum, ſomni, lecti, veſtium commoditates, cæteraq; ad ſanitatem corporis conducentia, quæ ſi quis ſingùla percenſere velit, tam difficulter id præſtaret, quàm difficile eſt omnia in medium afferre, quibus homines in ſingulis Regnjs, Prouincijs, Ciuitatibus, vitam tuentur, & quàm poſſunt diutiſſimè protrahunt. Apud hos ergo homi- 2.

nes parum momenti neceſſitas conſeruandæ vitæ moralis habet, qui omne quod poſſunt adhibent ſtudium, vt viuant, & diu ſint; pro honeſtate verò tuendà, augendàq;, aut nihil faciunt, aut ita obiter, & quaſi aliud agendo, vt hoc vnum ex minimis, minimèq; neceſſarijs negotijs eſſe videatur: quod facile quiſq; deprehendit, ſi expenderit diuerſa homi-
3. num ſtudia. Quid non tentat diligens Paterfamilias vt rem domeſticam rectè curet, horreaq; impleat frumento? quàm modica illis quies? quàm longæ vigiliæ? quànta corporis laſſitudo? quæ ſolicitudo mentis? frigus, æſtus, ſitis, pluuiæ, cæteræq; tũ à Cælo, tũ à peruerſis hominibus maliſq; vicinis injuriæ, quantæ ſint? norunt qui ſe totos huic operi tradiderunt. Et tamen, quotuſquiſq; eſt ex omnibus hujus ſtatûs, & conditionis hominibus, qui tantundem laboris, curæ, & ſolicitudinis impendat in conſequendâ morum honeſtate? Certè ſi rectè feratur judicium, plus eſſet faciendum pro virtute, quàm pro frumento (quidquid enim in hoc reperitur, tantò vilius eſt illâ, quantò corporea ſpiritualibus, terrena Cœleſtibus, caduca æternis, viliora ſunt) Sed ea eſt Honeſtatis virtutiſq; apud homines æſtimatio, vt nec tanto digna ſit labore, quanto cultura agri corpori ad breue tempus neceſſaria. Iam ſi alia hominum genera, ſtatuſq; ſpectemus, idem prope vbiq; cernitur. Quis miles tantùm operæ ponit in acquirenda verà germanàq; fortitudine, juſtitiâ, & externis virtutibus, quas S. Ioannes Bap: á militibus his verbis Lucæ 2. exigit: *Neminem concutiatis, neq; calumniam faciatis, & contenti eſtote ſtipendijs veſtris.* Quis, inquã miles tantò ſtudio hæc ſeruat præcepta, quanto, vt ſit armis inſtructus, ſplendidè cõpareat, vigilias, etſi moleſtas, & periculi plenas, fideliter trãſigat, hoſtem cum laude petat, & conficiat, vel, ſi ſors aliter ferat, ipſe glorioſus occumbat. Taceo hîc plurima eorum crimina, injurias, rapinas, luxus, ebrietates, comeſſationes, violentias, quæ, & ſimilia, non ſine magno committunt labore, quo tamen priuatur apud illos vera virtus.

Quid

Digitized by Google

Quid verò de illis dicendum, qui aulas ſectantur, vt honores, dignitates,& amplas poſſeſſiones obtineant? tandem ipſi audiendi, tanquam præſentes ſuorum conatuum teſtes, quoties egregia deprędicant merita. Sunt multi ex ijs qui totam dicunt ſe amiſiſſe hæreditatem; alij inſuper magna contraxiſſe debita; hi queruntur de tot vigilijs, capitis, manuumq; laboribus; iſti de amiſsâ, & ægrâ contractâ valetudine. Quidam accuſant aduerſam fortunam ſummis ſtudijs ſemper obnitentem; ſunt qui felicem ſibi gratulantur, ſed non abſq; cruentis ſudoribus; non paucos etiam reperies, qui ad vltimum vitæ adducti diſcrimen aulæ tribuunt obitûs ſui cauſam. An veró, vel vnus eſt, è tanto aulicorum numero, qui immunis ſit ab inuidijs, fraudibus, litibus, diſſidijs, oblocutionibus, obtrectationibus, infamijs, calumnijs, ſiniſtris delationibus, doloſis & hypocriticis congreſſibus, cæteriſq; ejuſmodi peſtibus, quibus ſcatent aulæ. Quæ omnia, quanquam moleſta, alacriter tamen feruntur, quia ſpes alit, licet fallendo. Quemadmodum enim hi omnes palam enarrant quæ pro aulis agunt, ita ſyncerè fatentur quæ non agunt pro virtute. Fatentur igitur, ſi tantùm pro æternâ vitâ, & certò promiſſa Cœleſti gloriâ deſudarent, quantùm deſudant pro breui mundanâ fælicitate, ampliſſima ſeſe apud Deum merita conſecuturos fuiſſe, & conſequi poſſe, nec tamen velle; neq; aliam hujus talis voluntatis afferunt cauſam, quàm quòd minor ſit apud illos honeſtatis valor pretio opum, & honorum. 4.

Sectio Secunda.

A quibus Honeſtas in pretio habenda?

Reſtare videtur, vt quoniam apud pleroſq; homines, Honeſtas (quā capite præcedenti, vitā hominis rationalē ſpiritualemq; eſſe diximus) adeò viluit, apud illos ſaltem in debitâ ſit opinione, qui, à peculiari viuendi ratione, ſpiri- 5.

ſpirituales vocantur, ſiue qui ſuo ſe regunt arbitrio, & voluntate, quos ſeculares vocamus; ſiue qui ſubſunt Deo per votum obedientiæ oblatæ, & ſunt regulares. Vtinam verò ita ſit, vt ab alijs velut in exilium acta Honeſtas, apud ho, tanquã domi, bene habeat. Sed enim Spiritus ſanctus multis retrò ſęculis graues intentauit minas, viris prioris conditionis ſpiritualibus, & præcipuis quidem, nempe paſtoribus, eò quòd à debitâ honeſtate longè aberrauerint, caduca, & fortunæ bona enixè ſecuti. Nam Zach: 11. ſic invehitur in illos, qui opibus plus æquò inhiant cõgregandis: *Vox vlulatûs Paſtorum quia vaſtata eſt Magnificentia eorum: vox rugitùs Leonum, quoniã vaſtata eſt ſuperbia eorundem.* Tantæ pœnæ affertur cauſa, auaritia, quæ etiam ſanguinem ſugit ex ijs à quibus ditantur ejuſmodi paſtores: *Hæc dicit Dominus Deus meus* (inquit Propheta) *paſce pecora occiſionis, quæ qui poſſederant, occidebant, & non dolebant, vendebant ea dicentes: Benedictus Deus, diuites facti ſumus: & paſtores eorum non parcebant eis.* Non abſimilis eſt huic alter locus, Ezech: 34. vbi Propheta eodem Spiritu ſancto impulſus acriter minatur Paſtoribus, qui ſeipſos paſcunt lacte gregis, & tegunt lanâ. Quem locum interpretando S. Auguſt; Tom: 9. lib. 22. de Paſtoribus, Per lac intelligit ſuſtentationem, per lanam honorem; *Neq; ideo ait, reprehendã paſtores quòd ſuſtententur & honorentur ab omnibus, id enim illis jure optimo præſtatur, ſed quòd metas Honeſtatis longè excedant ſuperfluitate commodorum, & ambitione ſęculari.* Ita ergo tales inſectatur Ezechiel: *Et factum eſt,* inquit; *Verbum Domini ad me dicens; Fili hominis propheta & dices paſtoribus. Væ paſtoribus qui paſcebant ſemetipſos, nonne greges à paſtoribus paſcuntur? lac comedebatis, & lanis operiebamini.* Subdit deinde grauiſſimum inde ſecutum damnum, interitum, ſcilicet, animarum ſempiternum, propterea quòd paſtores muneris ſui obliti quà permiſerint, quà exemplo ſuo traxerint gregem in pręcipitia vitiorum. *Et diſperſæ ſunt oues meæ,* loquitur Dei nomine, *eò quòd non eſſet Paſtor, & factæ ſunt in deuorationem omnium beſtiarum agri.*

Digitized by Google

agri, & diſperſæ ſunt. Errauerunt greges mei in cunctis montibus, & non erat qui requireret. Atq; vt intelligeretur quid illud (væ) ſignificaret, capitis initio præmiſſum, concludit Diuinus vates, graue judicium intentando: *Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ipſe ſuper paſtores, requiram gregem meum de manu eorum.* Mihi 6.
vtramq; hanc prophetiam legenti, occurrit, non videri illam noſtro quadrare tempori, quod eſt gratiæ, non legis ſcriptæ: ſub hac enim ſacerdotes, Paſtoreſq; Judæorũ, carentes copiâ cœleſtiũ chariſmatũ, quæ eſt propria legis nouæ, facilè ruebât in ſuperbiæ, luxuriæ, auaritiæ vitia, quod non videtur de noſtris ſacerdotibus dicendum, ob illam gratiarum abundantiam. Sed huic tali cogitationi occurrit alia, & quidem duplex. Primo, ducto à poſteriori, ſeu, ab effectu argumento, ex ipſâ prophetiâ, ſi enim gregum peccata, erroreſq; malis paſtoribus adſcribit Spiritus ſanctus, reuera cùm hoc ſeculo ſi non maiora, certè non minora cernãtur in hominibus facinora; inferendum eſt, cum Spiritu ſancto, ea maximè ex eo prouenire, quòd etiam nunc non pauci ſint paſtores, qui neq; doctrinâ, neq; morum probitate præeant ſuis ouibus, reperianturq; nonnulli de quibus illud dici meritò poſſit: *ſicut populus, ſic et Sacerdos,* Iſa: 24. Alterum eſt, quod illas prophetias noſtris quoq; temporibus ſeruire oſtendit. Nam Patres ſancti ſeuerè exagitant vitam ſacerdotum, quòd in illis deprehendant magnum honeſtatis neglectum, & cùm caritas magis ac magis refrigeſcat, id quod de futuris poſtea temporibus teſtatus eſt Chriſtus, Matt: 24. minimè dubitandum eſt, eundem illum virtutis neglectum non parum inualeſcere, quod inter alios Greg: Magnus hom. 14. non modico cum dolore ita deſcribit: *Sunt qui dum plus terrenã ſubſtantiam quàm Oues diligunt, meritò nomen paſtoris perdunt: non Paſtor, ſed mercenarius vocabitur, qui non pro amore intimo oues dominicas, ſed ob tẽporales mercedes paſcit. Mercenarius quippe eſt, qui terrenis commodis inhiat, honore prelationis gaudet, temporalibus lucris paſcitur, impenſâ ab hominibus reuerentiâ lætatur: illæ enim ſunt mercedes*

mercenarii, vt pro eo ipſo quòd in regimine laborat, hîc quod quærit, inueniat, & ab hæreditate Regis in poſterū alienus exiſtat. Et hom: 17. idem argumentum ita proſequitur: *Ad meſſem multam operarij pauci ſunt, quod ſine graui mœrore loqui non poſſumus. Quia etſi ſunt, qui bona audiunt, deſunt tamen qui dicant: ecce mundus ſacerdotibus plenus eſt, ſed tamen in meſſe Dei rarus valdè inuenitur operator, quia officium quidem ſacerdotale ſuſcepimus, ſed opus officij non implemus. Fructus quippe Sanctæ Eccleſiæ in ſtipendio quotidiano percipimus, ſed tamen pro æternâ Eccleſiâ minimè laboramus. Penſemus ergo cujus damnationis ſit, ſine labore hîc percipere laboris mercedem: penſemus, qui vnquam per linguam noſtram conuerſi pœnitentiam egerunt? quis luxuriam ex noſtrâ eruditione deſeruit? quis auaritiam, quis ſuperbiam declinauit?*

Hæc & multa in eundem ſenſum Sanctus & ſummus Pontifex qui in Apoſtolicâ ſede collocatus tanquam ex altiſſimâ turri & ſpeculâ quadam vidit, quod in vniuerſo orbe meritò reprehendere potuit, nempe maiorem multis ſacerdotibus, rerum caducarum, quàm virtutum amorem; ex quo ille ſequi ſolet muneris proprij neglectus, cum tanto diuini honoris, propriæ ſalutis, & animarum diſpendio. Quod
8. ad regulares attinet, quemadmodum hi multò pluribus, & efficacioribus inſtructi ſunt ad omnem honeſtatem præſidijs, quàm homines communis vitæ, ita ſi illam leuiter attingant, aut, quod peius eſt, contemnant, longè maximâ digni ſunt reprehenſione. Et quidem leuiter tractant virtutem, illi inprimis Religioſi, qui externâ, ſiue modeſtiæ, ſiue rigoris regularis honeſtate (ſanctè à quouis ordine ſuſceptâ) contenti, minùs attendunt, ad refrænandas paſſiones, habituſquè vitiorum prauos extirpandos: quo fit, vt nunquam ſolidam poſſideant virtutem, ſed ſpeciem ejus duntaxat. Quod S.
9. Auguſt: ſubtili, vt ſolet, diſcurſu, ita demonſtrat, Tom: 9. in cap: 8 Ioan: Tract. 41. vbi docet, duos eſſe Chriſtianæ libertatis & perfectionis gradus, primum, immunem fieri à peccato graui; alterum, per continuam concupiſcentiarum mortifi-

Digitized by Google

mortificationem, eum aſſequi ſtatum vt minùs etiam illæ ipſæ concupiſcentiæ, malorum incentiua, faceſſant negotij, de primo ita loquitur; *Quemcunquè juſtum diſcuſſeris, non omnino eſt ſine peccato; Etiam ipſe Iob dicit: Quis mundus? ſed planè multi juſti dicti ſunt ſine querelâ, quod intelligitur, ſine crimine; Crimen autem eſt peccatum graui damnatione digniſſimum. Ideò & Apoſtolus 1. Timot: 3. quando elegit ordinandos vel Presbyteros, vel Diaconos, non ait, ſi quis ſine peccato eſt; hoc enim ſi diceret, nullus homo ordinaretur: ſed ait, ſi quis ſine crimine eſt, ſicut eſt homicidium, adulteriũ, immunditia fornicationis. & cætera hujuſmodi; cùm cœperit homo non habere (debet autem non habere omnis Chriſtianus homo) incipit caput erigere ad libertatem, ſed iſta inchoata eſt, non perfecta: quare imperfecta? quia video aliam legem in membris.* Explicat deinde S. Auguſt: alterum perfectionis gradum, qui legem illam malarum temperat affectionum; ad quod propoſitum citat dictum S. Pauli: *Non regnet, peccatum in veſtro mortali corpore. Non ait* (inquit S. Auguſt:) *non ſit, ſed non regnet; Quamdiu viuis, neceſſe eſt peccatum eſſe in membris tuis, Concupiſcentiam videlicet; ſaltem illi regnum auferatur, non fiat quod jubet, ſurgit ira, noli dare linguam ad maledicendum, noli dare manum ad feriendum, tolle illi regnum, non habeat arma vnde contra te pugnet, diſcet etiam non ſurgere, cùm arma non cœperit inuenire.* Declarat tandem, qua ratione regnum concupiſcentiarum tolli debeat. *Quid* (inquit) *volebat ille juſtus mente ſeruiens legi Dei, niſi vt omnino non eſſet, quod frænaretur?* Et hoc debet conari omnis qui tendit ad perfectionem, vt & ipſa concupiſcentia, cui non dantur ad obediendum membra, quotidie in proficiente minuatur. Comprobat id loco alio S. Pauli Rom: 7. vbi dicit: *Velle adjacet mihi: perficere autem non inuenio. Nunquid* (inquit S. Auguſt:) *dixit, non mihi adjacet facere bonum? ſi hoc dixiſſet, ſpes nulla eſſet, non ait: non mihi adjacet facere bonum, ſed non mihi adjacet perficere: quæ eſt enim perfectio boni? niſi conſummatio & finis mali; quæ eſt autem conſummatio mali? niſi quod lex dicit, non concupiſces? omnino non con-*

Digitized by Google

cupiſcere, perfectio boni eſt, quia conſummatio mali eſt : hoc dicebat ille ; perficere bonum non mihi adjacet, quia non poterat facere, vt non concupiſceret, faciebat tantùm, vt concupiſcentiæ non conſentiret. Porro paulò ante ex hoc S. Doctore oſtenſum eſt, non conſenſus, in homine perfectionis amante, comitem habere debet minorem in dies concupiſcentiarum ſenſum : qui ſi deſit, deeſt quoq;, judicio hujus ſancti, debitus in Religioſo

10. perfectionis amor, & labor. Eſt & aliud, quo, tanquam certo argumento, leuiter tractare virtutem Religioſus conuincitur. Cùm enim à quouis ordine multa aſſumantur, opera; quæ neque ſunt virtutes, neq; cotraria illis, ſed ea quæ Theologi cum Sancto Thom; 1. 2. quæſt. 18. art; 8. & 9. vocant indifferentia ex naturâ, & ſpecie ſuâ, id eſt', neq; mala, neq; bona, talia tamen, quæ bona eſſe poſſint, ſi recto fine, honeſtiſquè decorentur circumſtantijs, mala, ſi vel finis, vel debita quædam deſit circumſtantia : hujuſmodi ſunt ſtudia literarum, conſuetudo cum proximis, corporis ſuſtentatio, cura rei familiaris, conquirendarum eleemoſynarum munus, & ſimilia, quibus ſi non præfigatur finis diuinæ gloriæ, vel amoris obedientiæ ſanctæ, aut aliarum virtutum ; ſed horum loco, adſint intenta, vanitatis, gloriæ, honoriſq;, ſenſualitatis, & commoditatum Religioſo non neceſſariarum, deſiderium placendi hominibus, non propter animarum lucrum, aut bonum religionis, ſed ob intereſſe priuatum : vel certè, ſi hæc opera, recto quidem fiant intento, ſed minùs rectas habeāt circumſtantias, quod fit cùm ſtudia maiore pertractantur conatu, atq; labore, quàm virtus & diſciplina religioſa, cùm nimia, & minus cauta vſurpatur cum externis familiaritas, quæ ſecularem quandam oleat libertatem ; cùm ſolicitudo temporalium excedit mediocritatis fines ; vno verbo, cùm horum indifferentium vſus neglectum, obliuionemq; parit regularum, argumentū eſt euidens, non tantâ curâ inquiri virtutes, honeſtatemq;, quantâ cætera de quibus Chriſtus decretum ſapientiæ ſuæ

diuinæ

diuinæ pronuciare dignatus eſt. Matt: 16. *Quid prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucretur; animæ verò ſuæ detrimentum patiatur:* & Matt: 6. *Quærite primùm regnum Dei, & juſtitiam ejus.* Item illud: *Amen dico vobis receperunt mercedem ſuam*, Matt: 6. Hæc ſunt quæ oſtendunt leuiter tractari, à nonnullis religioſis virtutem atq; honeſtatem. De contemptu ejuſdem, non eſt quod dicatur, cùm conſtet eum in illis eſſe, qui ſiue intra, ſiue extra ſepta religioſa vota omnipotenti Deo ſemel oblata, ſacrilegè præuaricantur; mundanam, & ſcandaloſam vitam agunt, concupiſcentijs, & vitijs habenas ſoluunt; deniq; ſunt tales, de quibus teſtatur S. Auguſt: Tom: 2. Epiſt: 137. *Simpliciter fateor coram Domino Deo noſtro, ex quo Deo ſeruiue cœpi, quod difficilè ſim expertus meliores, quàm qui in Monaſterijs profecerunt, ita non ſum expertus peiores quàm qui è Monaſterijs ceciderunt, ita, vt hinc arbitrer in Apocal: 22. ſcriptum, juſtus iuſtior fiat, & ſordidus ſordeſcat adhuc.* Quo ſignificare voluit S Auguſt: etiam à regularibus negligi interdum contemniq; honeſtatem. 11.

Sectio Tertia.

Cur Honeſtas negligitur à pleriſque?

IAm cùm in ſingulis hominum ſtatibus, & conditionibus 12.
viuendi, reperiātur non pauci, ne dicam longè plures, qui Honeſtatem flocci teneant; ſi primam & quaſi radicalem hujus vniuerſalis mali indagemus cauſam, non aliam eſſe puto, quàm à Parentibus acceptam, & in nobis longâ, & tenaci conſuetudine confirmatam. Prætulerunt illi vitæ ſpirituali, ac potiſſimæ, vitam animalem, & vegetantem, ei, contra quàm Deus mandauit, gerentes morem: ſequimur eoſdem naturali quodam fato, & genio, neq; poſſumus non ſequi, niſi gratiæ Dei obnixè adlaboremus. Si enim Parentibus noſtris

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

ſtris innocentiâ munitis, omnibuſq; prædictis virtutibus, difficilis fuit conſeruatio inſitæ honeſtatis, quantò difficilior erit nobis acquiſitio ejuſdem, quibus fomes mali, & vitia arduam faceſſunt difficultatem?
13. Quàm verò dolendum & miſerabile ſit, alias illas inferiores vitas, tantò ſtudio ab homine amari, cuſtodiri, hanc, qua Deo eſt ſimilis, contemptu haberi, vel hoc vnum clarè demonſtrat. Quis non cenſeret dignum commiſeratione jumentum illud, equū, exempli causâ, ſi cæcus, ſi ſurdus, ſi omni tangendi, olfaciendi, guſtandiq; ſit orbatus vſu, & cùm nihil ſentiat, nihil etiā expetat, juxta illud dictum Philoſophorum: *Nihil volitum quod non ſit prius cognitum.* Quod ſi ejuſmodi animal miſerandum & infælix, ac nulli vſui eſſet, propterea quòd à vitâ ſibi debitâ ſine operatione illi conformi impediretur; quantâ dignus eſt commiſeratione homo, quàmq; infælix cenſendus, qui vitâ rationali, nempe honeſtate morum, orbatus degit, atq; pro maximo reputat, ſi, quod illi miſero deeſt equo, ipſe habere poſſit, nempe, ſenſuum vſum. Profectò, hoc miſerabilior eodem, quòd equus (ſi id in illius poteſtate eſſet) redderet ſibi ſentiendi, appetendiq; actum; homo cùm poſſit, nolit ad honeſtatem redire, malitq; viuere *ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus,* vt teſtatur Spiritus ſanctus: Pſal: 31. Hoc compaſſionis affectu; ad juſtam motus indignationem Dominus noſter, maledixit ficui, quæ vitales non protulit fructus. Ita hoc refert S. Matt: cap: 21. *Videns,* inquit, *fici arborem vnā ſecus viam, venit ad eam, & nihil inuenit in ea niſi folia tantùm, & ait illi; Nunquam ex te fructus naſcatur in ſempiternum.* Certè non fuit merita arbor illa tantam Creatoris ſui maledictionem, quæ cœli, ſoliuè orbata ope, vetuſtate etiam, aut ſterilitate propriâ, plus facere, quàm fecit, non potuit, ſed bene merebatur ille id ipſum, quem arbor notauit, homo inquam, cui nihil cœleſtis auxilij deeſſe poteſt, modò ipſe in terrâ degens, ſibi non deſit, velitq; viuere ita, vt neceſſe eſt ei, qui vitam rationis participem eſt ſortitus. Hæc eſt prima

Digitized by Google

honeſtè viuendi neceſſitas, deſumpta ex conditione hominis, atq; adeò ipsâmet illius naturâ.

CAPVT III.

Neceſſitas Honeſtatis moralis acquiſita oſtenditur ex vitâ hominis ſociali.

NOn parua eſt inter Authores Quæſtio, vndenam ortum ſit, quòd homines communem ſocialemq; injerint viuendi rationem, diuerſam à cæteris animalibus? ſiquidem hæc prope omnia, ſolitaria degunt, tantùmque maris & fæminæ contenta ſunt ſocietate, quæ ſufficiens eſt ad conſeruationem generis cujuſq;. At verò homines, multitudine gaudent, eoq; plures confluunt, & ibi (niſi quid impediat) morantur ſemper, vbi plures eſſe norunt. Hæc quæſtio, coincidit cum illâ, in quâ quæritur: Quænam ſit ciuitatum & rerumpublicarum origo? in his enim communis, & familiaris cernitur hominum ſocietas. Qui ergo hac de re tractant, 1.
in duas diuiſi ſunt ſententias: & quidem primi, cauſam atq; originem Rerumpublicarũ Tyrannidem aſſignãt, quæ induxit quoſdam audaces atq; animoſos homines, vt cæteros, quos poſſent, ſibi ſubigerent, atq; ita ſubactorum ſe Dominos regeſquè facerent. Ad hoc propoſitum citant ex Iuſtino (vt legitur apud S. Auguſtin: 4. de Ciuitate cap: 6.) quod de Nino Beli filio ſcriptum reliquit. *Hic inquit, primus intulit bella finitimis, & rudes adhuc ad reſiſtendum populos, ad terminos vſq; Lybiæ perdomuit.* Cæterùm alij contrarium his ſentiunt: nam licet id de Nino, alijſque ei ſimilibus affirmari poſſit, ſecus de cæteris, atq; adeò primis regibus, & moderatoribus hominum, qui non ambitione dominandi, ſed conſeruandæ ſocietatis amore ducti, ciuitates & reſpublicas condiderunt. Videbant enim homines non ſolo naturæ inſtinctu, vt cætera animantia, gubernari, ſed mente & ratione adjutâ ab experientiâ

Digitized by Google

rientiâ, prudentiâq;. Neque verò par in omnibus Prudentia eſſe potuit (cùm vnus altero, ingenio ſit ſagacior, & doctior vſu) quam qui non erant aſſecuti, vt ſibi ſufficere poſſint, jure quodam naturæ ab alijs regi, & optabant, & debebãt. Quod S. Thomas 1. par. q. 9. art: 1. ad 2. clarè docet, vbi quærit: *An in eo ſtatu in quo Adam fuit ante peccatum, potuit Homo habere Dominium ſupra alios homines?* Quam quæſtionem, reſoluit affirmando, & potuiſſe, & debuiſſe, à prudentioribus regi minùs prudentes; & re ipſâ Euam ab Adam ita fuiſſe gubernatam. Verba S. Thomæ ſunt hæc: *Duplex eſt ſubjectio, vna ſeruilis, ſecundùm quam præſidens vtitur ſubjecto ad ſuiipſius vtilitatem; et talis ſubjectio introducta eſt, poſt peccatum: eſt autem alia ſubjectio œconomica; vel ciuilis, ſecundùm quam præſidens vtitur ſubjectis ad eorum vtilitatem & bonum; & iſta ſubjectio fuiſſet etiam ante peccatum: defuiſſet enim bonum ordinis in humanâ multidine; ſi quidam per alios ſapientiores gubernati non fuiſſent; & ſic ex tali ſubjectione naturaliter fæmina ſubjecta eſt viro, quia naturaliter in homine magis abundat diſcretio rationis.* Ex hoc S. Thomæ teſtimonio deducitur, jus naturæ humanæ inductum, vt homo homini ſe ſapientiori ſit ſubjectus. & hujus quidem interpretationem, promulgationemq; juris cenſent nonnulli à primo noſtro parente poſteris relictam, quam, vt placet Sandero lib: 1. de viſibili Monar: cap: 1. primus exequutus eſt Nemrod laudatus à Spiritu ſancto Gen. 10. illis verbis: *Quaſi Nemrod robuſtus venator coram Domino.* Verè enim erat venator robuſtus, qui non feras ſylueſtres, ſed animalia ratione vtentiã, belluarũ more in montibus, & deſertis palantia, coegit in vnum, & ne rurſus ſyluas abditaquè peterent loca, ciuitates illas, velut hominum caulas, exſtruxit, in hiſtorijs celebratiſſimas; *Fuit autem*, inquit cap. 1. Moyſes. *principium regni ejus Babylon, & Achad, & Chalanne in terra Sennaan. De terrâ illâ egreſſus eſt Aſſur, & ædificauit Niniuen.* Hunc Nemrod imitati Principes & Rectores Rerumpublicarũ, eos quibus præfuerunt, non Tyrannide opprimebant, ſed prudentiâ, legi-

buſq;

Digitized by Google

buſq; incolumes ſeruabant, efficiebantq;, vt quam in vita mortali poſſent, tenerent fælicitatem. Vt enim rectè docet Ariſtot: in 5. Eth: cap; 1. *Legalia juſta dicimus, factiua & conſeruatiua fælicitatis & particularium ipſius, politicâ communicatione.* 2.
Quibus verbis ſignificat Philoſophus, vt illum explicat, & ſequitur S. Thom: 1.2. quæſt; 90. art: 2. leges juſtas in quauis, communitate, ad hoc eſſe, vt ij qui in eâ degunt, ſint felices & beati. Quod ita ibi oſtendit S. Thom: *Lex,* inquit, *pertinet ad id. quod eſt Principium humanorum actuum, ex eo quod eſt regula & menſura. Sicut autem ratio eſt principium humanorum actuum, ita etiam in ipsâ ratione aliquid; quod eſt principium reſpectu omniū aliorum: vnde ad hoc oportet, quòd principaliter, & maximè pertineat lex. Primum autem principium in operatiuis eſt, finis vltimus. Eſt autem vltimus finis, humanæ vitæ fælicitas, & beatitudo: vnde oportet, quòd lex maximè reſpiciat ordinem, qui eſt in beatitudine.* Hæc S. Thomæ, & Philoſophi doctrina, ab omnibus, qui in vnâ communitate ſocialem vitam, neceſſitate quadam, & jure naturæ, agunt, exigit pari jure, vt rectè honeſtèq; operando, nitanutr aſſequi fælicitatem, quæ, vt initio hujus libri dictum eſt, abſq; honeſtate morum conſiſtere nequit!. Itaq; S. Thomas, alijquè tenent, communitates hominum eſſe repertas, non â Tyrannide ſed à prudentiâ, nequè libidine dominandi, ſed honeſtatis amore.

Sectio Prima.

Quæ virtutes in ſociali vitâ ſunt neceſſariæ?

IAm ſi quis ſcire velit, quænam Honeſtas, ſeu quæ virtutes ad ſocialem vitam ſint neceſſariæ? fâcile ex eodem Ariſtotele intelliget, omnes omnino requiri morales. Nam 3.
1. pol. cap: 8. varios conſeruandæ Reipublicæ aſſignans modos, primò quidem à rectore illius exigit prudentiam, amo-

rem boni communis, & talem amorem, qui cum fortitudine, & juſtitià ſit conjunctus, vt necremiſſus, timiduſq; ſit in ijs, quæ conſeruationem legum concernunt, nec injurius alij., & in ſubditis duntaxat executor legum, in ſe autē præuaricator earundem. Deniq; rector debet eſſe temperans, ne licentioſiùs viuendo, ex regimine lucrum videatur capere, quòd à nemine corripi poſſit quódq; ijs quæ à ſubditis mercedis loco ſubminiſtrentur, abutatur ad luxum; atq; ita ſuo exemplo ad ſimilem viuendi rationem alios trahat. Idem Philoſo: 5. Polit: cap: 10. Non pauciores à ſubditis requirit virtutes, nempe, cultum diuinùm, & honeſtam morum inſtitutionem, vt omnes, vel ab ipſis incunabulis diſcant, quæ totà debeant ſeruare vità, ſcilicet, pietatem in parentes, majoreſq;, juſtitiam in omnes, in proſperis moderationem, magnanimitatem in aduerſis, quæ qui habet totam honeſtatem acquiſitam facilè habebit. Nequè enim dabitur virtus moralis, quæ non ad aliquam iſtarum reducatur; illà exceptà, quam gubernatores, rectoreſquè, vt propriam habere debent. Porro in vtriſquè omnem prorſus morum honeſtatem reperiri oportet. Atque ita ex dictis ſequitur 1. Communi-
4. tates, Reſpublicas, Societates multorū, ad hoc prudentiſſimè fuiſſe adinuentas, vt homines mutuò juuari, & incolumes non corpore tantùm, ſed, quod majus eſt, mente, ac (quantùm mortalis vita permittit) fælices conſeruari poſſent. Sequitur 2. Non poſſe homines in incolumitate, & fælicitate conſeruari, niſi ſint præditi omnibus virtutibus moralibus, quarum tanta eſt neceſſitas, quanta eſt neceſſaria Rerumpublicarum, ciuitatum, communitatum, & quarumuis ſocietatum, conſeruatio: id quod hinc clarum, & manifeſtum eſt, finis enim ſine medijs haberi non poteſt. Cùm ergo fælicitas hominum in communitate degentium, ſit finis illorum, quod Philoſophi cum Ariſtotlee, & Theologi cum S. Thoma locis ſupra citatis, vt commune docent, fælicitas autem ſine honeſtate morum, nequit obtineri, quod etiam inſinuatū

eſt, &

Digitized by Google

eſt, & ſæpiùs pro occaſione repetetur infra, effici omnino hinc oportet, vt qua ratione ac neceſſitate optat quis ſibi ſuæquè patriæ fælicitatem, incolumitatemq; , eadem conari debet, vt ſit honeſtus, ac virtute præditus. Atquè ita Honeſtas moralis acquiſita, non ex eo ſolùm eſt cuique neceſſaria, quòd ſit homo, vt cap. 2, declaratum eſt, ſed etiam, ex reſpectu, & relatione quadam, quam homo ad hominem habere debet.

Sectio Secunda.

Honeſtatis inopia, maxima parit damna communitatibus, peperitq́ toti generi humano.

HÆc Honeſtatis neceſſitas meliùs intelligitur, ſi aduer- 5.
tamus quanta ſint ſecuta damna, quoties in communitate quapiam defuit virtus moralis. Duos ſoles habuit, prima à condito mundo hominum ſocietas, eoſque tales, quales decuit eſſe parentes generis humani, innocentes, ſanctos, omnibus virtutibus, doniſquè cœleſtibus ornatiſſimos, paſſa eſt in illis detrimentũ obedientia Regina virtutũ moralium, ad inobedientiam pellexit intemperantia, acceſſit amor intempeſtiuus conjugis; hinc ſecuta ſunt damna tanta, quanta luit tota hominum poſteritas: nequè ſatis erant illa, quæ ſenſimus, ac ſoluimus mortales, niſi etiam innumeri ſint jam immortales qui ſoluent majora, nec tamen perſoluant vnquam. Quis jam crederet inopiam, ſeu potius contrarietatem trium virtutum moralium, potuiſſe nocere tantùm, tantæ hominum multitudini, niſi experiretur prius quàm fieri poſſe conciperet? Qui hoc primum punitæ Reipublicæ ob neglectam honeſtatem ſano judicio expenderit exemplum, mirabitur minùs: aliarum quoquè Rerumpublicarum ſimili de cauſà magnas clades, mutationem in deterius aut etiam ruinam, & interitum. Et vt taceantur hìc celeberrimæ mundi Monarchiæ, Chaldaica, Græca, Romana, quæ magis erant

Digitized by Google

expoſitæ monſtris vitiorum, nimirum, infidelibus cõſtantes. Reſpublica Hebræorum ab ipſo Deo primùm inſtituta, atquè adminiſtrata, poſt longum deinde temporis interuallum in regni formam ab illomet redacta, & Regi tradita, quas non pertulit viciſſitudines, & calamitates? Quot hominum vidit cædes, & interitum? quem tandem finem ſortita eſt? Et ſi cauſam eorum malorum inueſtigemus, vitia repe-
6. riemus honeſtati inimica. Crebrò quidem gens illa ingrata prolapſa eſt in idololatriã, ſed ad hanc ſtultitiam, & cæcitatẽ mentis, corruptio morum viam ſternebat, Virtulum aureum coluit in deſerto, vt eſt Exodi 32. tantam impietatem præceſſit contemptus & rebellio in Moyſen, & Aaronem, quos diuinâ voluntate venerari, et audire debebant, contra quàm eos feciſſe narrat ſcriptura: *Videns*, inquit, *populus quòd moram faceret deſcendendi de monte Moyſes, congregatus aduerſus Aaron dixit: Surge, fac nobis Deos: Moyſi enim huic viro, qui nos eduxit de terrâ Ægypti, ignoramus quid acciderit.* Audaciam ergo in homines, ſecuta eſt in Deum idolatriæ impietas; quam deinde comitatus eſt luxus, & petulantia; vt ibidem refertur: *Surgentes enim mane obtulerunt holocauſta, & ſedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere.* Punita ſunt ſcelera hæc à Moyſe, cæde viginti trium millium, eodem Deum deprecante, ne omnes perirent; conceſſit precibus diuina bonitas locum, neque tamen ita, vt crimen inultum abiret: *Ego*, inquit, *Deus, in die vltionis viſitabo & hoc peccatum eorum.* Non conſtat de tempore & modo pœnæ, ſed eam certò fuiſſe colligitur, ex poſtremis in eodem capite hiſce verbis: *Percuſſit ergo Dominus populum pro reatu vituli, quem fecerat Aaron.* Similes mulctas non ſemel ſubijt illa gens, quoties ab honeſtate aberrãs genio induſit. Excitatũ fuit in populo murmur cõtra eũdem Aaron, & Moyſen, eò quòd non haberent cepas, pepones, carneſquè Ægypti, irritamenta gulæ. Quia ergo, vt habetur Exod 16. & Num: 11. queſti ſunt ſic de illis: *Vtinam mortui eſſemus in terrâ Ægypti, quando ſedebamus ſupra ollas carnium*

Digitized by Google

nium &c. cur eduxiſtis nos in deſertum iſtud, vt occideretis omnem multitudinem fame. Geſſit quidem morem Deus, etiam tum votis eorum, concedendo carnes, luerunt tamen pœnas murmuris, & incontinentiæ, quas fuiſſe graues ſcribit ipſe Moyſes: *Et accenſus in eos ignis Domini, deuorauit extremam caſtrorum partem.* Pari, vel maiore, pœnâ mulctati ſunt Core, Dathan, Abirō, & reliqui eorū ſequaces, qui pernicioſâ mentis elatione, & fædere impietatis, jugum obedientiæ poteſtati à Deo in ſe collatæ, Moyſi videlicet, & Aaron excutere ſibiquè eorum authoritatem, ſacrilego auſu tribuere volebant. Ob id, legimus Num: 2. 16. *Dirupta eſt ſub pedibus eorum terra, & aperiens os ſuum deuorauit eos cum tabernaculis ſuis, & vniuersâ ſubſtantiâ eorum; deſcenderūtquè viui in infernum operti humo, & perierunt de medio mulitudinis.* Non defuerūt qui juſtas has pœnas, inordinato proſequentes dolore, murmur contra Moyſen & Aaron excitârunt, clamorequè replêrunt caſtra, hujusmodi jurgantes verbis: *Vos interfeciſtis populum Domini.* Horum etiam inſolèntiam non tulit impunitam juſtus Deus, et niſi Aaron obtemperans Moyſi, cucurriſſet ad mediam multitudinem, quam jam vaſtabat incendium, obtuliſſetquè Thymiama, & ſtans inter mortuos, & viuentes, pro populo deprecatus eſſet, atquè ita ceſſaſſet plaga, longè plures abſumpti eſſent, ſciretquè poſteritas hominum, quantùm eos deteſtetur Deus, qui ſubditi cùm ſint, in capita, duceſquè ſuos impiè inſurgunt, et alios in eādem pertrahunt impietatem. His ſimilia multoties coacta eſt ferre Hebræorum communitas, ob eorum delicta; qui parere debebant. Non mino- 7.
rum calamitatum cauſam præbebant ipſi eorum Reges & Principes. Horum primus, à Deo electus, & à Prophetâ Samuele, vnctus Saul, quia per ſuperbiam officio ſacerdotis functus eſt, vt habetur 1. Reg 14. et Deo præcipienti, vt omnia, quæ Amalecitarū erant, ferro, et igni demoliretur, non obediuit vt eſt, 1. Reg: 15. deniquè, quia inſontē Dauidem, optimèquè de ſe, ac de toto ſuo regno, meritum, ad necē toties quæſiuit, quod

quod eodem lib. à cap. 18. per multa deſcribitur: meruit his, alijſquè perperam factis, ſibi quidem, vt regno, vitâque priuaretur, poſteritati autem ſuæ, vt ab eâ jus ſuccedendi in dignitatem regiam, transferretur ad Dauid: poſtremò vt totus Judæorũ exercitus, à Philiſtijn ad internecionẽ eſſet deletus. Hunc impium Principem, quotquot ex Regibus gentis Hebrææ vitâ & moribus ſecuti ſunt, (ſunt autem ſecuti quàm plurimi) non minora damna ſibi, poſteriſquè ſuis, ac toti regno pepererunt; quorum omnium infelix initium dedit, optimi parentis, non optimus Filius, Salomon, quem adeò dementauerat effrænis luxuria, amorquè nimius mulierum, vt ſapientiſſimus mortalium, inſipientiſſimus fuerit effectus: in hoc maximè, quod, vt refert ſcriptura 3. Reg: 11. *Cùm jam eſſet ſenex deprauatum eſt cor ejus per mulieres vt ſequeretur Deos alienos.* Hanc tantam inſipientiam, ſuo ore damnauit puniuitquè Deus: *Quia hoc*, inquit, *habuiſti apud te, & non cuſtodiſti pactum meum, & præcepta mea quæ mandaui tibi; diſrumpens ſcindam Regnum tuum, & dabo illud ſeruo tuo.* Tantùm ſibi, ſuiſquè nocuit intemperantiâ ſuâ, vt quem Deus loco filij ſe habiturũ ſacrè Patri ejus ſpopõderat, et cujus regimen ac regnũ hiſce initiauerat verbis. 2. Reg: c. 7. *Ego ero ei in Patrem & ipſe erit mihi in filium, ipſe ædificabit domum nomini meo, & ſtabiliam Thronum regni ejus vſquè in ſempiternum.*

Quid jam de Roboam filio Salomonis, & ſucceſſoribus ejus, Regibus Juda ſit actum? Quid de Jeroboam Rege Iſrael, & poſteris ejus? intelliget, qui ſacram hiſtoriam in 3. et 4. Reg: & 2. Paralipomenon percurret, reperietquè tam Principes, quàm ſubditos eorum, non ob aliud, quàm ob violatam morum honeſtatem. præſertim continentiæ, caſtimoniæ, juſtitiæ, obedientiæ. grauiſſimis jactatos Tragedijs, quæ à fame, peſte, bellis, cæde, præambulo ſumpto, tandem in ipſum
8 deſiêre regni interitum. Non erant feliciores Chriſtianæ Reipublicæ, in quibus ſiue conniuentiâ & ſocordiâ Regum, ſiue petulantiâ populi, fræna laxata ſunt vitijs. Vnum, aut alterum

alterum, ex innumeris exemplum ſufficiat propoſito noſtro, exemplum inquam, non à Prouinciâ, aut Regno, ſed ab vnâ mundi parte deſumptum. Ergo ſi in totum orientē oculos conijciamus, reuocemuſque in memoriam, quàm fuerit florens illa orbis terrarum regio, quàmque ferax hominum, doctrinâ, virtute, ſanctitate præſtantiſſimorum, his omnibus præclariſſimis ornamentis, ſpoliata tota illa mundi plaga, & in dies magis, ac magis ſpoliatur, ab eo tempore, quo incolæ ejus, ductum ſuorum Paſtorum ſecuti, jugum obedientiæ ſedi Apoſtolicæ debitæ, ſuperbâ excuſſerunt ceruice? Quonam verò dictum illud ſancti Spiritûs, Sap: 11. veriſſimum eſt; *Per quæ peccat quis, per eadem & torquetur;* qui ſuaue iugum Chriſti detrectàrunt, in duriſſimum conjecti ſunt impij Tyranni, nequè reſtat vlla ſpes grauiſſimam euadendi Tyrannidem, niſi prius Eccleſiæ ſanctæ reſtituantur vnitati. Inobedientiam hanc multùm diuinæ Majeſtati diſplicere euidens eſt. Nam Schiſma ſecutæ ſunt Hæreſes, de Spiritu ſancto, de Purgatorio, de Animarum, etiam ſanctarum, ab obitu, vſquè ad judicij diem (vt aſſerunt) detentione.

Quàm verò ſint multi, qui Mahometi ritum quâ inuiti, quâ illecti, per tot ſæcula admiſerunt, & etiamnum admittunt, augētquè infinitum, tot Schiſmaticorum, Paganorum in æternum pereuntium numerum; dies eſt expectanda, quæ illuminabit abſcondita tenebrarum, ita tot infælices animæ vnā omnes incuſant, et incuſabunt ſemper inobedientiam. Illud verò quibus lacrymis abluendū, quòd parentes Chriſtiani paruulos ſuos, non multò poſtquàm in lucem editi fuerint, cogantur Imperatori ſuo Turcæ dicare, perpetua mancipia; quodquè è ſanguine Chriſtiano nati, dicti Janicari, acerrimi ſint Ottomanicæ ſuperſtitionis propugnatores, Imperij Turcici propagatores, hoſtes Chriſtianitatis. Hæc mala, atquè hi fructus malæ arboris, inobedientiæ, latiſſimè ſe extendunt; & ſi non omnes ſimul vbique generentur: quocumquè enim Schiſma pertigit, traxit poſt ſe minimum hæreſes & bella.

Digitized by Google

bella. Exemplo eſſe poſſunt Ruſſia Regi Poloniæ ſubjecta,
9. (vulgò Podolia, Volinia, alijſquè nominibus nuncupata) & Moſcouia: Illa per tot annos, non potuit reperire modum, & viam, quâ ſecura eſſet à Tartaricis excurſionibus, hæc non ita pridem, non à vicinis ſolùm populis, ſed mutuâ etiam cæde, et ſanguine fædè eſt maculata. Vtrobiquè ſunt hæreſes Schiſmati permixtæ; porro rerum ad ſalutem conferentium, ignorantia tanta, vt non multùm abeſſe videatur ab ipsâ infidelium cæcitate. Hæc quo ad Orientem.

10. Non minùs exitiali hæreſum peſte videmus infectas, multas Septemtrionis, & Occidentis Prouincias, Regna, & Reſpublicas, Germaniam, Angliam, Belgium, Bohemiam, Vngariam, Poloniam, deniquè Imperiũ occidentale pœnè totum. Hanc tantã animorũ luem, quãta eſt hæreſis, non permiſiſſet diuina prouidentia, in tot terris adeò peſtiferè ſerpere, niſi
11. fuiſſent peccata, quæ hoc extremo punirentur malo. Hæreſis enim, vt inquit S. Hieron: lib: 7. in Iſaiam; eſt vltimum peccatorum; eo quòd ſit perſimile ſpongiæ aquam intra ſe continenti: vt enim ſpongia repletur aquâ, quam in ſe recolligit, & inſtar vaſis ſuperat ac terminat: Ita Hæreſis, omnium ſcelerum plena eſt malitiâ, quã ipſa, ſuâ propriâ excedit, et terminat peruerſitatis magnitudine. Verba Sancti Doctoris hæc ſunt: *Non eſt inuenire adeò facinoroſum quempiam qui ab hæretico nequitiâ non ſuperetur; cùm hic omnium malitiam exprimat, atquè ſpongia velut, ſordes omnium exſugat.* Nequè mirum videri debet, peccata à Deo pœnarum loco aſſumi: nam id facit non præcipiendo, vt peccent, ſed permittendo, vt ſuâ libertate malè vtantur. Tales erant, de quibus ſcriptum reliquit S. Paulus ad Rom: cap: 1. *Cùm cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt* Ingratitudinem hanc puniuit Deus enormibus et grauiſſimis peccatis, vt ibidem refert Apoſtolus: *Propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis corũ, in paſſiones ignominiæ, in reprobum ſenſum, repletos omni iniquitate, malitiâ, fornicatione, auaritiâ, nequitiâ, plenos inuidiâ, homici-*

Digitized by Google

homicidio, cōtentione, dolo, ſuſurrones, detractores, Deo odibiles, contumelioſos, ſuperbos, elatos inuentores malorum &c. Cùm ergo ſoleat diuina juſtitia peccata peccatis punire, & ferè ſemper minora majoribus; quæcunquè erāt in prædictis regnis grauia & manifeſta (quemadmodum & hæreſis ſubſequens manifeſta fuit) non dubitandum erit propter illa, tantum permiſſum malum. Jam qui præterita recolet tempora, anna- 12.
leſquè Occidentalium regionum, reperiet magnum fuiſſe odium pudoris, & continentiæ in illis, ſimul et liberrimam viuendi licentiā, propterea ſagax hominū hoſtis ſathan, tales excitauit falſorum dogmatum, ſeu hæreſum, Magiſtros, Lutherum, & Caluinum, quales jam præparauerat diſcipulos, quorumMagiſtri, vale pudicitiæ dicto, effractiſquè caſtitatis, Deo per votum dicatæ, vinculis, quod in vita turpiter tenuerūt, hoc prædicarūt audacter. Atquè vt impunè viuere eis liceret, illud velut cacodoxæ doctrinæ defenderūt mordicùs: vota & præcepta omnia, ſiue diuina, ſiue humana, nec poſſe ſeruari, nec licet poſſent, ita eſſe ſeruanda, vt id ad vitam æternam neceſſarium cēſeatur: verùm ſolâ & vnicâ in Chriſtum fide ſaluari omnes. Hoc diſertis verbis docet Lutherus in cap. 2. & 3. ad Gala: & in aſſertione art: 31 32.36. Caluinus lib: 3. Inſtitutio: cap: 2. par: 7.8.9.10. & cap: 12. par: 4.& c.19. par: 2. 4. 5. alijſquè locis, in quibus, hoc de bonis operibus, & honeſtate morum cenſent tenendum, vt Lutherus dicat: *Summa ars & ſapientia Chriſtiana eſt, neſcire legem, ignorare opera, & totā juſtitiam actiuā.* Caluinus autē, *cùm*, inquit, *de juſtitiâ agitur, nulla ratio habeatur operū.* Hæc mala ſemina auidè excepit, illa terra, quæ talia expectabat prorſus, produxitquè Hæreſeon fructus, quales et videmus, & nondum conſumptos dolemus. Excepit hoc ſemen, & produxit hunc fructum, Hen- 13.
ricus VIII. Rex Angliæ, qui quòd rejectâ Catharinâ verâ conjuge, Filiâ Regis Hiſpaniæ, Annæ Bolenæ, aliarumquè concubinarum turpi copularetur amore, atquè hujus diuortij, factiquè, contra omnia diuina, & humana jura, vellet habere

 patro-

rogaſſetquè illum, vt Matrimonium Sacerdotum vrgeret, ſic enim ſcribit: *Vxor, & liberi mei, te ſalutant, tequè orant, vt matrimonio noſtro apud Patres ne deſis.* Cardinalis quid de hac re ſentiret, edidit ſcriptum, quod dialogum de ſacerdotum conjugio nuncupauit, vt habetur in eodem illo Tom: 1. vbi inter alia ſic ait: *Quod in orbe Chriſtiano tot ſæculis videre potuit nemo, mille quingentis & amplius annis, abſquè eo ſacerdotes in Eccleſiâ Dei fuerunt, vt ſibi ducendas vxores exiſtimarent; nunc demum, quando multò breuius tempus eſt, quàm fuit antea, propter vnum & alterum, impuros Monachos, qui jurisjurandi, quod Deo præſtiterunt, immemores, hac ratione frœna libidini ſuæ laxare conati ſunt, bonam Eccleſiæ legem, tot ſæculorum vſu receptam, & approbatam, abrogandam eſſe cenſebis?* Ita ſanctus vir in eos inuehebatur, qui hæreticorũ, vitâ & factis, ſocij jam incipiebãt eſſe. Quod niſi diuinâ ſingulari prouidentiâ factum eſſet, res tunc inchoata, & ad hæc vſquè tempora continuata, compleuiſſet jam menſuram ſuam, recepiſſetquè dignam ſe mercedem, cum tot animarum diſpendio ſempiterno. Damna tanta, & tanta infortunia variarum Rerumpublicarum, ob præjudicium honeſtati fieri ſolitum, præclaram ejuſdem opinionem, apud eos generabit, qui tenentur deſiderio illius, & cognoſcendæ, & probandæ; quique ipſa pro virili vti volunt, ad conſeruationem ejus communitatis in qua degunt.

Sectio Tertia.

Monachos ad communem cœnobitarum vitam honeſtatis reduxit neceſſitas.

HÆc fuit cauſa, quæ ſummos Pontifices, alioſquè Epiſcopos, mouit, vt Anachoretas, atq; Eremitas, communem ſocialemquè hominum Deo dicatorum vitã, in cœnobijs agere voluerint. De qua re ſcribit S Ambroſ 15.

 ad Ver-

Digitized by Google

in communem viuendi rationem, Quanquam, & aliud non minùs præſtans habuerunt ſui facti propoſitum, ſciebant quippe multas eſſe virtutes morales, quarum nedeſit exercitatio, conſortium, hominum adeſſe debet, vel omnino, vel certè ita, vt ſine eo excellens perfectaquè virtus conſiſtere nequeat. Quo enim pacto humilis, mitiſue quiſpiam eſſe poterit, niſi ſit, qui majoribus donis emineat, aut ſi non eminet, certè eminere velit, atquè ita, & humiliandi ſeſe, & patiendi præbeat occaſionem. An pietas, & juſtitia erit vſquam, niſi ſit, cui, quod ſuũ eſt reddi debeat? Quid de obedientiâ, amicitiâ, affabilitate, obſeruantiâ, gratitudine, clementiâ, miſericordiâ, veritute, alijſquè innumeris dicendum virtutibus, quarum vſus, & actio in proximos eſſe ſolet?

Quod ſi illud verè à quodam dictum eſt: *Homo homini Deus,* 18.
ſupra etiam hoc ipſo capite oſtenſum eſt, homines ab hominibus regi debere; ſequitur omninò, vt non ſolùm earum virtutum, quæ in proximos ſeſe effundunt, ſed reliquarum etiã, quas in ſe quiſquè debet exercere, & prorſus omnium, longè ſit facilior progreſſus, in ijs, qui in communitate degunt & ſuis præfectis, magiſtriſquè ſubſunt, à quibus in tam arduo honeſte viuendi negotio, ſanctè dirigantur. Hæc omnia, commendant Honeſtatem moralem per comparationem ad ſocietatem inter homines mutuam; non ea ſolùm ratione, quòd illa ad hanc tuendam conſeruandamquè apprimis ſit neceſſaria, ſed quòd etiam hæc, nempe ſocietas, ad illius exercitationẽ, atquè argumentum plurimùm cõferat, vt illud Eccleſ: 4. amicitiam inter hæc duo confirmare videtur: *Meliùs eſt duos eſſe ſimul quàm vnum; habent enim emolumentum ſocietatis ſuæ, ſi vnus ceciderit ab altero fulcietur: Væ ſoli, cùm ceciderit, non habet ſubleuantem ſe.* Verè enim meliùs eſt virtuti morali cùm ſocietate eſſe, quàm ſine illâ, & ſocietas periculoſa eſt, ſi careat virtute. Mutuas igitur ſibi Honeſtas moralis, & Societas, vices, opemquè repẽdunt, tantùmquè debet ſocietas honeſtati, quantùm honeſtas ſocietati.

Digitized by Google

Sectio Prima.

Quis ſit hoſtis animæ?

NEquè verò dubiùm vllum eſſe poteſt, animæ quoquè noſtræ aduerſari quædam, tanquam aliena, & inimica ipſi, cùm reuera, naturâ ſit, & quidem cæteris longè præſtantior, non talis tamen, vt immunis ſit ab omni eo, quod ipſi obeſſe, nocereq; poſſit. Sola & vna hujuſmodi eſt increata natura Deus, de quo, ita Sapien: 11. legimus ſcriptum: *Multùm valere, tibi ſoli ſupererat ſemper, & virtuti brachij tui quis reſiſtet? Quoniam tanquam momentum ſtateræ, ſic eſt ante te orbis terrarum* Omnis ergo alia, etiam Spiritualis, natura, habet 1.
id quod ipſi reſiſtere poſſit, quodquè noceat, etiam vſquè ad interitum, niſi cum eo, tanquam cum capitali hoſte, ſedulò decertetur,. Quis ille ſit hoſtis, & quàm infeſtus animæ, hoc lib: cap: 2. num 1. & 2. ſupra demonſtratum eſt, oſtenſumquè ab inhoneſtate impugnari animam, & ſi expugnatur. etiam occidi. De ſola mendacij inhoneſtate ita loquitur Spiritus ſanctus, Sapient: 1. *Os quod mentitur occidit animã.* Simile teſtimonium eſt Job 12. de quouis inhoneſto: *Qui faciunt peccatum, & iniquitatem hoſtes ſunt animæ ſuæ.* Quod ſi ita eſt, quemadmodum alia omnia grauiter afficiuntur, quoties à ſuis inpetuntur contrarijs; ita & animam magnas ſentire neceſſe eſt moleſtias, ſi virtute, ab inhoneſtate velut hoſte depulſa, cũ ea ſocietatem inire potius malit, ſanè periculoſam; inhoneſtas enim non virtuti ſolum inſidiatur; ſed ipſi etiam animæ, ſicut frigus aquæ: vbi enim fuerit demolitus calorem ignis, ipſam etiam ignis corrumpit ſubſtantiam. Vt au- 2.
tem meleſtias animæ ex abſentia honeſtatis oriri ſolitas percipiamus verè, quantæ & quàm acerbæ ſint; à corpore ſimilitudine accepta, facile id aſſequemur: In corpore enim humano, aut animalis cujuſq;, duo ſunt, quæ grauiter afficiunt; diuiſio continui, quæ fit per vulnera, & cicatrices, atq; inductio qua-

ctio qualitatū naturali diſpoſitioni oppoſitarum : Vtrumq; hoc in anima deprehendemus, ſi natura peccati expendatur ſubtiliùs : reuera enim hoc diuiſionem quandam efficit in anima, & ea inducit, quæ ipsā peſſimè afficiunt. Hoc ſecundum clarum eſt, nam licet culpa, & iniquitas, ſi in ſua ſumatur ſubſtantia, nihil ſit, vt docent Theologi cùm S. Thoma 1. 2. quæſt: 71, art: 5. & alibi, aſſerentes peccatum eſſe priuationem debitæ formæ, quam in anima eſſe oportebat; priuatio autem in ſe reuera nihil eſt, cùm ſit mera negatio rei, ſicut tenebræ, ſunt negatio, & abſentia lucis: licet ergo culpa, nihil ſit omnino, tamen hoc ipſum nihil, malè diſponit, affligitq; animam; quemadmodum Sol non benè ſeſe haberet, ſi priuaretur propriâ, & innatâ ſibi luce: ſic Tobias ſenex grauiter tulit cæcitatem, quæ etiam eſt mera priuatio viſus; cùm enim à Raphäele ſalutaretur dicente: *Gaudium tibi ſit ſemper,* Reſpondit Tobias: *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris ſedeo, & lumen cęli non video. Tobiæ 5.* Igitur manifeſtum eſt, malè moleſteq; ſentire animam, culpæ atq; inhoneſtatis præ-
3. ſentiam, tanquam aduerſum, quid ſibi, & inimicum. Diuiſionem quoq; non minùs imcommodè ſentit; ad quam intelligendam, reuocanda eſt in mentem doctrina, S. Thomæ 1. par. q. 79. art: 13. in ⊙ vbi tractat de Conſcientiâ: hæc enim dicit quendam cōſenſum, & quaſi ſimultaneam ſcientiam cum ijs, quæ appetitus hominis cupit, agituè: Et, ſiquidem ea appetantur, quę ratio judicat expedire tanquam recta; dicitur Conſcientia conſentire, approbare, & excuſare: Si verò agātur ea, quæ ſunt contraria recto rationis judicio, diſſonat tū conſcientia, reprobat, & accuſat, ſeparatq; ſe ab vnione, quæ inter illam, & appetitum eſſet, ſi hic non vellet oppoſita ipſi: atq; hæc eſt, quam ſupra nominaui diuiſio; non Phyſica continui ſciſſio; ſed moralis diſcordia inter intellectum & voluntatem atq; appetitum. Vtrumq; jam explicatum, nempe priòr illa mala animæ diſpoſitio, & hæc poſterior diuiſio cauſata ab honeſti præſentia, quantū animam angat, & affligat;

ſligat; luculenter docet S. Auguſt: Tom: 8. in Pſal: 45. explicando illa verba. *Deus noſter refugium, & virtus, adjutor in tribulationibus quæ inuenerunt nos nimis;* aſſeritq; ibidem, inter omnes tribulationes, non eſſe vllam quæ ſuperet tribulationem malæ conſcientiæ. Atq; inprimis taxat erro- 4.
rem, deceptionemq; eorum, qui in tribulatione quapiam conſtituti, ad aliud potiùs, quàm ad Deum confugere malunt: *Sunt*, inquit, *quædam refugia, vbi non eſt virtus, quo quiſq; cùm fugerit, magis infirmatur, quàm confirmetur. Cõfugis ad aliquem in ſæculo magnum, vt facias tibi potentem amicum; tanta tamen hujus ſæculi, infirma ſunt, & ita potentum ruinæ quotidianæ crebreſcunt, vt cùm confugeris, plus tibi timere incipias: antea tantum cauſæ tuæ timebas; cùm verò ad talem refugeris; & de illo tibi timebis. Multi cadentibus illis, & ipſi quæſiti ſunt, quos nemo quæreret, ſi non ad talia confugiſſent.*

Exploſà hac fallaci hominum in hominibus ſpe & fiduciâ, oſtendit tutiſſimum, & certiſſimum eſſe refugium Chriſtum Deum, et Redemptorem noſtrum, & quidem in quauis tribulatione: *In omni* (inquit) *tribulatione; ſiue ea ſit in re familiari, ſiue in ſalute corporis, ſiue de periculo Chriſtianorum, ſiue de aliqua re ad hujus vitæ ſuſtentaculum neceſſariâ, omnino aliud refugium non debet eſſe homini Chriſtiano, quàm Saluator ejus, quàm Deus ejus, quò cùm confugerit, fortis ſit.*

Sectio Secunda.

Conſcientiæ remorſus omnem aliam ſuperat afflictionem.

POſtremò explicat, quæ ſit omnium tribulationum ma- 5.
xima: *Verùm tamen* (ait) *inter omnes tribulationes nulla major, quàm conſcientia delictorum. Nam ſi ibi requies non eſt (quoniam ibi Deus non eſt) quò fugiet? fugiet ab agro, ad ciuitatem, à publico, ad domum, à domo, ad cubiculũ, & ſequitur tribulatio:*

à cubiculo jam, quò fugiat non habet, niſi interius ad cubile ſuũ. Porro ſi ibi tumultus eſt, & fumus iniquitatis, ſi flãma ſceleris, pellitur inde, & cùm inde pellitur, à ſe pellitur, & ecce hoſtem ſuũ inuenit ſe ipſum, quò fugiturus eſt? quocunq; fugerit ſe talem trahit poſt ſe, & quocunq; talem traxerit ſe, cruciat ſe. A ſe ipſo ſunt tribulationes, quæ inueniunt hominem nimis, acerbiores enim non ſunt: tantò acerbiores,
6. *quantò interiores.* His poſtremis verbis indicat S. Auguſtinus cauſam, propter quam acerbiſſima ſit peruerſæ tribulatio conſcientiæ: nam vt ex animaſticâ conſtat: duo conferũt ad accuratam rerum cognitionem; ita quidem, vt quantò illa ſunt magis idonea, tantò hæc ſit exactior. Horum alterum, eſt ſubtilitas potentiæ, alterum perfectio ejuſdem. Hac de cauſâ, ſenſus viuidè ſua objecta percipiunt, ſi habeant organa ſubtiliora; & Saluator noſter, acerbiùs vulnera, & dolores pertulit, eò quòd caro ipſius tenerrima fuerit & ſubtiliſſima: pari ratione interna vis ſentiens accuratiùs cognoſcit, quàm ſenſus externi. Intellectus verò omnem ſenſum longè ſuperat, propter perfectionem & ſubtilitatem potentiæ: quæ tantò eſt in modo operandi altior, quantò in ſuo eſſe interior. De Conſcientiæ ſubtiliſſimis latebris, atquè intimis ſecretis, illud habemus in ſcripturâ ſacrâ, vt præter Deum, nulli alteri, ac ne ipſi quidem homini propria ſua, ſatis, certò pateat conſcientia. Quomodo enim ſecurus de certitudine erit, qui Prouer: 14. legit: *Eſt via, quæ videtur homini juſta, nouiſſima autem ejus deducunt ad mortem.* Quis verò de ſuâ Conſcientiâ audacter præſumat, cùm audiat Paulum dicentem: *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum, qui autem judicat me Dominus eſt.* 1. Corin: 4. Soli ergo Deo penitiſſime aperta & nota eſt, ſiue juſti, ſiue injuſti conſcientia: quod prædicat Pſal: p. 7. *Conſummetur nequitia peccatorum, & diriges juſtum, ſcrutans corda & renes Deus.* Neq; alia hujus rei dari poteſt cauſa, quàm quòd Conſcientia ſit actus ſubtiliſſimæ, ac intimæ, perfectiſſimæq; in homine facultatis, nempe Intellectûs, liberè ex conſortio voluntatis, & ſecretiſſimè operans.

Meritò

Digitized by Google

Meritò jam S. Doctor acerbiſſimum conſcientiæ malæ remorſum aſſeruit eſſe (ſicut & eſt reuera) nam quemadmodum notitia intellectus, appetitioue voluntatis, omnem aliam quâ externi, quâ interni ſenſûs, appetituſue ſenſibilis ſuperat ſubtilitate & perfectione: ita & acerbitate. Rectè etiam & dignè ſuo ſubtili ingenio dixit Auguſtinus: *A ſeipſo ſunt tribulationes, quæ inueniunt hominem nimis, acerbiores enim non ſunt, tantò acerbiores, quantò interiores, ſcilicet; in ſubtiliſſimis potentijs.* Hanc tantam acerbitatem Iſaias Propheta cap: vltimo exagitat: deſcribens enim damnatorum pœnas æternas. duas velut maximas ponit, & inter eas primo recenſet loco, cruciatus malæ conſcientiæ: *Et egredientur,* inquit ille, *& videbunt cadauera virorum, qui præuaricati ſunt in me; vermis eorum non moritur) hic vermis eſt cruciatus malæ conſcientiæ) & ignis eorum non extinguetur, & erunt, vſq; ad ſatietatem viſionis omni carni.* Non alium vermem gerebat in corde inuidus oſor fratris ſui, Cain, cujus vices miſerans ipſe Deus, quæſiuit aliquando ab illo. *Cur concidit facies tua?* Gen: 4. Simul ſubjunxit cauſam tanti palloris & maciei, non aliam ſanè, quàm conſcientiæ vermem: *Nonne ſi benè egeris, recipies, ſin autem malè, ſtatim in foribus peccatum tuum aderit.* Eundem cruciatum tam acerbum ſenſit, infelix Judas, vt putauerit leuamen fore tanti mali, laqueum collo inſerere, finemq; vitæ ſuſpendio afferre. Simili torquentur animæ carnificinâ, quotquot patrati ſceleris cōſciam retinent mentem. Neq; verò alia eſſe poteſt huic malo medicina, quàm honeſti amor, qui vel commiſſa diluit piacula, vel prohibet ne committantur, ſic enim moleſtiâ, & cruciatu ſuo priuabitur anima. Quæ res magnam apud omnes virtuti, atq; honeſtati debet conciliare laudem. Nam ſi *tranquillitas mentis, pax, & gaudium, ſuperat,* teſte S. Paulo ad Phili: 4. *omnem ſenſum*: id eſt, omnem delectationem, felicitatemq; corporalem, quanti facienda eſt honeſtas, vitaq;, ad illius regulam compoſita, quæ tranquillitatem illam affert, & pacem? Hanc quis optat, qui verò ſibi adeò nequam eſſe velit,

vt tantum negligat bonum? legem ſibi perennem imponet, ne ab honeſtate (quantùm per vires licebit) aberret vnquam, ne aliquando aberrando diu doleat, lugeat, luatq; ſui erroris
7. pœnas: quarum quidem duo genera videntur eſſe. Primum, intelligentiæ cauſa, vocemus actualem pœnam, toties in animâ ſequi ſolitam, quoties honeſtas vim patitur. Nam vbi quis admiſit actum, patrauitq; opus, quod non debuit; mox cogitur experiri triſtitiā, carnificinamq; jam explicatā, quā nollet, vt rectè dixit S Auguſt: Tom.1. l. 1. Con: c.12. *Iuſſiſti Domine, & ita eſt, vt omnis animus inordinatus ſit pœna ſibi ipſi.* Alterum pœnæ genus, poſſumus potentiale vocare, quod in vitijs, prauiſq; reſidet habitibus: Experimento ſiquidem probamus, majorem eſſe ad rectè agendum, in illis difficultatem, qui ad innatum fomitem, ac propenſiones animi addunt vitia, quibus illæ roboratæ, potentiſſimè reſiſtunt virtuti. Propterea in vitioſis, & malè habituatis, ſi quando ad bene operandum ſeſe applicant. Exoriuntur tædia, angores, moleſtiæ, difficultates, perplexitates, timores, triſtitiæ, cæteræq; adeò exitiales peſtes, vt ſæpenumero virtus, vitaq; honeſta odio habeatur; & velut id, quod omnes animæ ſuperat vires, relinquatur prorſus. Has peſtes in ſe initio expertus clamabat S. Paulus Rom: 7. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis: Infelix homo quis me liberabit de corpore mortis hujus.* Quod ſi hic tantus vir, Apoſtolicâ præuentus & munitus, hoc eſt abundatiſſimâ gratiâ, tantam naturæ, & vitiorum ante conuerſionem acquiſitorum ſenſit inſolentiam, repugnantiamq; ; quid tenendū de reliquis, qui gratiâ inferiores ſunt, naturâ, & vitijs pares, aut etiam ſuperiores? Omnino ne repugnantia hæc, pœnas nuper memoratas augeat in immenſum, & conantem ad virtutem opprimat ſuâ mole, ſemper quâ in magnis, quâ in paruis, vacandum honeſtati, vt quò hæc fuerit operatione crebrior: eò fiat ſuauior, & jucundior vſu, ac poſſeſſione: ab aſſuetis enim, etiam duriſſimis, minor, aut tandem nulla remanet paſſio.

CA-

Digitized by Google

CAPVT V.

Oſtenditur neceſſitas virtutis moralis acquiſitæ, ex communi obligatione cujuſuis creatæ rei tendentis in Deum.

SI *flumina* vt teſtatur Eccleſi: cap: 1 *intrant in mare, ad locum vnde exeunt reuertuntur, vt iterum fluant*: res profectò 1.
omnes creatæ, quæ à diuinæ ſubſtantiæ fontali immenſitate, velut quidam riuuli profluxerunt, ad eandem rurſus, certâ quadam ratione debent reuerti, vt iterum fluant, ſiue vt cōſeruētur in eo, quod ex illo perenni hauſerunt fonte. Porro ſicut diuerſa eſt cujuſq; rei natura, ita diuerſâ id agit viâ, & ratione. Nam quæ ſunt duntaxat, neq; viuendi, aut cognoſcendi vigent facultate, non aliter in Deum feruntur, quàm naturali, & inſitâ ſibi appetentiâ, inclinando in id, vt ſemper & quàm diutiſſimè eſſe poſſint, atq; in hoc aſſimilētur Deo Creatori, qui nunquam deſinit eſſe, in eoq; per hanc ſimilitudinem diu durandi, quodammodo requieſcant, nihil amplius appetendo. Illa verò quæ viuunt, cùm in ſe ob naturæ corruptionem, ad definitum durent tempus, in ſua ſobole expetunt, quandam viuendi continuationem, & vel ſic imitari æternitatem diuinam. Aliter cognoſcitiua tendunt in Deum, vt enim ipſe ſuo diuino, jucundoq; fruitur bono: ita & illa, quæ poſſunt ſenſu apprehendere jucunda, eadem appetunt, ſimilitudinem in hoc Dei in ſe referentes. Deniq; homo, qui hæc omnia peculiari, ſibiq; proprio, nempe intellectiuo ſuperat gradu, ſingulari quoq; modo fertur in Deum, cognoſcit quippe in illo eſſe omne id, quo humanus expletur appetitus, neq; præter, aut vltra illum, reperiri quidquam aliud, in quod vltimò tandem ferri poſſit, aut debeat, in eo ergo quieſcit. Id quod latiùs explicabitur lib: 2. cùm de Spe, & Charitate Dei agetur. Hîc, vbi eſt ſermo

Digitized by Google

de virtute morali, præſertim acquiſitâ, ſolùm oſtenditur neceſſitas ejus, ex vi obligationis omni creatæ rei, multoq; magis intellectiuæ debitæ. Nam vt omnia alia, ita homo quoq; in Deum ferri debet, vt verè dixerit Ariſtoteles 2. de Animât. 34. *Omnia appetunt diuinum eſſe.* Jam verò virtus mo-
2. ralis qua in Deum tendimus, eſt religio diuina, quia (vt docet S. Thom: 2.2. quæſt: 101. art: 1. & quæſt: 102. art: 1.) quēadmodum parentibus debent Filij reuerentiam atq; obſequium, eò quòd ab illis progenerentur, educenturq;, majoribus etiam obſeruantiam debemus, in quibus videmus aliquam excellentiam: ita Deo cultus & religio exhibenda ſunt, à quo procreamur, gubernamur, conſeruamur, & tan-
3. quam à primo principio omnimodè dependemus. Hæc Religionis virtus varias habet operationes, quibus homines in Deum ordinat, & aliquæ ex illis ſunt omnibus neceſſariæ, nimirum præceptæ omnibus, vt eſt cultus latriæ, & obſequium Majeſtati diuinæ debitum: talis etiam eſt oratio. Alij actus ſunt certis impoſiti perſonis, quale eſt Sacrificium à Sacerdote offerendum, & decimæ ab illis dandæ, qui ad eas obligantur. Deniq; ſunt quædam, quæ ad conſilium, & placitum cujuſq; ſpectant, vt ſunt vota, ſiue ſtatus, & religioſæ vitæ, ſiue variorum operum pietatis. Hæc omnia opera, quanti ſint æſtimanda, & quæ illorum ſit vtilitas, neceſſitaſuè, oſtendetur part: 2. hujus primi lib: cùm agemus de religione à cap: 10. interim, vel ex eo intelligi poteſt, quòd ſtatim à creatione hominis, cupidiſſimum ſe eorum præſetulit Deus. Hāc enim fortè de cauſà legimus factum, Gene: 2. *Formatis Dominus Deus ex humo cunctis animantibus terræ, & vniuerſis volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam,* vt ſcilicet haberet, quæ Deo ſacrificaret, in recognitionem conditionis ſuæ, debitiq: ſuo Creatori cultùs, & obſequij. Propterea etiam prima, quæ à condito orbe erant ſibi oblata, à primis duobus fratribus ſacrificia, voluit memoriæ mandari, Gene: 4. Simul & modum deſcribi, quo ab vtroq; præſtita ſunt, ſanctè

& piè

Digitized by Google

& piè ab Abel, peruerſè à Cain, vt ſignificaret omnes homines, quemadmodum ſunt pares naturâ, iiſdem parentibus prognati, ita & pares obligatione colendi Deum eſſe debere, quam qui debitè explet cum Abel, cum eodem præmia recepturus viuit, & moritur: qui verò ſuo muneri, ſecutus Cain, iniquè deeſt, eâdem, quâ ille pœnâ in æternum eſt cruciandus. De omnibus qui hunc malum ducem, malè ſequuntur, queritur Deus, Malach: 6. *Filius honorat Patrem, & Seruus Dominum ſuum, ſi ergo Pater ego ſum, vbi eſt honor meus? & ſi Dominus ego ſum, vbi eſt timor meus, dicit Dominus exercituum.* Nouerat hæc, ipſa etiam cæca gentilitas, quæ etſi Deum ignorauerit verum, ſemper tamen illum, quem pro Deo habuit, colendum putauit, variaſq;, & grauiſſimas inſtituit pœnas, pro illis mulctandis, qui cultum Deorum aliqua prophanabant ratione. Sunt ejus rei teſtimonia manifeſta virgines Veſtales, ſi quando caſtitati notam inſperſerunt.

Sectio Prima.

Religio in Deum maximè exercetur per verum Sacrificium Miſſæ.

EAndem Dei voluntatē, noſtriq; muneris partes multò clariùs manifeſtauit Fides diuina, præſertim in lege gratiæ, in qua in primis Sacrificium, eſt longè excellentiſſimum cæteris omnibus, quæ vnquam fuerunt, cùm omnia alia, hoc vnicum (in quo Chriſtus Filius Dei, Deo Patri ſub ſpecie panis & vini offertur, incruentè, verè tamen & viuè) tanquam vmbræ, Corpus, & figuræ, rem ipſam, multifariam multiſq; indicabant modis, vt magna reprehenſione, ſimul & commiſeratione digni ſint, noſtri temporis hæretici (vetuſtioribus nihilo in hoc inferiores) qui ſacrificium nouæ legis, velut commentum quoddā detrectant, contra quèm credidit tota ſemper in Eccleſia Chriſti antiquitas, vt teſtis 4.

eſt vnus

Digitized by Google

eſt vnus ex antiquiſſimis Patribus S. Auguſt. qui Tom: 3. lib. 4. de Trinit: cap: 14. cùm probaſſet Christum Dominum, etiamnum eſſe ſacrificatorem (per Sacerdotes, ſuos in hoc ſacrificandi munere ſucceſſores) oſtendit, illud quod offertur, quodq; ſumitur eſſe carnem humanam, quam ille ex Virgine Matre accepit, ſic ergo ibi loquitur: *Et quid tam congruenter ab hominibus ſumeretur, quod pro eis offerretur, quàm humana caro? Et quid tam gratè offerri, & ſuſcipi poſſet, quā Caro ſacrificij noſtri, corpus effectum Sacerdotis noſtri? Et quid tam mundum pro mundandis vitijs, mortalium; quàm ſine ullâ contagione carnalis concupiſcentiæ, caro nata in vtero, ex vtero virginali?*

Sectio Secunda.

Sacrificium Miſſæ mirè prodeſt viuis & defunctis.

5. HOc loco docet S. Auguſt: beneficium hoc nouæ legis prodeſſe vnicè viuis: at verò eodem Tom: 3. in Enchiridio c. 108. mortuis etiam, docet vtiliſſimū eſſe, quorum animæ, neq; ſunt in cœlo, vbi ſi eſſent, non egerent illâ ope, neq; in inferno, vbi non poſſent juuari, licet ſummè egerent. *Neq;*, inquit, S. Auguſt: *negandum eſt defunctorum animas, pietate ſuorum viuentium releuari, cùm pro illis ſacrificium mediatoris offertur, vel eleemoſynæ in Eccleſiâ fiunt: ſed eis hæc proſunt, qui cùm viuerent, vt hæc ſibi prodeſſent, meruerunt. Eſt enim quidam viuendi modus, nec tam bonus, vt non requirat iſta poſt mortē; nec tā malus, vt ei non proſint iſta poſt mortem: tempus autē quod inter hominis mortem, & vltimā reſurrectionem interpoſitum eſt, animas abditis receptaculis continet, ſicut vna quæq; digna eſt, &c.* Deniq; Tom: 2. Epiſt: 118. cap: 5. & modum ſacrificij hujus immolandi præſcribit illum, quem vniuerſa tenet Catholica Eccleſia. Nam cùm mouiſſet dubium, liceret, nec ne feriâ quintâ Hebdomadæ ſanctæ bis Miſſam celebrare, ſemel manè, vt fit ordin-

ordinariè,deinde veſperi,in memoriam Chriſti, qui die Jouis magno veſperi ſe ipſum ſub ſpecie panis & vini Deo Patri obtulit? Hoc dubiũ reſoluit, ad Eccleſiæ vniuerſalẽ remittendo conſuetudinem: *Si quid,* inquit, *horum tota frequentat Eccleſia, quin ita faciendum ſit, diſputare inſolentiſſimæ inſaniæ eſt.* Sed hæc, & plura alia adducentur loco ſuo, de religione, in parte 2. hujus lib: cap: 14. nunc ſatis eſt intelligere, hanc eſſe primam, & excellentiſſimam religionis partem, quam Fides edocet Chriſtiana. Eandem ritè exhibent Deo, inprimis ad id munus deſtinati Sacerdotes, qui puritate, & innocentiâ vitæ muniti (ad quam monet S. Auguſt: tract: 26. in Joann: cùm ait, *Innocentiam ad altare portate*) additâ inſuper omni curâ, & diligentiâ (talem enim hoc tantum, & vnicum in Eccleſia Chriſti dignitate, exigit opus) quotidie, 6. aut ſi id juſtis de cauſis non licet, quàm creberrimè rem diuinam peragunt, viuis & defunctis vtiliſſimam. Eidem ſaluberrimo negotio cooperantur omnes alij, etſi non ſacerdotes, qui præſentiâ ſuâ, & mentis deuotione, ſe, ſuâq; cum hac oblatione Deo deuouendo, ſacerdotum proſequuntur vota, tria inde eaq; majora, quàm ex vllo pietatis opere (cæteris tamen paribus) reportantes commoda, meritum videlicet ſalutis, & ad eam conferentium; deinde impetrationem eorundem, aliorumq; vitæ conducentium mortali; demum ſatisfactionem pro pœnâ peccatis debitâ. Id quod omnes docent Theologi cum S. Thoma in 3. par: et nos dicemus ſuo loco, vt jam promiſi.

Et quia tot, caduca & ſempiterna bona, affert fidelibus Euchariſtia Sacroſancta, ſapientiſſimè, & ad mentem prorſus 7. Chriſti Saluatoris (qui ad noſtra ſemper attendit commoda) ab Eccleſiâ eſt ordinatum, vt hoc excellentiſſimum Sacrificium quotidie ſemper, & vbiq; terrarum celebretur. Quod de primis ſtatim à Chriſto temporibus, teſtatur S. Augu: Tom: 2. Epiſt: 23. *Semel,* inquit, *immolatus eſt Chriſtus in ſemetipſo,* 8. *tamen in Sacramento, non ſolum per omnes Paſchæ ſolennitates; ſed*

 omni

omni die populis immolatur. Cùm verò ea ſit terræ cōſtitutio, quâ intra viginti quatuor horas, Sol motu cum cæteris orbibus continuò totam decurrit, luſtratq;, vt eædem vigintiquatuor horæ diem conficiant naturalem, ſi quotidie vt teſtatur S. Auguſt: populis fidelium Chriſtus immolatur, fatendum eſt, nullâ horâ Eccleſiam vacare à ſacrificando, quemadmodum nulla hora eſt, quâ non ſit dies in aliquâ terræ parte. Vtrumq; hoc & perēne ſcilicet ſacrificiū, & omnibus cumulatiſſimum bonis, à ſanctis Prophetis clariſſimè eſt prædictū. Primum quidem Malachiæ 1. vbi poſtquam Deus conqueſtus eſt, de ſacerdotibus veteris legis, hiſce verbis: *Ad vos ô ſacerdotes, qui deſpicitis nomen meū*; laudat deinde futuros legis gratiæ ſacerdotes, qui in omni loco erant oblaturi ſacrificium nouū, & omnibus ita vſu notum, vt eſt notus perennis dies: *Ab ortu*, inquit, *ſolis vſq; ad occaſum, magnum eſt Nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur oblatio munda, quia magnum eſt Nomen meum in gentibus. dicit Dominus exercituū.* Et cap. 3. idem Propheta, excurrit in laudem dicti ſacrificij perennitatem illius, diei comparando: *Et placebit*, inquit, *Domino Sacrificium Iudæ, & Hieruſalem, ſicut dies ſæculi, & ſicut anni antiqui.* Zacharias verò cap: 9. excellentiam Euchariſtiæ ſuper omnia præfert bona, vt illum locū interpretatur S. Hieronymus, & alij: recenſitis enim varijs Chriſti Meſſiæ in homines beneficijs, vltimum quaſi colophonem reliquorum, & quo nihil plus, nihilq; præſtantius Deus homini contulit, ponit hoc ſacrificium, in quo ſub ſpecie panis & vini, ſe ipſum largiri dignatus eſt: *Quid enim*, exclamat Propheta, *bonum ejus eſt, & quid pulchrum ejus, niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines.* Hæc bona atquè emolumenta admirabilis hujus ſacrificij, qui fide diuina illuſtratus agnouerit, & expenderit debitè, omnem profectò dabit operam, vt quàm creberrimè. & accuratiſſimè illud peragat, ſiue offerendo, vt Sacerdotes; ſiue aſſiſtendo, vt

quiuis

Digitized by Google

quiuis alius, aut inſuper etiam de altari participando, quod in primitiuâ Eccleſiâ fuit ſolenne per ſingulos dies, nunc tantò fit id rariùs, quantò magis Charitas refrigeſcit. Nouerat 9.
bene inſignes hoſce fructus è ſacrificio veluti è perenni & immenſo bonorum fonte, in fideles promanantes, Fundator Societatis noſtræ S. Ignatius, ſenſerat quoq; frigus occupaſſe plurimorū animos, ad quod depellendū inprimis, in ſui ordinis hominibus, ſtatuit, vt Sacerdotes quotidie rem diuinam peragerent, reliqui, vel nondum gradum Presbyterij conſecuti, vel ſemper eo carentes, octauo quoq; die (præter ſolēnia feſta) ſacram perciperent ſynaxim, præmiſsà exomologeſi, quam Sacerdotes crebriùs in hebdomadâ frequentant: cæteraq; tum hi, tum omnes reliqui adhibent media, quibus ad tantū myſteriū dignè præparentur: ipſe verò ſanctus Pater, in more habuit, quotidie vnā ante celebrationem Miſſæ impendere horam. Hac tali, à ſe, ſuiſq; inchoatâ diligentiâ, effecit vir ille, vt vetus in Euchariſtiam deuotio, feruorq; mentis, magnâ ex parte Eccleſiæ ſit reſtitutus: Et optimè quidem, nihil enim illa habet, aut excellentiùs, aut ad obtinenda ſumma bona vniendumq; hominem Deo accommodatiùs, quàm hoc Religionis Chriſtianæ primum, & diuiniſſimum opus.

Sunt & alia duo ejuſdē virtutis, Religionis nempe, officia, quæ hominem referunt in Deum, ipſumq; vniunt, oratio, & votum. Illa Deum quodammodo ad hominem adducit, ſupplicando Majeſtati ejus, vt condeſcēdere dignetur ejus egeſtati ſuâ potentiâ & clementiâ: hæc, ipſum hominem, cæteraq;, quæ ejus ſunt, tribuit Deo, quoties ſe, ſuaq; offert, vouendo. Vtrumq; horum longè ampliùs, & perfectiùs exercetur, iſto gratiæ tempore, quàm vllo alio ante ipſam: ante enim, vel nulla erant templa, in lege videlicet naturæ, vel vnum ſolum in lege veteri, ad orandum Deum conſtitutum; nunc verò, cùm & templa, & oratoria ſint innumera, & præter hæc loca plurima viris, fœminiſq; Deo religioſè atq; ex

voto ſeruientibus, nullum eſt dubiū, tam orationem, quàm vota, crebriùs atq; excellentiùs nunc, quàm alias vſurpari, vt de hoc tempore veriſſimè dixerit Saluator: Joan: 12. *Ego cùm exaltatus fuero, omnia traham ad meipſum.* Non eſt hujus loci, latiùs explicare modum, quo homo ad Chriſtum trahatur; ſatis eſt hic oſtendiſſe religionem, atq; adeò virtutem moralem, vel ex hoc capite, eſſe apprimè neceſſariam, quòd illū in Deum ordinet, ad quem, ſe referre ipſe omnino debet, niſi velit à fine ſuo aberrare, oblitus non periculi ſolùm, ſed certi ſui exitij.

Hæc in communi de Honeſtate morali dicta ſufficiant.

CAPVT VI.

Quid ſit Prudentia? & quæ illam promoueant, aut impediant?

APud omnes, qui de Honeſtate morali agunt, in confeſſo eſt, quatuor eſſe virtutes, ad quas reliquæ, quæ morales dicuntur, debēt reuocari: nempe, ad Prudentiam, Temperantiam, Fortitudinem, Juſtitiam: propterea etiam eædem quatuor, vocantur Principales, ſeu Cardinales. cauſam verò hujus appellationis, inter alias, dat hanc S. Thom: 1. 2. quæſt: 61. art: 1.2.3 4. quòd, cùm virtus ſit illa, quæ præſtat boni, & honeſti vſum, vt quod ex illa procedit, non ſit, niſi rectū & laudabile; hæ autem quatuor Virtutes dent hujuſmodi vſum in quatuor generalibus materijs, quibus velut cancellis quibuſdam, omnes humani cōprehenduntur actus morales, meritò hæ virtutes appellantur Principales, ſiue Cardinales; in quibus, vt cardinibus porta, ſic tota vertitur, & innititur vita humana. Vna ex his materijs, eſt rectum omnium operationum moralium regimen, quod ad Prudentiam ſpectat: altera boni ſenſui grati, moderata, honeſtaq; appetitio, quā efficit Temperantia: tertia firmitas, & Con-

Digitized by Google

ſtantia, in honeſtate, quantumuis arduâ, & ſenſui repugnante, id quod præbet Fortitudo: vltima eſt, alijs debitè, ſine vllius damno, ac nocumento affici, quod dat Juſtitia.

Generales harum virtutum Materiæ vocantur, nullus e- 1.
nim actus moralis in ſpecie, aut in indiuiduo dari poteſt, qui non pertineat ad aliquam enumeratarum jam virtutum quatuor, & ad cuiq; commenſuratam materiam. Triplici autem ratione reuocantur omnes virtutes morales acquiſitæ, ad has quatuor etiam acquiſitas, vt explicat S. Thom: 2. 2. q. 143. art: 1. Primò, velut partes integrales, quæ ſunt conditiones quædam ad complementum virtutis requiſitæ: hoc modo, verecundia Temperantiam complet; temperans enim, cauet ne quid ſenſui concedat, quod cum oblectatione habeat annexam aliquam turpitudinem, quam meritò erubeſcat. Aliæ partes, dicuntur potentiales, quæ imitantur modum agendi in ſuis materijs illum, quem tenet virtus aliqua principalis, in ſuâ principali materiâ: ita humilitas ſpectat ad Temperantiam, virtutem principalem; vt enim hæc moderatur delectationes tactui jucundas, ita illa temperat oblectationem honoris animæ gratam. Poſtremæ partes ſunt, propriæ ſpecies virtutis, tanquàm ſui generis, ita temperantiæ pars eſt Caſtitas. Sed jam de ſingulis quantum propoſito noſtro ſeruiunt agendum, & in primis de Prudentiâ. Inter omnes enim doctrinas morales acquiſitas, meritò Prudentia primò eſt explicanda, quæ cæteris lumen præfert, & ſine quâ nulla conſiſtit; quemadmodum, neq; dies abſq; ſole. Rectè ſoli comparanda eſt Prudentia, vt enim 2.
infimum elementum terra, luce diurnâ illuminata, producit vberrimos fructus, quos nequaquam produceret priuata lumine ſolis: ita inferior pars hominis (nimirum voluntas, atq; appetitus) pulcherrimos edit fructus virtutum, adjuta luce prudentiæ; quâ abſente, prorſus infæcunda remaneret. Hanc ob cauſam Philoſophus 6. Ethicorum cap: 5. vocat Prudentiam, rectam rationem agibilium, per agibilia omnes

Digitized by Google

intellexit motiones appetitûs, internas, & externas operationes comites illarum. Hæc igitur agibilia honeſtatis ſortiuntur naturam, quando à ratione prudentiæ rectè imperantur, futura aliàs inhoneſta, ſi defuerit rectitudo rationis. Quapropter optimè ſuadet Spiritus ſanctus, Prouer: 2. cujuis mortaliũ, qui juſtitiæ viam apprehendere cupit, æternamq; conſequi ſalutem, vt hanc rectam rationem comparare ſibi non grauetur: *Fili,* inquit, *inclina cor tuum ad cognoſcendam prudẽtiam, ſi enim inclinaueris, ſi quæſieris eam quaſi pecuniam, & ſicut theſauros effoderis illam, intelliges timorem Domini, & ſcientiam Dei inuenies, quia Dominus ſapientiam dat, & ex ore ejus Prudentia: cuſtodiet rectorum ſalutem, ſeruans ſemitas juſtitiæ, & vias ſanctorum cuſtodiens. Tunc intelliges juſtitiam & omnem ſemitam bonam, conſilium cuſtodiet te, & prudentia ſeruabit te, vt eruaris à viâ malâ.*
3. Singula hæc Spiritûs diuini pronunciata ponderibus ſuis grauia ſunt. Atq; inprimis, non ſine cauſa inducit hominem, vt inclinet Cor ſuum ad cognoſcendam prudentiam. Quantumuis enim quis cætera omnia, quæ in hac mortalitate expetuntur, habeat, opes, honores, felicitatem: quantumuis naturâ ſagax, judicio clarus, ingenio celer & ſubtilis, doctrinâ præſtans, atq; eruditus; his tamen non contentus, prudentiam debet optare, fidemq; dare Deo perſuadẽti, vt illã inquirat, propterea, quòd ſalus æterna, omnibus bonis hujus vitæ longè præſtet; illam porro non conſequitur niſi prudẽs, & rectus. *Dominus*, inquit ſapiens, *cuſtodiet rectorum ſalutem*, ſcilicet poſt mortẽ cuiq; prudenti reddendam. Docet deinde optimus Magiſter idem Spiritus, neminem cum Prudentiâ naſci, ſed illam perinde inquiri debere, atq; ſolẽt quæri theſauri in terrâ defoſſi, qui & laborioſè, & rarò inueniuntur.

Sectio Prima.

Rara in hominibus Prudentia.

4. RArus eſt omnino theſaurus Prudentia in homine, quod non obſcurè innuitur hoc ipſo in loco, & illuſtriorem illum reddit teſtimonium S. Job c. 28. qui, vt oſtenderet

Digitized by Google

pretium,atq; excellentiam Prudentiæ, factâ ejus cum pretioſis rebus comparatione, inquirit locū, vnde eam, velut theſaurum, eruere poſſit, & viam ac rationem habere illius aſſequēdæ; Sic ergo orditur ſuum propoſitum: *Habet argentum venarum ſuarum principia, & auro locus eſt in quo conflatur: Ferrū de terrâ tollitur, & lapis ſolutus calore, in æs vertitur: Locus Sapphiri lapides ejus, & glebę illius aurum.* Multa ſimilia recenſet, quorum & receptacula, & modū, quo fiant, refert ad naturæ abdita, quæ perſpicaci intellectu percipiuntur tandem. De Prudentia autem ita loquitur: *Sapientia vbi inuenitur? & quis eſt locus intelligentiæ? neſcit homo pretium ejus, nec inuenitur in terra ſuauiter viuentium. Abyſſus dicit, non eſt in me, & mare loquitur, non eſt mecum. Non dabitur aurum obriſum pro eâ, nec appendetur argentum in commutatione ejus; Excelſa & eminentia non memorabuntur comparatione ejus.* Hìc Sanctus vir præfert Prudentiam, omni eminentiæ, opibus, & ſuaui ac voluptuoſæ vitæ: & cùm mortales ſciant rationem, qua hæc aſſequantur, additâ virium ſuarum induſtriâ, de Prudentiâ aſſerit ignorari. *Abſcondita eſt*, inquit, *ab oculis omniū viuentium: Perditio, & mors dixerunt: Auribus noſtris audiuimus famam ejus.* Poſtremò docet non ab alio ſperandam eſſe, quàm ab ipſo Deo, cauſamq; aſſerit, quòd Prudentia, ſeu Sapientia, de qua loquebatur, ſit tale diuinum munus, quod in animis mortalium, timorem Dei, omnemq; efficiat pietatē. Quæ cùm ſint (vt Fides Catholica docet) merè gratuita diuinæ liberalitatis dona, per præuenientes gratias in nobis, ſine nobis; ſolita comparari, neq; ad illa, vlla noſtra ars, induſtria, & labor valet conſequenda, jure optimo Prudentia velut Mater, & Operatrix horum omnium, Deo ſoli adſcribenda eſt, vt teſtatur ibidem Job, cùm ait: *Deus intelligit viam ejus, & ipſe nouit locum illius,* non alium profectò, quàm ſe, ſuamq; prouidentiā, ac piam in homines volūtatem, quâ ab ipſo exordio mundi vſus eſt. *Ipſe enim*, proſequitur Job, *fines mundi intuetur, & omnia quæ ſub cœlo ſunt reſpicit, quando ponebat pluuijs legem &c. Tunc vidit illam, & enarrauit,*

& præ-

Digitized by Google

& præparauit, & inueſtigauit, & dixit homini: Ecce Timor Domini ipſa eſt Sapientia, & recedere à malo intelligentia. Deus ergo eſt locus prudentiæ, in illo quærēda, vbi præparata eſt, ab illo expectanda, qui inueſtigauit modum, & rationem ejus adipiſcendæ, & enarrauit eundem. Eſt autem hic modus, liberalis tanti doni largitio diuina præcedens omne meritum, laborem, atq; conatum noſtrum. Hoc teſtimonium S. Job, cōfirmat illud Salomonis ſupra poſitum, de Prudentia, conuincitq; illam rarum eſſe theſaurū, eò quòd rarò reperiantur ea, quæ, vbicunq; eſt illa, præſtat omnino, nempe, ſolidam pietatem, & timorem diuinum: ſolidam, inquam, non enim inficias iuerim, reperiri crebriùs opera quædam pietatis; non tamen omnia, quæ vnumquemq; deceant, aut ſi omnia, ad breue ſanè tempus. Illā ergo raram affirmo Prudentiam, quæ ad omnem pietatem, omni tempore, pro ſtatu, & conditione, hominis ſufficiens eſt. Hanc talem a ſolo Deo Salomō pollicetur, cùm ait: *Dominus dat Sapientiam, & ex ore ejus Prudentia,* quaſi velit dicere; Quemadmodum ore, & verbo Dei ſunt procreata omnia, neq; ad id ſuas contulère vires, ita Prudentia à ſolo Deo conceditur homini, ad quam ipſe nihil proprium dedit, niſi id, quod eſt accepiſſe. Itaq; tanti theſauri locus, & omnis inueniendi ratio, nulla alia in humanis viribus eſt, præter ſolum os, potentiam, & liberalitatem diuinam.

6. Hæc elogia etſi Prudentiæ infuſæ, ac ſupernaturali maximè conueniāt, quippe, quæ ad timorem Dei, & pietatem, ex qua ſalus æterna pendet, ſit neceſſaria; nihilominus fatendum eſt, ſeruire eandem acquiſitæ quoq; Prudentiæ, non ideo ſolum, quòd hæc illi obſecundet, & ſe comitem in agendo præbeat (gratia enim non reſpuit naturam, quin potius illam perficit, roborat, munitq; ſuâ præſentiâ,) ſed etiam ideo, quòd, vt docent Theologi cum Diuo Thoma 1. 2: quæſt: 109. art: 4. in operibus quæ non excedunt quidem ex objecto ſuo limites naturæ, habēt tamen graues annexas difficultates, ſuperantes innatam facultatem, nunc præ-

ſertim

ſertim in ſtatu naturæ corruptæ; in his, inquam, operibus exercendis, Prudētià eſt opus, naturali quidem ex objecto, ſed tali, quæ eget ſingulari diuino auxilio, & concurſu, naturæ minimè debito, ac proinde, ex merè diuinâ & gratuitâ liberalitate. Quare non ſolum ſupernaturalis, ſed & naturalis Prudentia, ſingulare eſt, & gratuitum Dei donum. Exemplo id declarandum; Caſtitas V. G. aut Sobrietas, eſt ex objecto virtus moralis, acquiſita, egens Prudentià etiā acquiſitâ; quia tamen eſt valde difficilis, eget ſingulari Dei ope, ita qui ex gentilibus caſti, aut ſobrij fuerunt; non ſuis viribus ſolis, ſed Dei auxilio id conſecuti ſunt. Quanquam & 7.
alio quodam reſpectu Prudentia etiam acquiſita, peculiare Dei donum dici debet. Nam, cùm (vt docet Ariſtoteles 6. Ethic: cap. vltimo, quem ſequitur S. Thomas 2. 2. quæſ. 166. art: 2. ad 1.) Prudentia ſit complementum, & perfectio omnium virtutum moralium, eò quòd præſcribat formam, & rationem cuicunq; illarum; cùm etiam à Deo homini eadem concedatur, ad bonum illius atq; vtilitatem (ſicut & omnia alia, quibus vtitur) ſequitur Prudētiam eſſe ſingulare Dei munus, & prorſus diuinum datum, eò quòd ſit inſigne atq: excellens. Ea enim quæ ſunt magna, Deo ſolent in ſcripturâ tribui; ita Pſal. 36. legitur de Dei Juſtitiâ: *Iuſtitia tua ſicut montes Dei*, id eſt montes maximi: ita ergo Prudentia eſt donum Dei, quia eſt donum maximum. Hoc planè voluit docere S. Jacobus Apoſto: in ſua Epiſt: cap. 1. cùm dixit: *Omne datum optimum & omne donum perfectum, deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum.* Non quòd alia minùs bona, & perfecta data non ſint à Deo, ſed quòd optima peculiari ratione optimum deceant largitorem Deum: *Magnos enim*, dixit ille, *magna decent.* Accedit his, quod experientia ipſa docet, multos reperiri, alijs etiam animi ornatos bonis, nimirum, memoriâ, ingenio, eloquentiâ, & ſimilibus, qui autem excellant Prudentià, præſertim ſolidâ, paucos eſſe; quales Diogenes Philoſophus quærebat, quando luce meridianâ forum

rum refertum hominibus deambulans cum lucernâ dicere ſolitus erat; *Hominem quæro,* vt refert Laertius lib: 6.

Itaq; cùm tot nominibus Prudentia ſit magnum Dei donum, magni profectò æſtimanda, & tum quærenda ſtudio, ac labore proprio, naturalis videlicet & acquiſita; tum Dei motioni promptè dandus in animo locus, quoties ad acceptandam ſupernaturalem prudentiam, diuinitùs excitamur.

Sectio Secunda.

Quod ſit munus, & quæ vis Prudentiæ?

8. SEd jam videndum reſtat, quænam ſint illi contraria, aut inimica, quævè ejus natura. Quod facilè intelligetur, ſi aduertamus, id, quod docet S. Thom: 2. 2. quæſt: 47. art: 7. munus prudentiæ, ſeu virtutis intellectualis eſſe præſcribere medium omnium virtutum moralium, quæ in voluntate, atq; appetitu ſedem habent, vt per illud in fines ſuos, bonumq; tendant proportionatum. *Temperantia enim,* inquit, S. Thomas. *Hoc intendit, ne propter concupiſcentias, homo diuertat à ratione, præſcribente videlicet honeſtam voluptatem, quæ eſt finis, & bonum virtutis Temperantiæ.* Idem judicium de alijs. Cùm verò bonum, vt eadem quæſt: & 49. docet idem S. Doctor, ſit duplex, aliud priuatum, monaſticum, & ſolitariū, aliud publicum, & cōmune, ſiue quod in Republicâ Regno, & Ciuitate, ſiue in militari ſpectatur ordine; ſiue in re familiari, & œconomicâ; ſequitur vt etiam Prudentia, quæ decernit media ad ejuſmodi bona idonea, ſit alia monaſtica, alia publica, & communis; & quidem hæc triplex, prout & bonum cōmune triplex eſt, nempe, Politica, ſeu regnatiua, militaris & œconomica, quæ latiùs capitibus proximè ſequentibus ex-
9 plicabuntur, vbi agetur de Prudētia cujq; propriâ. Itaq; vis & natura Prudentiæ eſt, luce præire cæteris moralibus virtutibus acquiſitis; ad quod rectè peragendum, eget quibuſdam

quæ

quæ à Philoſophis, ac Theologis ſolent appellari partes integrantes, aut potentiales, aut ſubjectiuæ, vt initio hujus capitis dictum eſt. Inter has partes numeratur memoria præteritorum, quæ multùm cōducit ad præſens negotium; propter hanc enim cauſam Dauid, vt legimus 1. Paralip: 16. cùm vellet populum jnducere, ad declarandam Deo grati animi pro tot beneficijs ſignificationem, cultumq; reddendum, ad præſentiam aræ Domini, vſus eſt memoriâ, hiſce verbis Dei beneficia reuocando: *Recordamini mirabilium ejus, quæ fecit, ſignorum illius, & judiciorum oris ejus: Recordamini in ſempiternum pacti ejus; Sermonis, quem præcepit in mille generationes.* Iſtorum recordationem applicat deinde ad præſens negotium: *Cantate*, inquit, *Domino omnis terra, annunciate de die in diē ſalutare ejus: Quia magnus Dominus, & laudabilis nimis, & horribilis ſuper omnes Deos.* Fecerunt id omnes, reuerſiq; ſunt læti ad ædes quiſq; proprias: ita eſt vtilis ad res agendas memoria. 10

Non minus confert Intelligentia, maturo diſcernens judicio, quid faciendum, quidue ſit fugiendum: ab hac intelligentiâ laudat Sacra ſcriptura Tobiam ſeniorem, Tobiæ cap: 1. quia aliud judicium habuit ab eo, quod Judæi omnes in captiuitate poſiti fuerant ſecuti, vt putauerint dijs gentium, contempto vero Patrum ſuorum Deo, ſeruiendum: Itaq; *cùm irent omnes*, inquit ſcriptura, *ad vitulos aureos, hic ſolus vitabat conſortia omnium, ſed pergebat in Hieruſalem ad Templum Domini, & ibi adorabat Dominum Deum Iſrael.* Intelligebat nimirum, judicabatq; ſanè, vt velut Maximam quandam, ſeu principium practicum retinebat mente, etiam inter gentiles non eſſe, videlicet, deſerendum cultum veri Dei, vbiuis locorum. Accedit ad Intelligentiam docilitas, ſiue deſiderium addiſcendi; nullus enim ſibi à natura eſt ſufficiens ad operandum, vt non egeat ſtudio, & doctrinâ. Hanc omnibus commendat Salomon Prouerb. cap: 4. *Audite*, inquit, *Filij diſciplinam Patris, & attendite vt ſciatis Prudentiam.* Et ne quis exiſtimaret, eum qui à naturâ atq; à Deo rectè eſt inſtructus,

non indigere arte bene viuendi, ſubjungit exemplum ſui-met: *Nam & ego Filius fui Patris mei, & docebat me, atq; dicebat: Suſcipiat verba mea cor tuum, cuſtodi præcepta mea, & viues: poſſide Sapientiam, poſſide Prudẽtiam* Ne quis etiam putaret, in tenera duntaxat ætate, diſcendam Prudentiam, addit ibidem totâ vitâ diſciplinâ hanc eſſe retinendam, & velut poſſeſſionem ac diuitias ſemper augendam: *In omni*, ait, *poſſeſſione tuâ, acquire Prudentiã, tene diſciplinã, nec dimittas illã.* Quo oſtenditur
11 non eſſe immunes à notâ vanæ elationis illos, quos in maturâ, aut prouectâ ætate pudet inſtrui, eò quòd doctrinâ atq; experiẽtiâ jàm cõparatâ cõtenti eſſe velint, certè ipſe ſcholæ hujus amator aliquãdo, & encomiaſtes Salomon, in ipsâ ſenectute turpiter aberrauit à viâ Prudentiæ, quam, vt de ſe prædicat, tenellus retinuit, nempè auſcultando docentium monita, quam diſcendi conſuetudinem in ſenectute abjecit. Nouerat bene Plato Philoſophus, quantùm referat, vnumquemq; ſemper cupere diſcere, quemadmodum melior euadere poſſit, idcirco à Philedono iniquiùs ferente, quòd diu diſceret, interrogatus, quoad diſcipulus eſſe vellet? reſpondit: *Quoad meliorem, atq; peritiorem me eſſe non pœnitebit.* Ita Plutarchus in ejus vitâ.

12 Quarta Prudentiæ pars vocatur Euſtochia, ſeu bona conjecturatio, cum ſolicitudine, ac ſolertiâ: hæc quoq; meritò prudenti eſt neceſſaria: niſi enim ea, quæ ad finem cujuſq; virtutis ſunt accommodata, ſolicitè, & ſolerter fuerint adhibita, certò conijci debet, virtutem ſuo fruſtrandam intento. Rectè Sãctus Paulus, vt oſtenderet, quid ſtudij, & conatûs præſtet hæc ſolicitudo, quàm nihil eorum, quæ ad operationem virtutis ſunt vtilia, & neceſſaria omittat, ſcribens ad Corint: 2. cap. 7. multa adducit, quæ ab illis aſſumpta ſunt, ad declarandam facti veram pœnitentiam: *Ecce*, inquit, *hoc ipſum ſecundum Deum contriſtari vos, quantam in vobis operatur ſolicitudinem! ſed defenſionem, ſed indignationem, ſed timorem, ſed deſiderium, ſed æmulationem, ſed vindictam, in omnibus exhibui-*
ſtis

Digitized by Google

ſtis vos incontaminatos eſſe negotio. Profectò, verè pœnitens nihil his addere poterit. Si enim defendat honorem Dei offenſi, atq; innocentes homines; ſi indignetur ſibi, ſuiſq; malefactis, & illa vindicet; ſi timeat, ne iterum relabatur; ſi optet diuinæ Majeſtati placere, atq, in his omnibus æmuletur eos, qui ſe longis antecedũt paſſibus, quid jam ei reſtat vltra faciendũ? Ita ſemper in quauis aliâ virtute, ſolicitudo prudens nihil intentatum relinquit, quod ſeruiat ſuo propoſito, rata abſq; ſe cætera omnia languere in Prudentiâ, & tanquã corpus ſine animâ relinqui. Eandem ſolicitudinem imitandam in ſe proponit idem Apoſt: 2. Corin: 11. omnibus in ſuo munere ſtrenuis, & cordatis, vbi inter alia quæ perferebat promouendæ ſalutis aliorum gratiâ, hæc de ſe ſcribit: *In itineribus ſæpe (fui) periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in ſolitudine, periculis in mari, periculis in falſis fratribus, in labore, & ærumnâ, in vigilijs multis, in fame, & ſiti, in jejunijs multis, in frigore, & nuditate: præter alia, quæ extrinſecus ſunt, inſtantia mea quotidiana, ſolicitudo omnium Eccleſiarum.* Hæc omnia commendant ſolicitudinem, tanquam calcar, & ſtimulum prudentiæ, in executione eorum quæ ab ipsâ præſcribuntur.

Si verò cuiquam occurrat illud Matth: 6. vbi Chriſtus inquit: *Nolite ſoliciti eſſe*; & Matth: 9. *Nolite ſoliciti eſſe in craſtinum:* videturq; damnare ſolicitudinem: Sciendum illi eſt, id quod ab omnibus ſcripturæ ſacræ interpretibus dici ſolet, reprehendi ibi nimiam ſolicitudinem, quæ autem hæc ſit, docet D. Thom: 2. 2. quæſt: 55. art: 7. affertq; duas Saluatoris ſententiæ cauſas. Prima eſt, ſi temporalia æternis præferamus, in illis finem vltimum conſtituendo; aut ſi propter illa ſalutem, & ſpiritualem negligamus curam, deniq; ſi ſuperfluè timeamus, ne faciendo quod in nobis eſt, deſint nobis neceſſaria hujus vitæ. Altera cauſa eſt, neglectus circũſtantiarũ & inter eas temporis accommodati. Nam ſi quis in vere velit colligere fruges, idq; ſolicitè agat, non expectato autu- 13

mno, is meritò reprehendendus eſſet, illudq; ei dictum à Saluatore cenſendum: *Sufficit diei malitia ſua:* id eſt, ſuo tempore, atq; die aſſumenda eſt afflictio ſolicitudinis. Quare meritò reprehendit Dominus è diſcipulis ſuis: Marci 10. qui non præmiſſo labore, mercedem gloriæ, & quidem in hac mortalitate conſequi volebant, ſedereq; vnus ad dextrã, alter ad ſiniſtram, in throno Majeſtatis ejus. His ſimillimi, & quidem plurimi ſunt, qui expetunt virtutes, interdumq; lamenta cum lacrymis miſcent, quòd ijs careant, addunt inſuper, etiam jure jurando, vota illarum, potatores, ſobrietatis; laſciui, continentiæ; raptatores, juſtitiæ; elati, demiſſionis animi; & ſimiles ſimilium: vbi verò tempus, & opportunitas exercendæ aduenerit virtutis, in caſſum relinquunt ſuſcepta deſideria: immemores illius quod Eccleſi: 8. eſt: *Omni negotio tempus eſt, & opportunitas.* Itaq; ſolicitudo, ab his vitijs ſuperfluæ, & præpoſteræ curæ purgata, laude digna eſt, & à prudente adhibenda.

14 Quinta pars Prudentiæ, eſt ratio, ſeu diſcurſus mentis juſtis ex cauſis, atq; argumentis, ea deducens, quæ appetitui, membriſq; corporis præcipiat exequenda, deducens, inquã, prouidè, circumſpectè, & cautè. Prouidè, vt ſint accõmodata ad conſequẽdum finẽ: circumſpectè, expenſis cujuſq; negotij omnibus circumſtantijs: deniq: cautè ne quid operationem impedire poſſit. Ab hac prudenti ratiocinatione, prouidentiâq; cautâ, & circumſpectâ laudat ſcriptura 3. Regum 17. Chuſai fidelem Regi Dauid, qui grauiſſima damna Regni, & vitæ paſſus fuiſſet, ſi Abſalon nixus conſilio Achitophel, fugientem illum fuiſſet proſecutus. Suaſit ergo Chuſai in aliud tempus differri, mandariq; expeditionem bellicam; & interim Dauid Regem monuit, vt trajecto Jordane militem colligeret, paratuſq; præſtolaretur, ſi pugnaturus veniret Abſalon. Quod totum ſaluberrimè ceſſit Dauidi. *Domini enim* (narrat Hiſtoria) *nutu diſſipatum eſt conſilium Achitophel, vt induceret Dominus ſuper Abſalon malum.*

Sexta

Digitized by Google

Sexta ejuſdem Prudentiæ pars eſt, Eubulia, quæ præſtat modum ineundi vtilis conſilij, plurimumq; illam juuat: licet enim quis omnia jam explicata poſſideat, niſi ad hæc, ſe, alioſq; ſe peritiores maturè conſulat, grauem committet errorem, quem in ſe expertus eſt Roboam filius Salomonis, magno ſuo detrimento, vt eſt 3 Regum cap. 12. Nam cùm poſt obitum Salomonis, veniſſent ad illum vniuerſi de Iſrael, ſupplicesq; petijſſent, vt de duriſſimo jugo, à Patre impoſito, non nihil minueret, cùmq; Roboam, ſpreto ſeniorum conſilio, juuenum ſententiam ſequutus fuiſſet, qui augendum potiùs, quàm minuendum onus putauerunt, Schiſma in regnum inuexit, tantùmq; duæ tribus illi adhæſerunt, reliquæ decem, Jeroboam ſibi elegerunt in Regem; nec vnquam deinceps omnes duodecem in vnum conſenſerunt. Tantùm referebat bene & cum bonis conſultâſſe. 15

Supereſt ſeptima, & octaua Prudentiæ pars Syneſis, & Gnome: vtraq; judicat de agendis per eubuliam adinuentis, & ab vtraq; ſenſati appellantur, quicunq; illâ excellunt: vnum eſt inter illas diſcrimen, prior enim communibus innititur legibus, modoq; operandi vſitato: poſterior, nempe gnome, à communi ordine excipit agenda. Hæc gnome Apoſtolis famelicis ſuaſit, die Sabbathi, feſto, vellicare ſpicas: Matth: 12. eadem excuſauit à culpâ Dauidem, fame confectum, quòd Panes Propoſitionis ſumpſerit, ſolis Sacerdotibus lege conceſſos, vt illum, & Apoſtolos, ipſe Dominus excuſat Lucæ 6. Non diſputo hìc, quonam modo explicatæ partes appellandæ ſint, integranteſne? aut ſubjectiuæ? minuta hæc illis relinquo, qui ſpeculationi plùs, quàm praxi ſtudent. Illud obiter deſumo ex S. Thoma 22. quæſt. 48. art. vnico, quinq; partes jam explicatas eſſe integrantes; ad perfectam enim Prudentiæ pertinent conſtitutionem: potentiales eſſe Eubuliam, Syneſim, ac Gnomen, eò quòd quæuis harum, non habeat totam quaſi potentiam, & vim Prudentiæ; ſed aliquid partim in conſilio partim, in judicio. Demum partes ſubje- 16

Digitized by Google

ſubjectiuæ ſnut numero octauo jam recenſitæ, nempe monaſtica, politica, militaris, & œconomica.

Sectio Tertia.
Quid turbat Prudentiam?

16 HActenus dicta, cuiq; ſunt adhibenda, qui prudens eſſe voluerit, neq; admittenda illa, quæ perturbant, aut labefactant Prudentiam. Perturbat autem inprimis, præcipitatio in agendo, quando cupiditates animi, ſunt in cauſà, vt mens, atq; intelligendi vis, velut nebulâ quadã offuſa, neq; inquirere conſilium, neq; repertum adhibere poſſit. Hinc eſt, vt Prudentia impedita, lapſum in culpam prohibere nequeat, fiatq; illud, quod eſt Prouerb: 4. *Via improborum tenebroſa, neſciunt vbi corruant*. Lapſum hunc, & multiplicem, ac periculoſam ruinam egregiè expreſſit Plato lib: 32. in Tim: comparando hominem, tanquam paruum mundum cum magno, cœlis, & elementis conſtante. Potiſſimùm autem ibi ſimilitudinem ſumit, à motu cœleſtium orbium: vt enim in Cœlis, octauæ ſphæræ primiq; mobilis motus circularis eſt ſemper fixus, & certus: inferiorum verò orbium erraticus, & variabilis, atq; jam contrarius, jam ex parte, & ex obliquo diuerſus à priore ſemper ſtabili; ſubeſt tamen huic, ſiquidem ad motum primi mobilis rapiuntur planetarum ſphæræ: ita in homine intellectiuæ facultatis motio, eſt velut circularis, eò quòd ſemper abſq: quiete duret, omnia dirigendo, & de omnibus judicando, recta, necne ſint. Eſt etiam fixa, atq;, immutabilis, quippe quæ ad immutabile atq;, æternum conuertitur principium, Deum, in eoq;, fixè remanet, cùm non habeat, quò vltra Deum feratur ampliùs: contra vis ſentiendi eſt mobilis, & mutabilis, in nullâ enim re ſubditâ ſenſui conquieſcere poteſt. Nihilominus mutabilitas hæc atq; incõſtantia ſenſuum, ſtabili intellectiuæ motioni debet ſubordinari, rationis ductum, atq; imperium ſequendo, quod ni fiat, inuertitur, & perturbatur ordo natu-

Digitized by Google

do naturæ; inferiore hominis parte regente, atq; præeunte ſuperiorem, cùm potius ſubſequi & parere debeat. Succedunt deinde falſa, atq; peruerſa de rebus iudicia, meritoq; tunc amens dici poteſt homo, qui mente, perinde atq; ſi eâ orbatus eſſet, non vtendo, cæcis agitatur cupiditatibus, & tandem præceps ruit. Sed de hac re ipſemet audiatur Plato: *Senſus*, inquit, *multos, & maximos motus cient, & vehementer animæ circuitus quatiunt, ita vt ambitus vix ſibi ipſis connexi, ferantur quidem, ſed ſine ratione, tum contra, tum ex obliquo, tum reſupinâ quadam diſpoſitione, ceu, ſi quis caput pro pedibus humi figat, pedes verò pro capite tollat in altum. Itaq; cùm hoc, cæteraq; eiuſmodi animi patiuntur falsò; quid idem alicui ſit, quidue alterum ab aliquo iudicant; ideoq; mendaces tunc, dementeſq; ſunt, nec vllus Princeps, & Dux, in eis tunc eſt circuitus. Quas ob res ab initio anima, cùm mortalis corporis vinculis includitur, amens efficitur (ſenſu videlicet tunc, & cupiditatibus regimen obtinentibus,) at poſtquam animæ circuitus tranquilliore motu iter ſuum peragunt, proceſſu temporis ſedatiores fiunt, & in figuram naturæ ſuæ congruam reuertuntur. Quòd ſi quis educationi, diſciplinam quoq; & eruditionem conuenientem adiunxerit, morbo grauiſſimo deuitato, ſanus & integer prorſus euadet; ſiu autem neglexerit, claudum vitæ iter ingreſſus, tanquam mancus, omninoq; inutilis ad inferos decidit.* Hæc Plato. quibus, hac quidem in re, pauca fides Chriſtiana addere poteſt. Illud verò non minùs præclarè, quàm verè docuit, quòd qui cupiditate quapiam, abiecto rationis fræno, perperam feruntur; peſſimè de rebus, & contra omnem iudicant prudentiam, quantùuis ſibi, atq; aliis prudentiſſimi Solones videantur eſſe, aut certè fuerint aliquando, ſintue, in omnibus aliis à cupiditate eâ, quâ afficiuntur, & perturbantur alieni. Cupiditas, prudentiſſimo aliàs, & piiſſimo Regi Dauidi, adeò perturbauit judicium, vt decreuerit facienda duo; alterum enorme ſatis; atrox, & crudele alterum: Coniugem videlicet Vriæ auferendam; & ipſum tradendum neci, 2. Reg: 11. Cupiditas

Digitized by Google

tas ſapientiſſimum filium eius Salomonem, ita fædè dementauit, vt iudicauerit cultum dæmonibus deferendū. 3. Reg: 11; quem ille aliquando vero exhibuit Deo, præclaro inſignis prudentiæ pietatisq; argumento, vt teſtatur Templū ab ipſo fabricatum, miraculum omnium temporum, locorum, & gentium.

18. Atq; vt exemplis, quæ ſine termino recenſeri deberent, ſuperſedeatur; ſi quis recolat hominum judicia, & non vilium modò, ſed præſtantium etiam doctrinâ, ingenio, diuitjis, genere, dignitate, & ſimilibus, iudicia, inquam, praua, & honeſtati difformia; non aliā profectò huius rei reperiet cauſam, quàm cupiditatem: quod verò magis dolendum, eò etiam illa furtiuè ſe inſinuat, vbi mens, ratio, virtus, & probitas maximè vigere deberet. Senes, prouectiq; ætate, quos potiſſimùm prudentia decet, quid non tentant aliquādo, & quæ non adhibent media, pecuniæ, opumq; omni ratione, etiam iniquâ, congerendarum? cupiditas auaritiæ peruertit illorum mentem, vt in aljis prudentes, in hoc vno amentibus ſint ſimiles, ſalutis, & breuis vitæ prorſus immemores.

Cui vnquam prudentia magis quadrat, quàm ijs, quos Clericos vocamus (ſiue tales ſolùm ſint, ſiue inſuper & Religioſæ vitæ obſtricti) propterea, quòd ſe deuouerint DEO, dicanturq; atq; etiam re ipſa ſint, ſors, pars, & hæreditas Dei, quorum munus ſit, diuina mandata non exequi ſolùm, ſed aljis etiam exequenda commendare; Deiq; vices in jubendo ſubire: *Labia enim Sacerdotis*, inquit Propheta, Malac. 2. *cuſtodiunt ſcientiam, & legem Dei requirent de ore eius; quia Angelus Domini exercituum eſt:* Vbi tamen eorum quiſpiam fuerit ambitione, aut luxuriâ irretitus, eò dementiæ ſolet venire, vt palam ducat indignam ſe vitam, omnem infamiæ notā nihil pendens; & cùm de aliis prudens ferat judicium, in cupiditate honoris, & voluptatis cæcus ſit, & mentis impos, pergatq; in tenebris. quo ad præcep. feratur, ruatq; tandem;

raro

rarò, aut nunquam ſurrecturus: quod futurum prædixit Spiritus Sanctus, teſtimonio paulò ante adducto: *Via impiorum tenebroſa, neſciunt vbi corruant.* Et Malach: capite citato, terret clericos, Sacerdotesq; tenebroſâ hac viâ liberè currentes: *Vos autem*, inquit, *Sacerdotes receſſiſtis de viâ, & ſcandaliſaſtis plurimos in lege, irritũ feciſtis pactum Leuì, dicit Dominus exercituum: Propter quod & ego dedi vos contemptibiles, & humiles omnibus populis, ſicut non ſeruaſtis vias meas*; cupiditate ſcilicet prohibẽte, ne aduerterentur viæ mandatorum diuinorum, & tenerentur ſemper. Tales fuerũt Lutherus, Ochinus, Caluinus, quos cupiditas, non ab honeſtate tantùm, ſed à fide etiam præcipitauit in barathrum gehennæ.

Non deſunt alia, quæ officiunt, prudentiæ; etſi non præcipitando, multùm tamen labefactando eandẽ. Illæ enim paſſiones dicuntur præcipitare, quæ potentiores cùm ſint, vehementiâ ſua aciẽ mentis adeò obfuſcant, vt velut de ſũmo in imum dejicere videantur, cuiuſmodi potiſſimùm ſunt, vehemens ira, ambitio, luxuria &c. Sunt verò quædam alia, quæ non tantas exerunt in prudentiam vires, neq; illam prorſus enecant; vinciunt tamen & retardant, niſi his expediatur compedibus, viam honeſtatis nequaquam decurret, ſed tanquam feſſa mox collabetur. Recenſet hæc vincula S. Thom: 2. 2. Quæſt: 54. & 55. è quibus non poſtremum tenet locum, prudentia carnis, damnata à S. Paulo, qui in Epiſtolâ ad Romanos capite 8. tale de illâ protulit teſtimoniũ: *Prudentia carnis inimica eſt Deo*: ideo procul dubiò, quòd nõ illum, aut mandata eius, finemq; honeſtum attendat, ſed quæ ſunt inimica ſuadeat amplectenda. Hac vſus Abſalõ vt eſt 2. Reg: c, 15. querelas ſubditorum contra patrem ſuũ, Dauid Regem, magnâ commiſerationis ſpecie excipiebat, dicebatq; : *Quis me conſtituat judicem ſuper terram; vt ad me veniant omnes qui habent negotium, & iuſtè judicem?* Cæterũ ibidem refertur, hæc illum non zelo juſtitiæ, ſed regni occupandi gratiâ factitaſſe ſolitum Hinc illa à prudentiâ car-

nis ſuggeſta humanitas, vt, cùm accederet ad eum homo, vt ſalutaret illum; *extendebat manum ſuam, & apprehendens oſculabatur eum: faciebat hoc omni Iſrael venienti ad judicium, & ſollicitabat corda virorum.*

20. Hæc prudentia carnis Deo inimica, ibi maximè ſedem figit, vbi plurimùm eſt de carne, minimùm de ſpiritu, quales ſunt plerumq; aulæ Regiæ, & Magnatũ; in quibus non ad Deum, aut ad honeſtatem, ſed ad ambitionem, luxuriã, auaritiam, aliaſq; virtutis peſtes, referuntur prope omnia; iſq; prudentiſſimus cenſetur, qui vt vitijs morem impune gerat, à nullo impediri poſſit. Acre videtur judicium, de curiali vità prolatum ab Ænea Syluio; qui poſtea fuit ſũmus Pontifex, Pius 2. quia tamen eſt tanti viri, ſi non de omnibus in curià degentibus, de plurimis certè credendum, vt verum. Hic ergo, in libro de miſerià curialium ſcribens ad quendam amicum, non dubitauit imprudentiæ notam illi inurere, hoc ſolo nomine, quòd ſe mancipauerit aulæ, & inter alia hoc habet: *In aulis, nec requies, nec bonarũ artiũ exercitatio, nec virtutis amor aliquis regnat; ſed auaritia tantùm, libido, crudelitas, crapula, inuidia, & ambitio: Quib⁹ vitijs qui ſit dedit⁹, nullo ſe poterit argumento tueri, quin apud viros doctos, malus eſſe conuincatur, & ſtultus. Vale vir, niſi ex Curialibus vnus eſſes, meo judicio prudens.* Hæc ille. Habet prudentia iſta carnalis, ſi das aliquot nihilo meliores ſe comites, quarum ope aggreditur multa, & ad effectum perducit: huiuſmodi ſunt aſtutia, dolus, fraus, ita inter ſe connexæ, & ita ſe mutuò iuuantes, vt prima, reperiat media, quæ referant ſpeciem boni; ſecunda, executioni illa mandet, ſignis additis, verbiſq; ſimulatis; tertia, eandem executionem factis promoueat fraudulentis. Non omittenda hìc, & alia tria, quæ multùm debilitant prudentiam, inconſideratio, videlicet, negligentia, & incõſtantia: prior, peccat in eo, quòd minùs attendat ad illa, ex quibus rectum ferendum eſſet judicium; vel celeriùs juſtò, expediendo omnia, vel non accuratè expendendo ſingula,

quæ

Digitized by Google

quæ occurrunt, vel multa ſimul aſſumendo, quibus non ſufficiant vires: verum enim eſt vetus dictum: *Pluribus intentus, minor eſt ad ſingula ſenſus.* Negligentia opponitur exactæ ſolicitudini, partem eorum, aut etiã omnia prætermittendo, quæ ad finem virtutis juuant conſequendum. Deniq; inconſtantia, mutat judicium, quod in prudentiâ tenet locum principem, continens, nimirum, præcepti vim, atq; efficaciam: omnia enim hactenus hoc capite dicta peſſum abibunt, niſi acceſſerit prudentiæ mandatum, atq; imperium, cui omnino pareat appetens facultas, in exequendo ea, quæ ab ipſo ſunt præſcripta. Hoc ergo mandatum tollit inconſtantia, labefactando vires intellectûs, propoſitiq; firmitatem, magno non prudentiæ ſolùm, ſed aliarum etiam virtutum, atq; adeò inconſtantis ipſius malo.

Nam cùm prudentia ſit caput, & regina virtutum moralium, deficiente ipſâ, cæteras omnes deficere neceſſe eſt; vt meritò dicat Eccleſiaſticus c. 2. *Vę his, qui perdiderunt ſuſtinẽtiam, & qui dereliquerunt vias rectas, & diuerterunt in vias prauas, & quid facient cùm inſpicere cœperit Dominus?* Sed iam ijs quæ prudentiam conſtituunt, eamq; promouent, aut impediunt expeditis, ad propriam cuiq; accedamus.

CAPVT VII.

Quæ prudentia ſit cuiq; propria; & primò de eâ, quæ eſt Eccleſiaſticorum Prælatorum.

IN 4. partes Caput hoc cum aliquot ſequentibus diuidendum erit: in quarum primâ, agetur de prudentiâ politicà, quâ Eccleſiaſtici Prælati debent eſſe præditi: in ſecundâ, ſermo erit, de politicâ quoq;, ſed jis accomodatâ, qui integras Reſpublicas, aut partes earum gubernant: tertia

œconomicam tractabit: vltima priuatam quorumuis hominum.

1. Atq; vt à primâ exordiamur, neminem qui in Eccleſiâ Chriſti munus regendi obit, nescire opinor, eò dirigendam eſſe prudentiam, vt ji qui illorum curæ commiſſi ſunt, æternã ſuam ipſorum conſequantur ſalutem. Hoc omnibus ſibi dignitate officioue æqualibus, aut ſaltem ſimilibus, clarè demonſtrat ſupremi Pontificis Chriſti, primus in terris Vicarius, Sanctus Petrus, qui in Epiſtola 1. C. 5. ſic ait: *Seniores, qui in vobis ſunt, obſecro Conſenior & teſtis Chriſti paſſionum, qui eſt eius, quæ in futuro reuelanda eſt gloriæ, communicator, paſcite, qui in vobis eſt, gregem Dei, prouidentes ſecundùm Deum.* Vltima hæc verba declarant, quò ſeniorum in Eccleſia Dei prouidentia, ſiue prudentia ferri debeat; vt, nimirum, proſit gregi ſecundùm Deum: Deum autem Redemptorem noſtrum, conſtat aliud non velle, quàm vt omnes homines fiant ſalui, 1. Timot. 2. Quod cùm ita ſit, ille Epiſcopus, aut alius quiſpiam Paſtor gregi Chriſti prudens cenſendus, qui vt huic diuinæ voluntati morem gerat; nihil non adhibet, quod poteſt, ac debet. Quid autem quiſq; debeat, ſuum, quod gerit, conſulat munus: alia enim præſtanda ſunt Epiſcopo, alia Parocho, vel vicario, alia Abbati, aut cuique præſidenti in Religioſorum cætu: quibus ſilentio præteritis, ea hìc afferentur, quæ ab omnibus & ſingulis adhibenda ſunt Paſtoribus, vt rectè ad mentem Chriſti, ſuum obeant munus.

Sectio vnica.

Quæ ſunt partes boni Paſtoris?

2. PRimum autem, quod velut fundamentum muneris paſtoralis ſanctè exequendi, cenſeri debet, eſt pietas, vita-

vitaq; inculpata, optima ſuis ouibus, virtutis, & omnis probitatis præbens exempla. Vtinam paſtores animarū, ita vitarent ſcandala (ſeueris illis verbis; Math: 18. à Chriſto prohibita: *Væ homini per quem ſcandalum erit*) quemadmodū ſciunt vehementer obeſſe ſaluti illarum, ſive id accidat vitio hominum, vt nolint effici boni, ab eo qui malus eſt, ſiue naturâ, vt bonum minus ſit efficax, debiliùsq; operetur, ſi deſit in eo, qui ipſum communicat alteri.

Non negandum quidem, accidere interdum, vt ji qui ſunt alieni à virtute, perſuadeant illam; quod Dominus ſignificare voluit apud Matth: c 23. præcepto omnibus eiusmodi impoſito: *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi, omnia ergo, quæcunq; dixerint vobis, ſeruate, & facite, ſecundùm opera verò eorum, nolite facere, dicunt enim, & non faciunt.*

Cæterùm, ſi ſpectemus naturam rei, fatebimur omnino neceſſariam in eo eſſe pietatem, qui alios cupit eſſe pios: 3. alterâ enim è duabus viâ, aut certè vtrâq;, ex vno in alium poteſt deriuari, vitæ probitas; vnam vocemus imitationis, diſciplinæ aliam. Imitari in alio virtutem non poſſumus, ſi prototypon non opponatur oculis; neq; verò proponi poteſt, ſi non ſit. Idem de diſciplinâ fatendum omnino: diſcere enim ab illo virtutem, qui nec dum eam didicit ipſe, ludicrum, & prorſus adynaton videtur: nemo quippe poteſt eſſe magiſter artis ſibi ignotæ: quod ipſum optimè probatur illo veteri dicto: *Nemo dat quod non habet.* Quod ſi quis doceat honeſtatem ex libris deprcmptam, non ex corde, propriâq; experientiâ profectam, doctrinam hanc mācam, & velut mortuam eſſe oportet. Quemadmodum enim virtus (quæ eſt partus quidam vitalis) vtramq; exigit animæ, ſeu vitæ rationalis, intelligendi ſcilicet, & appetendi in eo, in quo eſt; facultatem; ita nec oſtendi, commendariq; diſcenti poteſt, niſi vtraq; hæc hominis potentia, atq; adeò cor, et affectus virtute imbutus, cum linguâ, intelligētiâ.

tiâue docentis, aut imperantis concurrat; quod in artibus exteriùs patentibus cernitur manifeſtum. Certè faber lignarius, nihil, aut parum admodùm efficiet in diſcipulo, ſi linguâ, voceq; duntaxat, præſcribat opus, niſi etiam ſimul manum, aliaq; adhibeat inſtrumenta. Neq; puer ſcribendi rationem percipiet vnquam, ſi magiſter inſtet, jubeatq;, & non ducat prehenſam per tabulam dexteram: pari modo cæteræ addiſcuntur artes; quin jmò, & ſpeculatiuas ſcientias, non diſpar eſt aſſequendi ratio. Philoſophiam Typis editam, optimèq; & ſufficientiſſimè declaratam, ſi quis auditori prælegat fideliter, neq; tamen ipſe eam intelligat, tâ-tùm in illo præſtabit, quantùm in ſe; ſemper enim is, qui legit, erit lector, & qui audit, auditor Philoſophiæ, neuter vnquam Philoſophus.

4. Similis omnino expectandus eſt euentus; inter docentem, præcipientemuè honeſta, & eum, qui egregia de virtute dogmata, legeſq; audit, ſi doctor, aut præceptor, non ſit honeſtatis ſtudioſus. Etenim experientiâ compertum tenemus, adeò illum qui docet, aut mandat, ea, quæ ipſe non facit, conſcientiæ ſtimulis impediri; vt quid vis aliud, quàm de virtute agere videatur; & dum maximè conatur, vt intelligatur, minimè intelligitur. Timor certè, & pudor ne ſibi objiciatur; id quod Saluator de talibus dicit, Matth: 27. *Alligãt onera grauia, & importabilia, & imponũt in humeros hominum, digito autem ſuo nolunt ea mouere*. Matth: 2. *Multi dicent: Domine, in nomine tuo prophetauimus*, & cætera *Et tunc confitebor illis quia nunquam noui vos, diſcedite à me, qui operamini iniquitatem*: Et Luc: 12. *Ille ſeruus, qui cognouit voluntatem Domini ſui, & non fecit, vapulabit multis.* Horum, inquã, & ſimilium, timor, ac pudor, verba præpedit, linguam ligat, faciem mutat, turbat mentem, torpefacit affectum, debilitat conſtãtiam, vimatq; energiam, ſiue in dicendo, ſiue in jubendo efficacem, prorſus tollit: quod dum fit, nihil in audiente boni, ſolidiuè ſolet effici. Quapropter Diuus Hierony-

mus

Digitized by Google

mus rectè monet Paſtores, in Epiſtolâ ad Nepotianum: *Non confundăt opera tua ſermonem tuum, ne dum in Eccleſiâ loquaris, tacitus quiſq; reſpondeat, Cur hæc quæ dicis, ipſe non facis? Sacerdotis Chriſti, os, mens, manusq; concordent, accuſare enim auaritiam, & latro poteſt.* Et S. Auguſtinus Tom: 10. in Mat: ſerm: 3. *Doctor grauiùs affligitur, qui facienda alijs tradidit, quæ ipſe non fecit.* Et Tomo.9. lib: vnico de paſtoribus, cap: 2. explicans illa verba Ezechielis ex cap. 34. *Quod craſſum eſt occidiſtis*, quibus reprehenduntur mali paſtores: *Attendit* inquit, *ouis etiam fortis, plerumq; præpoſitum malè viuentem, & incipit dicere: ſi præpoſitus meus ſic viuit, ego quid ſum, qui non faciam, quod ille facit? Occidit ouem fortem, malè viuendo, interficit.*

Et quia non ſemper fit, vt oues ſequantur exempla mala, occurrit S. Auguſtinus: *Non tibi blandiatur, quia ille non eſt mortuus, & ille viuit, & iſte homicida: quomodo, cùm laſciuus intendit in mulierem ad concupiſcendum eam, ecce illa caſta eſt, & mæchus eſt iſte.* Matt. 5. *ſic omnis qui malè viuit, occidit & fortes. Qui ergo imitatur præpoſitum malum, moritur, quia non imitatur, viuit? tamen ambos occidit: Et quod craſſum eſt occidiſtis*, Ita Auguſtinus. Idem prorſus, hoc eſt exemplum bonum, paſtorum exemplar & Princeps Chriſtus, ab omnibus qui id officij gerunt requirit, quando Matth: 4.
dicit: *Vos eſtis lux mundi, Vos eſtis ſal terræ, quod ſi ſal infatua-* 5.
tum fuerit, in quo ſalietur ad nihilum valet vltra. Quis hìc non videt in eo paſtores ſoli & ſali à Domino cōparari, vt ſi alios illuminare velint, ipſi prius in ſe luceant, ſi alios cupiant condire, habeant ſalis vim, & ſaporem. Et quemadmodum ſi ſol cœlo abſit, inferiora in noctem verti oportet, ciboſq; inſipidos ac inſulſos manere, ſi ſal deſit, ita cùm Paſtores carent virtutibus, ſi nunquam, certè raro, aut ægrè admodum fieri poteſt, vt oues Chriſti, probitatis, atque honeſtatis vitæ ſint amantes, ſed illud potiùs, vt plurimùm, cernitur, quod prædixit Saluator. Matth: 15. *Cæcus, ſi cæco du-*

catum præſtat, ambo in foueam cadunt. Concludamus ergo, duplici ex cauſà requiri probitatem in Paſtore Eccleſiaſtico, & contrariam improbitatem duplex parere nocumētum virtutis, in ijs, qui ſubditi cenſentur. Primum eſt morale, nam neſcio quomodo minùs placet, aut etiam diſplicet, laus honeſtatis, ex non laudati ore profecta. Hac de cauſâ, conſuetudine erat cautum apud Lacedęmones, (vt refert Plutarchus lib: de officio auditoris) qui vetabant typis mandari ſententiam authoris, nomine præfixo, ſi ab improbo fuiſſet prolata: timebant enim, ne vileſceret dignitas veritatis, ab indigno commendata, atq; idcirco nolebant illā ita laudare, vt is, cuius eſſet, laudari videretur. Alterum impedimentum virtutis eſt phyſicum, & naturale, in naturâ enim videmus, ſimile non niſi à ſimili generari: quare qui virtutem alteri cupit ingenerare, cuius ipſe ſit expers, perinde facit, atque ſi velit à frigido gelu calidus effici.

6. Neq; hìc multùm facit, ſi quis dicat, eum, qui jubet, non debere prius exequi iuſſa, aut debere ſcire modum eadem exequendi, ſic enim dominus priùs ipſe exequi deberet ea, quæ mandat, aut is qui jubet ſibi parari veſtem, ſartor eſſe deberet: hoc, inquam, nihil facit: nam Paſtor ouium Chriſti, magiſter eſt, non dominus, aut alius quiſpiam, id quod Apoſtolus Petrus in Epiſtolà illâ initio adductâ ſcriptum reliquit: *Paſcite*, inquit, *qui in vobis eſt gregem Dei, neq; vt dominantes cleris, ſed forma facti gregis ex animo.* Itaque ſi Paſtor præcipiat rectè viuere, quemadmodum pro authoritate poteſt, ac debet, ſimul etiam incūbit illi, tanquam Magiſtro, docendi munus, vt eius quod docet formam inſe præferat gregi. Hæc forma atque imago honeſti, eſt primū, quod ad boni Paſtoris ſpectat prudentiam.

7 Eſt deinde aliud, non minus priore, ad eandem prudentiā neceſſariū. Optima quidē eſt in Paſtore vitæ pietas ſanctitaſque, ſed niſi quiſq; probè ſuum munus, quod gerit, peragat, probi

Digitized by Google

probi nomen, remq; Paſtoris ſortiri minimè poteſt: propterea, quòd bonitas eius, non hominis priuati tantùm, ſed publici quoq; in Politiâ atq; Eccleſiâ Chriſti eſſe debeat. Et cùm hæc duo in vno conjuncta ſint, nempe hominem eſſe, & ſimul paſtorem, vtraq; etiam probitas, tam hominis quàm paſtoris in eodem eſt conjungenda. Atque hoc eſt quod S. Paulus Timotheo Epiſcopo in Epiſtolâ ad eundem. 1. c. 4. præcipit: *Attende tibi, & doctrinæ, inſta in illis, hoc enim facies, & te ipſum ſaluum facies, & eos qui te audiunt.* Quid Apoſtolus per attentionem intelligat, facilè eſt conijcere: cùm enim ait: *Attende tibi*, hominem bonum eſſe jubet: cùm autem addit, vt doctrinæ etiam attendat: non aliud ſanè intelligit, quàm prudentiam Eccleſiaſticam, ſeu eam, quæ juxta regulas, & ſpiritum Chriſti, omnes muneris proprij partes dictet explendas.

Jam, quo Saluator in Eccleſiam ſuam feratur ſpiritu, ipſe 8.
apud S. Joan: c. 8. diſertè exponit, cùm ait: *Pater honorat Filium, & vos inhonoraſtis me.* Et apud eundem cap: 10. *Ego veni, vt vitam habeant, & abundantiùs habeant.* Gloria & honor Chriſti, ſalusq; noſtra, ſunt veluti quidam duo cancelli, quibus diuina ipſius ſapientia continebatur, & ad prouidentiſſimam Eccleſiæ curam impellebatur ſemper: hæc eadem duo manifeſta ſunt in illo argumenta, qui vicarium Chriſti munus, paſcendi oues eius in terris obit, ſiue illud ſit generale, vt in ſummo Pontifice, ſive per partes diſtributum, vt in Epiſcopis, alijsq; initio huius capitis recenſitis: hæc, inquam, ſunt argumenta, indicia prudentiæ, Eccleſiaſticæ ſi illis & non alijs omnis cura, & ſolicitudo paſtoris regatur, præpoſitis quibuſuis cæteris, his contrarjis, velut ſpiritu vanitatis, & regulis mundi.

Egregium huiuſcemodi prudentiæ documentum reliquerunt poſt ſe, duo, in duobus regnis, Angliæ, & Poloniæ, San- 9.
ctiſſimi Præſules: Thomas Cantuarienſis Epiſcopus, & S.

catum præſtat, ambo in foueam cadunt. Concludamus ergo, duplici ex causâ requiri probitatem in Paſtore Eccleſiaſtico, & contrariam improbitatem duplex parere nocumẽtum virtutis, in ijs, qui ſubditi cenſentur. Primum eſt morale, nam neſcio quomodo minùs placet, aut etiam diſplicet, laus honeſtatis, ex non laudati ore profecta. Hac de causâ, conſuetudine erat cautum apud Lacedęmones, (vt refert Plutarchus lib: de officio auditoris) qui vetabant typis mandari ſententiam authoris, nomine præfixo, ſi ab improbo fuiſſet prolata: timebant enim, ne vileſceret dignitas veritatis, ab indigno commendata, atq; idcirco nolebant illā ita laudare, vt is, cuius eſſet, laudari videretur. Alterum impedimentum virtutis eſt phyſicum, & naturale, in naturâ enim videmus, ſimile non niſi à ſimili generari: quare qui virtutem alteri cupit ingenerare, cuius ipſe ſit expers, perinde facit, atque ſi velit à frigido gelu calidus effici.

6. Neq; hìc multùm facit, ſi quis dicat, eum, qui jubet, non debere prius exequi iuſſa, aut debere ſcire modum eadem exequendi, ſic enim dominus priùs ipſe exequi deberet ea, quæ mandat, aut is qui jubet ſibi parari veſtem, ſartor eſſe deberet: hoc, inquam, nihil facit: nam Paſtor ouium Chriſti, magiſter eſt, non dominus, aut alius quiſpiam, id quod Apoſtolus Petrus in Epiſtolâ illâ initio adductâ ſcriptum reliquit: *Paſcite*, inquit, *qui in vobis eſt gregem Dei, neq; vt dominantes cleris, ſed forma facti gregis ex animo.* Itaque ſi Paſtor præcipiat rectè viuere, quemadmodum pro authoritate poteſt, ac debet, ſimul etiam incũbit illi, tanquam Magiſtro, docendi munus, vt eius quod docet formam inſe præferat gregi. Hæc forma atque imago honeſti, eſt primũ, quod ad boni Paſtoris ſpectat prudentiam.

7 Eſt deinde aliud, non minus priore, ad eandem prudentiā neceſſariũ. Optima quidẽ eſt in Paſtore vitæ pietas ſanctitaſque, ſed niſi quiſq; probè ſuum munus, quod gerit, peragat, probi

probi nomen, remq; Paſtoris ſortiri minimè poteſt: propterea, quòd bonitas eius, non hominis priuati tantùm, ſed publici quoq; in Politiâ atq; Eccleſiâ Chriſti eſſe debeat. Et cùm hæc duo in vno conjuncta ſint, nempe hominem eſſe, & ſimul paſtorem, vtraq; etiam probitas, tam hominis quàm paſtoris in eodem eſt conjungenda. Atque hoc eſt quod S. Paulus Timotheo Epiſcopo in Epiſtolâ ad eundem. 1. c. 4. præcipit: *Attende tibi, & doctrinæ, inſta in illis, hoc enim facies, & te ipſum ſaluum facies, & eos qui te audiunt.* Quid Apoſtolus per attentionem intelligat, facilè eſt conijcere: cùm enim ait: *Attende tibi*, hominem bonum eſſe jubet: cùm autem addit, vt doctrinæ etiam attendat: non aliud ſanè intelligit, quàm prudentiam Eccleſiaſticam, ſeu eam, quæ juxta regulas, & ſpiritum Chriſti, omnes muneris proprij partes dictet explendas.

Jam, quo Saluator in Eccleſiam ſuam feratur ſpiritu, ipſe 8.
apud S. Joan: c. 8. diſertè exponit, cùm ait: *Pater honorat Filium, & vos inhonoraſtis me.* Et apud eundem cap: 10. *Ego veni, vt vitam habeant, & abundantiùs habeant.* Gloria & honor Chriſti, ſalusq; noſtra, ſunt veluti quidam duo cancelli, quibus diuina ipſius ſapientia continebatur, & ad prouidentiſſimam Eccleſiæ curam impellebatur ſemper: hæc eadem duo manifeſta ſunt in illo argumenta, qui vicarium Chriſti munus, paſcendi oues eius in terris obit, ſiue illud ſit generale, vt in ſummo Pontifice, ſive per partes diſtributum, vt in Epiſcopis, alijsq; initio huius capitis recenſitis: hæc, inquam, ſunt argumenta, indicia prudentiæ, Eccleſiaſticæ ſi illis & non alijs omnis cura, & ſolicitudo paſtoris regatur, præpoſitis quibuſuis cæteris, his contrarjis, velut ſpiritu vanitatis, & regulis mundi.

Egregium huiuscemodi prudentiæ documentum reliquerunt poſt ſe, duo, in duobus regnis, Angliæ, & Poloniæ, Sanctiſſimi Præſules: Thomas Cantuarienſis Epiſcopus, & S. 9.

Digitized by Google

Stanislaus Epiſcopus Cracouienſis: quorum prior Henrico ſecundo Angliæ Regi leges ferenti, vtilitati, & dignitati Eccleſiaſticæ cōtrarias, cōſtātiſſimè obſtitit, ipſamq; conſtātiam nece ab illo illatâ confirmauit. Poſterior Boleslaum, Poloniæ Regem, ob notam eius libidinem, & injurias ſubditis crebrò patratas, publicè arguebat, atq; ob id ſæpiùs ab impio Rege, tractatus, tandem crudeliter eſt trucidatus.

Vterq; ægrè aliquos, potiùs nullos, ſiue ex Epiſcopis, ſiue ex Proceribus regni ſui facti habuit ſocios, plurima verò erant, quæ à propoſito deterrerent, fauor, nimirum, & gratia regū, tum in ſe, tum in ſuos, amicorū contrarium ſuadētiū conſilia, timor mortis, felicitatis humanæ iactura, turbatio quietæ & tranquillæ vitæ, patriæ amiſſio, damna propria, & ſanguine junctorum, deniq; ea omnia, quæ in tanta dignitate cōſtituti, aut optare poterant, vt haberent, aut timere, ne amitterent. Sed hæc omnia, tanquam ſpiritum, & regulas mundi, inſignis eorum, & quæ veros paſtores decebat, prudentia deteſtata eſt, gloriam Chriſti in eius Eccleſiâ ſanctâ, & hominum ſalutem, præ oculis ſemper habens. Hac qui paſtores reguntur prudentiâ, nunquam committent, vt illis objiciantur ea, quæ meritò reprehendi poſſint ab hominibus, tanquam aperta ſcandala, aut ea, quæ debeant à Deo puniri, partim vt manifeſta, partim, vt illi ſoli nota, regiminis Eccleſiaſtici delicta.

10. Cauebit prudens in Eccleſiâ Chriſti præſes, parem alijs conſuetudinem, hoc eſt, tantam, quæ in apparatu, & ſplendore externo, in conuiuijs, in largitione profusâ, in modo tractandi, & agendi nihil habeat differens ab ijs, apud quos pro conditione, & mundano ſtatu, multa moris eſt facere, & ſi non ſemper cum laude virtutis, imò, quaſi ſemper cum dedecore honeſti decoris. Aderit ergo in congreſſu, vſuq; familiari, humanitas, affabilitas, liberalitas, magnificentia, grauitas, modeſtia, ſobrietas, cæteraq; viri Eccleſiaſtici, pro cuiusq;

cuiuſq; dignitatis gradu, egregia ornamenta. Sed ſimul, aberit procul leuitas, ſcurrilitas,prodigalitas, ebrietas, & ſimilia, quæ in alio diſſimilis conditionis homine, vix,aut ne vix quidem, taxarentur, quæq; prudentiæ Eccleſiaſticæ ſint impedimento, vt vel non agat pro honore Chriſti, & ſalute hominum,quando,& quemadmodum debet, vel agēdo nihil efficiat, ſed in mundanam prudentiam mutata, pertractet mundana, vluletq; cum lupis, ac verum ſit illud Oſeæ.4. *Sicut populus, ſic & ſacerdos.*

Porro quid ſit illud, in quo ſacerdos, prudentiâ veri paſtoris orbatus,efficiatur populo ſimilis S. Augu: Tom:9 tract: 46. in caput 10. S. Joannis in duo partitur membra, commoda,videlicet, temporalia, & honores mundanos, vocatq; talem paſtorem mercenarium, ſua, non quæ IESU Chriſti ſunt quærentem. Sua ſunt,prælaturas honoratiores,& beneficia ambire ſemper pinguiora, prætextu quidem boni Eccleſiæ, & honoris Chriſti, reuera autem eſt, lucrum ſuū, deliciæ ſuæ, honor ſuus. Sua ſunt coëmere ampliſſimorū bonorum poſſeſſiones, nō ad dotandas Eccleſias, ſed ad redditus multiplicandos,& fouendam auaritiam. Sua nepotes, & conſanguineos, non ad decentem viuendi rationem, bonamq; educationem juuare, ſed ditare pompam ſæculi, & longam ſui reliquendam memoriam. Deniq; ſua ſunt, in vltimâ voluntatis atteſtatione, non pauperum egeſtatem, Eccleſiarumque ruinas, vel indigentias, liberalitate fulcire, gratumqueChriſto declarare animum,quòd ipſius patrimonio, ac hæreditate, in terris optimè, & copioſiſſimè ſit habitus, verùm ſplendorem nominis, famam, & linguas quærere hominum. De huiusmodi paſtoribus, non de omnibus loquitur S. Auguſtinus citato loco, ſic: *Sunt quidam Eccleſiæ præpoſiti, de quibus S. Paulus Apoſtolus dicit: ſua quærentes nec quæ IESV Chriſti. Quid eſt ſua quærentes? non Chriſtum gratis diligentes, temporalia commoda ſectantes, lucris inhiantes,* II.

 hono-

Digitized by Google

honores ab hominibus appetentes. Quiſquis eſt talis, mercenarius eſt: inter filios ſe non computet, de talibus enim Dominus dicit: Amen dico vobis, perceperunt mercedem ſuam.

12. Quoniam verò omnibus, etiam regularibus præpoſitis, honor debetur ab ouibus, alijs autem, qui non ſunt regulares, ad honorem adjungi debent, & temporalia commoda, tantò maiora, quantò quis in maiorem dignitatem eſt euectus, neque tamen omnes hi cenſendi ſunt mercenarij, quibus hæc à ſubditis impenduntur, idem S. Auguſtinus affert duo indicia, ex quibus manifeſtè conijcit, quis verus, & prudens paſtor, quiſue mercenarius ſit habendus? Mercenarium agnoſcit eum, qui honorem & commoda, primùm æſtimat, cætera, quæ ſunt in munere paſtorali, ſecunda: quod vel inde patebit, ſi ad illa conſequenda labor impenſus adhibeatur, ad hæc modicus. Addit aliud quoq; mercenarij ſignum, nempe timorem, corrigendi oues, à quibus bene ſit habitus, atq; honoratus. Sed ipſum S. Auguſtinum de hac re diſcurrentem audiamus, qui tom: 9. lib: vno de paſtoribus, ex Ezechiele locum adducit cap:14. *Fili hominis, propheta de paſtoribus Dei contra malos paſtores hæc verba, & dices: Hæc dicit Dominus Deus: de paſtoribus, qui paſcebant ſemetipſos, nonne greges à paſtoribus paſcuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod craſſum erat, occidebatis, quod infirmum fuit, non conſolidaſtis, & quod ægrotum, non ſanaſtis, quod contractum eſt, non alligaſtis, & quod abiectum eſt, non reduxiſtis, & quod perierat, non quæſijſtis. Propterea, paſtores, audite verbũ Domini: Ecce ego ipſe ſuper paſtores, requiram gregem meum de manu eorum*, & cætera: in quem locum ſcribens docet, poſſe paſtores à fidelibus accipere lac, id eſt, neceſſaria vitæ ſuſtentandæ, modò illa non quærantur primùm, & potiſſimùm. Quapropter laudat S. Paulus Philippenſes, in Epiſtolâ ad eoſdem c. 2. *Bene*, inquiens, *feciſtis, communicantes neceſſitatibus meis*: Cæterùm mox ſubdit; *Non requiro datum, ſed*

ſed fructum. Quo oſtendit ſe non caducorum bonorum gratià, paſtoris obijſſe munus, neq; ideo multum laboraſſe, vt multa daretur, & præ alijs expetita merces: *vnde viuitur* (ait Aug:) *neceſſitatis eſt, accipere, charitatis præbere, non tanquã venale ſit Euangelium: ſi enim vendunt, magnam rem vili pretio vendunt:* Docet præterea idem Sanctus Pater, lanam quoq; ab ouibus rectè ſumi, nempe honorem, nam ſicut lana tegit nuditatem corporis, ita honor id, quod fragile, & vile eſt in paſtore contegit, altum quid illi & diuinum tribuendo: *ſi cogitatis* inquit Auguſti: *Quid ſit paſtor? manducat, dormit, natus eſt, moriturus eſt, homo eſt, tu tamen honorando eum, velut Angelum, contegis quod infirmum eſt. Huiusmodi indumẽtum acceperat à bonâ Dei plebe, Paulus cùm diceret: ſicut Angelũ Dei ſuſcepiſtis me, ſi fieri poſſet, oculos vobis eruiſſetis. Ne tamẽ propter hunc honorem ſeruire videretur, non pepercit delinquentibus: accedit ad ouem languidam, putridam. ſecare vulnus: inimicus factus ſum vobis, inquit, verum prædicans: ecce accepit de lacte ouium, & indumentum ex lanis, ſed tamen oues non neglexit, non enim ſua quærebat, ſed quæ IESV Chriſti: Abſit ergo, vt dicamus vobis, non perdet Dominus quod redemit, magna eſt Dei miſericordia, quæ totum ignoſcat, conuiuamini cum veſtris, ad hoc enim data eſt creatura, vt eâ perfruamini, non enim impijs, & paganis eã dedit, & vobis eam non dedit. Hæc ſi dixerimus paucos offendimus, qui ſentiant, hæc nos dicentes, non rectè ſapere, ſed multitudinem conciliabimus, congregabimus, turbas ampliores. Quod ſi fecerimus, non verba Chriſti dicentes, ſed noſtra, erimus paſtores, nos metipſos paſcentes: nõ oues.* Hoc quàm ſit noxiũ paſtori, nimirum, conſentire & applaudere peccantibus, deducit S. Auguſtinus ex cap: 32. Exodi ſuper Exodum lib: 2. cap: 146. expendens illa verba: *Videns ergo Moyſes populum, quòd eſſet nudatus (ſpoliauerat enim illum Aaron propter ignominiã ſordis)* quæ ſecundùm aliam verſionem ſic legit: *Cùm vidiſſet Moyſes populum, quia diſſipatus eſt (diſſipauit enim eos Aaron)* putatq;

non

non aliam fuiſſe cauſam, cur diſſipatio ſit adſcripta Aaroni potiùs, quàm populo, quàm quòd conſenſiſſet illi: *Magis*, inquit, *dictum eſt diſſipauit eos Aaron, quoniam ceſſit eis, quàm diſſipârunt ſe ipſi, qui tantum malum flagitauerant.* Hæc S. Auguſt:

13. Sed hoc mercenarij eſt proprium, facilè cedere errantibus, neq; inuenire modos corrigendi delinquentem, quos mille, & ſi arduos, in promptu habet ſolida veri paſtoris prudentia. Id, quod patheticè oſtendit idem Sanctus Doctor, libro illo vno de paſtore, nimirum, ſpiritu Chriſti actus, quo erat, vt optimus Præſul, ſemper plenus. Itaq; trutinans illa Ezechielis verba: *Quod errabat, non reuocaſtis, & quod perijt, non inquiſijſtis,* per errantes, & pereuntes intelligit hæreticos, (nihil verò eſt incommodi, quoſuis à pietate deuiantes intelligere) & ſic loquitur: *Hîc inter manus latronũ, & dentes luporum verſantur, & contumaces ſunt oues errore ſuo, & perditione ſuâ dicunt, quid nos vultis? Quid nos quæritis? quaſi nõ ipſa cauſa ſit quare eas velim⁹, & quare quæram⁹, quia errant, quia pereũt: ſi in errore, inquit, ſũ, ſi in interitu, quid me quæris? nolo errare, nolo perire: prorſus audeo dicere, importun⁹ ſũ 2. Timot: 4. Prædica, inſta, opportunè, importune: non vult te perire ille, qui me vrget.* *Quod errabat, non reuocaſtis, & quod perierat, non inquiſiuiſtis. Te magis timebo, quàm ipſum? oportet nos omnes exhiberi ante tribunal Chriſti. Non te timeo, reuocabo errantem, requirã perditam, velis, nolis, id agam; & ſi me lanient vepres ſyluarum, per omnia anguſta me coarctabo, omnes ſepes excutiam, quantùm mihi virium Dominus terrens donat, omnia peragrabo. Si me pati non vis, noli errare, noli perire, timeo, ne negligens te, etiam quod forte eſt, occidam, vide enim, quod ſequitur: Et quod forte fuit confeciſtis, ſi neglexero errantem, atq; pereuntem, etiam eum, qui fortis eſt, delectabit errare, atq; perire.* Hæc ardentia S. Auguſtini verba, quem paſtorem, (ſi modo muneris ſui memor eſſe velit) non moueant, ad inueſtiganda, & aggredienda quæuis, pro gloriâ Dei Saluatoris, & ſalute animarum, Sa-

crosan-

Digitized by Google

croſancto eius ſanguine cœlo emptarum? Profectò qui veritati, à Sancto hoc Doctore præbet apud ſe (quemadmodũ debet) aſſenſum, nunquam aut timebit, ne offendat, aut conniuebit vt placeat, aut remiſſus erit, eò quòd eum pigeat, ſed contra hæc omnia munietur armis, quæ idem ſanctus, iiſdem præſcribit paſtoribus, ex Pſalmo 68. citans illum locum: *Et placebit Deo ſuper vitulum nouellum cornua producentem, & vngulas. Qui bene,* inquit, *inſtructus eſt, cornua debet habere, quibus aduerſarium ventilet, & vngulas, quibus terram excitet. Aliquis hæreticus fortè contradicit, cornibus ventiletur: alius, non contradicit, ſed tamen terrenum abiectè ſapit, vngulis excitetur.* Plura in hunc ſenſum proſequitur S. Pater, aliqua etiam de paſtoribus dicta ſunt ſupra cap: 2. num: 5. Porro, quod ad cornua & vngulas attinet, vſum talium armorum explicat Paulus Apoſtolus Paſtorē Timotheum cōmonens officij 2. Tim: 4 *Teſtificor coram Deo, & IESV Chriſto, qui judicaturus eſt viuos, & mortuos, per aduentũ ipſius, & regnũ eius, prædica verbũ, inſta opportunè, importunè, argue, obſecra, increpa, in omni patientiâ & doctrinâ.* His aliquot membris ſufficientiſſimè eſt ab Apoſtolo deſcriptus zelus, & ſpiritus prudentis paſtoris, qui declaratur vſu, tum leuium, tum acriũ, velut ad vincendas animas, armorum.

Meritò autem præmittitur coniuratio, per judicium Iesu Chriſti, eiuſq; aduentum, ac regnum. Nam hæc tria, judex ſupremus, judicium vltimum, & præmium Regni, ſi ante oculos paſtoris fuerint ſemper, nulli labori parcet, quē pro voluntate Chriſti ſubire debet. Erit facilè memor exigendæ à ſe ſtrictiſſimæ rationis, non iam de ſuis factis, dictis, & cogitatis, quæ præterierũt, nec multò minùs de poſſeſſionibus, quantæ ſint relictæ, aut famâ nominis comparatâ, hæc enim tranſibunt, cum tranſeunte mundo, ſed de ſingulis animabus, quæ vel feliciſſimè, vel miſerrimè immortales viuunt. Atq; ſi earum quas ſaluandas ſuſcepit, omnē, 15.

M quam

quam debuit adhibuit curam, mercedem regni cœleſtis cõſequetur; ſi vel vnam ſuâ incuriâ perdiderit, ſentiet judiciũ graue ab eo, qui, ne vna periret, ſuam vnam, eamq; immenſi ponderis, perdidit vitam. Hæc tum à Timotheo, & nunc, à quouis paſtore expendi vult Apoſtolus S. Paulus, *teſtificans coram Deo & IESV Chriſto qui judicaturus eſt viuos, & mortuos.* Vbi ergo his ſemper in mente habitis prædicauerit paſtor, oſtenderitq; veritatem, cui vita honeſta innitatur, inſtare debet, vt eadem factis probetur, & ad hoc cõmoditatem, opportunitatemq; expectare; quod ſi ea non detur, & importunè veritas eſt in memoriam reuocanda, ne ſanctum detur canibus, & ante porcos proijciantur margaritæ. Matth: 7. quarum valor & præſtantia contemnatur.

Quod ſi inſtantia, diſplicentiam, auerſionemq; pepererit animi, arguenda eſt blandè ouis, adjunctâ videlicet obſecratione, tanquam immemor, & minùs reputans cognitam veritatẽ: ſi neque id prodeſt, poſtremum, cæteris acrius addendum calcar, increpando, minas judicis intentando, pœnis Eccleſiaſticis adigendo, denique (ſi interdum expedit) brachium etiam invocando ſæculare, in ijs, quæ juſtitia ciuilis punire debet. Quibus omnibus, ſanè permoleſtis, vt adſit corona perſeuerantiæ ſanctæ, patientia comes adjungenda eſt, quò doctrina veritatis ab initio propoſita, ad finem vſque duret, ſi non correctionis obtinendæ, certè conſtantis prædicationis. Atque hæc ſunt in quibus tota paſtoralis verſatur prudentia, exemplum videlicet bonum, & ſpiritus, ac zelus Chriſti, in honore eius, & bono animarum propagando.

CAPVT VIII.

Qua prudentiâ præditi eſſe debent, qui ciuiliter præſunt?

Non

Digitized by Google

NON de illis tantùm hìc agetur, qui ſupremam in republicâ habent dignitatem, quales ſunt reges, & principes abſoluti, ſiue ſoli, vt in Monarchiâ, ſiue plures, vt in Ariſtocraticâ cōmunitate: ſed de ijs etiam ſermo erit, qui qualicunq; gaudent ciuili gubernatione, aut ad illam conſilio, judicandi poteſtate, aliaue ratione debent concurrere: omnes enim hi præſunt alijs, eoſq; in officio continendo, pacem, bonumq; promouent publicum.

Quod vt rectè faciant, prudentia in auxilium advocanda, ſine quâ, tam periculoſum eſt & noxium regimen, quàm ſine gubernaculo nauigatio in mari. Ita prædicit fore Spiritus Sanctus, Prou: 28. *Dux indigens prudentiâ, multos opprimet:* fluctibus, ſcilicet, peruerſæ gubernationis, è quibus facilè ſe eripiet, deducetq; ad optatum portum, ſi fuerit prudens: *prudentiæ enim,* vt dicere ſolitus erat Menander, *famulatur omne.* Quapropter Seneca lib: 1 de clementiâ, prudentiam imperantis aſſerit, propriam, & vnicam eſſe virtutem, à qua idem Spiritus Sanctus nonnullos, tanquam optimos, beneficio illius rectores populi præcipit laudare, atque huiuſcemodi effert encomijs, Eccleſi, 44. *Laudemus viros glorioſos multam gloriam fecit Dominus, magnificentiâ ſuâ à ſæculo, dominantes in poteſtatibus ſuis, homines magni virtute, & prudentiâ ſuâ præditi.*

Sectio Prima.

Quas virtutes comites habet prudentia ciuiliter gubernantium?

DVplex in hoc elogio materia laudis aſſignatur, magnitudo virtutis, & prudentia, quò intelligeremus, 1.

 pruden-

prudentiam in dominantibus, poteſtatemq́; exercentibus debere eſſe talem, quæ habeat comites quaſdam virtutes, à quibus illi meritò poſſint vocari magni, quæ ſi defuerint, deerit quoque prudentia dominis propria. Nam cùm ad vnamquamq; virtutem requiratur debita prudentia, vt ſupra cap: 6. declaratum eſt, in ijs, qui in alios dominantur, talis reperiri debet, quæ magnas pariat virtutes. Quæ autẽ ſint hæ, & quot numero, docet S. Auguſtinus, exponendo tom: 8. Pſalmi 137. illum verſum. *Confiteantur tibi Domine, omnes Reges terræ, & cantent in vijs Domini: In quibus,* inquit, *In miſericordiâ, & veritate, quoniam vniuerſæ viæ Domini, miſericordia, & veritas.* Pſal: 24.

Rectè has duas, & nõ plures virtutes, ab eiuſmodi cõditionis hominibus exigit S. Auguſtinus, ſi quæ enim ſunt aliæ, ad munus ipſorum vtiles, facilè jam adductis ſolent aſſociari, vel certè, non ſunt eæ, à quibus magni dici debeant, hi, qui alios gubernant. Cæterùm miſericordia, & veritas, optimâ ratione vocantur magnæ, eò quòd ſe longè, latèque extendant, & ad omnes prorſus diffundant, qui ſubſunt poteſtati dominantis, vt patebit magis, cùm de vtraq; fuerit actum.

2. Sed in primis ſumenda eſt earum virtutum magnitudinis menſura à miſericordiâ, & veritate Dei, quandoquidem virtutes iſtæ dicuntur viæ Domini, quibus ille veluti de ſolio maieſtatis ſuæ deſcendit ad regimen creaturarum ſuarum, miſericordiam, & veritatem, ijs præſtiturus. Et miſericordiam quidem exhibet prorſus omnibus; nam si verum eſt (vt veriſſimum eſſe nemo ambigit) omnem creaturam nihil à ſe habere, imò ex ſe nihil eſſe, ſed ſummam & extremam egeſtatem; vt meritò teſtis fidelis, & verus, principium creaturæ Dei, Chriſtus, ſuperbienti cuidam dixerit, Apocal: 2. *Dicis quòd diues ſum, nullius egeo, & neſcis, quia tu es miſer, & miſerabilis, & pauper, & cæcus, & nudus,* Quare, ſi creatura quævis in

uis in tantâ eſt miſeriâ, eget diuinâ miſericordiâ magnâ, nimirum ad omnia, quæ fiunt, ſe diffundente. Hoc ſignificant illa Pſalmi 56. verba: *Quoniam magnificata eſt, vſq; ad cœlos miſericordia tua*: non ſolùm enim ſublunaria, ſed ipſi Cœli, & beati illorum incolæ, egent Dei liberali miſericordiâ, cùm tamen plures miſeriæ in ſublunaribus cernãtur, rectè Pſalmo 12. dicitur: *Miſericordiâ Domini plena eſt terra*, quæ pro multitudine indigentiarum, multiplici, & magnâ eget Diuinâ miſericordiâ. Quod ad veritatem Dei 3.
ſpectat, hæc non omni creaturæ, ſed rationis duntaxat cõpoti debetur, vt vel præmio afficiatur digno, ſi meruit, vel puniatur juſtè, ſi deliquit. Huiuſcemodi veritatis impoſuit ſibi DEUS debitum, atque obligationem, homines condendo, ſibique tanquam ſupremo Domino ita ſubijciẽdo, vt nulla juſta ſit querela, aut bonorum contra iniquos, quòd peruerſa iſtorum voluntas impunita maneat; aut iniquorum contra bonos, quòd hi amplioribus donis, à DEO ſibi collatis eundem deuinxerint, quæ ipſis negata ſint.

Nulla erit talis querela, quando Diuina veritas, ſeu Juſtitia, & in probis, munera ſua magna maioribus rependit; & in reprobis abuſum donorum; etſi minorum, meritò caſtigat, ordinatq; vt is, cui placuit peruerſus arbitrij vſus, debeatur diſplicẽs, ac ingrata præmij ſubtractio, pœnaq; cõdigna.

Quod S. Auguſt: tom: 8. in Pſalm: 7. ſcribens, illaque expendens verba: *Confitebor Domino ſecundùm juſtitiam eius*: ſubtili declarat diſcurſu, factâ prius partitione juſtitiæ Divinæ in facientem, & ordinãtem; quarum illa eſt in juſtos, hæc in peccatores. Sic ergo loquitur: *Non iſta confeſſio peccatorum eſt, ſed confeſſio juſtitiæ Dei, quæ ita loquitur: verè Domine juſtus es, quando & juſtos ſic protegis, vt per te ipſum illos illumines, & peccatores ſic ordinas, vt non tuâ, ſed ſuâ malitiâ puniantur. Iſta confeſſio ita Dominum laudat, vt nihil poſſint impiorum valere blaſphemiæ, qui nolunt ſuæ*

Digitized by Google

culpæ tribuere, quod peccant. Itaq; aut fortunam, aut fatum inueniunt, quod accuſent, aut Diabolum, cui non conſentire, in poteſtate noſtrâ eſſe voluit, qui nos fecit, Hæc S. Auguſtinus. Ad talem veritatem Dei, nulli juſtæ querelæ obnoxiam, & ad munificam eiuſdem miſericordiam, quò quis imitatione acceſſerit proprior, eò maior euadet virtute, ac prudētiâ, aptiorque erit ad gubernandum, teſte Salomone Prouerb: 20. *Miſericordia, & veritas cuſtodiunt Regem.*

Sectio Secunda.

In quos Miſericordia exercenda? Vbi primò agitur de miſerabilibus perſonis Fæminarum.

4. ATque inprimis à miſericordiâ inchoaturi, ſupponimus in quauis ditione eſſe plurimos qui egeant miſericordiâ eorum, quibus ſubſunt: primò pauperes quos Dominus prædixit fore ſemper nobiſcum, Joan. 12. deinde ſubditi ſunt, qui, quòd Dominis ſuis obſequia, tributa, laboreſque perſoluunt, multa ab exactoribus perferre coguntur, crebrò etiam vltrà quàm poſſint, & in quibuſdā Regnis ſeruiliter ac miſerrimè tractantur. Denique adſūt variæ conditionis homines, qui à ditioribus, ac potentioribus opprimuntur, tales ſunt, pupilli, viduæ, & cæteri ſorte ac fortunâ inferiores. In hos omnes quàm fuerit pius, & miſericors, princeps ac ditiſſimus Dominus, Sanctus Job, ipſe de ſe Spiritu Sancto jubente teſtatus eſt, ſeque conditione ſibi æqualibus viuum miſericordiæ depinxit exemplum, c. 21. ita loquens: *Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogi-*

tarem

Digitized by Google

tarem quidem de Virgine, ſi deceptum eſt cor meum ſuper muliere, & ſi ad oſtium amici mei inſidiatus ſum, ſcortum alterius ſit vxor mea, hoc enim nefas eſt, & iniquitas maxima, ignis eſt vſq; ad perditionem deuorans, & omnia eradicans genimina.

A continentiâ laudes regiminis ſui exorſus eſt. Quemadmodum enim magna eſt miſeria, iactura honeſti, & famæ, longèque maior damnis bonorum, ita non eſſe iniurioſum, quin potius ſuccurrere periclitantibus de vtroq;, inſignis eſt miſericordia, cuius laus & magnitudo ex eo inprimis creſcit, quòd genus hoc perſonarum varijs ſit periculis expoſitum. Ipſa fragilitas ſexûs atque inconſtantia, judicij debilitas, ignorantia fraudis, facilitas ad credendum promiſſis, futurorum leuis aut nulla prouidentia, denique inertia, atque impotentia ad vim repellendam, copioſam offerunt miſerendi materiam, tantòque illuſtriorem, quantò plures adſunt euadendi miſeriam difficultates. Augetur deinde eadem miſericordiæ virtus ex ipſâ dominantium conditione, qui facilè luxuriæ dant manus, eo quòd in illis ſit crebrò juuenilis vegetaque ætas, poteſtas ampla, copia facultatum, & diuitiarum, quibus teſte rege Salomone Eccles: 10. *obediunt omnia*: epulandi item, conuiuandi, potandique crebritas, tandem inopia eorum quos timeant, aut reuereantur, multitudo verò aliorū, qui luxuriâ præeant, inuitent, ſuadeant, diſſimulent, adulentur. Hæc, & ſexcenta alia, ingentem præbent audendi licentiam, quæ oculos mentis adeò excæcāt, vt nō blanditijs ſolùm, & pollicitationibus ſcelus prouocetur, ſed minis, fraude, raptibus honeſtiſſimæ cæteroquin matronæ, adigantur, ad patranda ea quæ horrent, ſed non euitant, deſtitutæ ope. Quoniam ergo magna eſt facilitas, & procliuitas, in miſerandas ſanè perſonas, Dominis delinquendi, maxima quoque & præclariſſima erit virtus, miſeram ſortem illarum ſubleuare, & ſe patronum, patrem, acerrimumque defenſorem pudicitiæ earum exhibere. 5.

Hæc

Digitized by Google

6. Hæc miſericordia in ordinatis rebus publicis impulit quoſdam ad fundanda & amplè dotanda loca, quibus pauperes, vel parentibus orbatæ puellæ contineantur, & honeſtè educentur, vt decurſu temporis in religioſarum clauſtris, vel in matrimonijs collocatæ, vitam degant caſtam & quietam. Eadem miſericordia perſuaſit multis liberaliſſimas eleemoſynas, non ad aliquot vices, verùm perenniter ceſſuras in dotem egentium fæminarum. Sunt etiam non pauci, qui, imitati Nicolaum Sanctum Epiſcopum, clam donant, quod ſuſtentandis, dotandiſque pauperculis ſeruit virginibus, atque viduis, rati eiuſmodi eleemoſynam maximi eſſe in oculis Diuinis meriti, quæ ſimul corpus paſcit, honorem tuetur, ac pudicitiam.

7. Narratur de quodam, in tripartità hiſtorià Marci Aurelij Caſſiodori, qui pro licentià militari diſſolutiùs, impuriuſq; vixerat, & dum quadam virgine (quæ à patre nimirum paupere ad infelix lucrum ei conceſſa erat) abuti vellet, illaque armis muliebribus, nempe fletu, & lacrymis ſe defēderet, ſola in cōclaui duo aſſumpſit, tanquam adminicula, & ſocios futuræ pugnæ, nomen (quo etiam vocabatur) Mariæ, & diem ſabbathi, quem præcedebat nox deſtinata ad violandam virginis integritatem. Hæc duo in patrociniū cliens Deiparæ aſſumpſit, quibus miles auditis, miſeratus eſt flentem, quæ Dei Matris, & nomine, & die, (cùm aliud non haberet) ſe tueretur, pepercitq; pudicitiæ, quin in honorem patronæ, ad monaſterium virginum deduxit, dotem certò daturus: breui deinde in bello occubuit, onuſtus quidem grauiſſimis ſceleribus, ſed Deiparæ ope, in ipſo obitu, tantà, crimina illa, eluit contritione, vt mox à morte, beatâ donatus ſit vità. Id quod illi virgini in monaſterio conſtitutæ à genitrice Dei reuelatum eſt, additis certis æternæ ſalutis indicijs, nempe roſæ, ex ore militis, iam mortui, pullulantis, cuius corpus vt in monaſterio in quo virgo degebat,

bat, ſepeliretur mandatum fuit à Dei Matre.

Si tantùm apud DEUM potuit protectio vnius fæminæ in periculo conſtitutæ, ſemel exhibita, quis ambiget grandis meriti eſſe miſericordiam multis, pari ratione, aut grauiùs periclitantibus, ſæpiuſque præſtitam? Caſtum fuiſſe Alexandrum narrant, qui ſcribunt eius vitam, Plutarchus & alij. Ipſe ſic de ſe ad Parmenionem: *Ego tantùm abeſt vt viderim Darij vxorem, vt ne ſermones quidem de elegantiâ eius referentium admiſerim.* Eidem Parmenioni præceperat vt aliquot milites ob violatas quarundam vxores, tanquam beſtias ad hominum perniciem natas, ſupplicio tolleret. 8.

His verbis, & tali facto, magnam in miſeras perſonas ſuâ miſericordiam commendat Alexander, propter quam fortè tantam agendi proſperitatem à Dei miſericordiâ conſecutus eſt, id quod ex contrario conijcitur clarè: nam ſi quis miſericordiæ immemor, crudelem ſe hac in re gerat, ab eo grauiſſimè DEUM offendi nemo inficias ibit, qui pœnas huiuſce crudelitatis memoriâ recolat. Atque vt ex prophanis libris petita ſileantur exempla, Amnon 2. Reg: 13. filius regis, eò quòd ſororē ſuam Thamar vi oppreſſerit, ab Abſalone fratre, immaniter trucidatus eſt, diuinâ ſic ordinante prouidentiâ, vt fædus inceſtus, etiam in hac vitâ, condignas lueret pœnas. Par ſcelus commiſit Sichem, vt habetur Gē: 34. in Dinam filiam Patriarchæ Jacob, non diſſimilem quoque de eo ſumpſêre vindictam fratres Dinæ, mactato illo, patre eius, & omnibus ſceleris conſcijs. Sed illud cæteris, atrocius eſt, quod legimus Judicum 10. & 20. de Leuitâ, qui quòd ſua vxor à nonnullis è tribu Bemiamin immani libidine vexata, animam exhalaſſet, mortuæ cadauer ſecuit in duodecim partes, ad ſingulas tribus, vnam mittendo, vltionemque de tanto facinore implorando: conſultus DEUS quid facto opus eſſet, præcepit vt omnes reliquæ tribus cōtra vnam Beniamin in pugnam prodirent. Executi ſunt diuinū

uinum mandatum,totamque pene deleruntt ribum,ſexcentis,non amplius, reſiduis,qui fugâ conſuluerunt vitæ, monteſque petierunt, cùm nulla ſupereſſet ædes à flammis illæſa. Ita Deus miſerandæ vnius fæminæ iniuriam, tot funeribus vltus eſt, exemplumque poſteris reliquit, vt indubitatè ſciant,quàm ſit atrum in oculis eius crimen,violatio pudicitiæ, vt non ipſi ſolùm authores puniantur nefandi; ſed communitates etiam, locaque quæ incolunt. Quod ſi non ſemper, aut non æquè citò, ſimiles cernuntur pœnæ, non omittuntur tamen, neque obliuione tolluntur apud eum,qui nihil impunitum relinquit, verùm grauiores futuræ differuntur longiùs.

Sectio Tertia.

Seruis & ſubditis miſericordia exhibenda.

9. SEd ad alios, qui miſericordiâ egent,pergamus,è quibus, ſeruis atque ancillis, & alijs, qui quapiam ratione ſubiecti ſunt,quanta ſit oſtendenda miſericordia, in ſe declarat idem magnus Dominus S. Job. cap. 31. *Si contempſi* dicebat ille, *ſubire judicium cum ſeruo meo, & ancillâ meâ, cùm diſceptarent aduerſum me: quid enim faciam cùm ſurrexerit ad judicandum DEVS, & cùm quæſierit, quid reſpondebo illi? Nunquid non in vtero fecit me,qui & illum operatus eſt, ſi non dixerunt viri tabernaculi mei: Quis det de carnibus eius vt ſaturemur? ſi aduerſum me terra mea clamat, & cum ipſa ſulci eius deflent: ſi fructus eius emi abſque pecuniâ,& animam agricolarum eius afflixi: pro frumento oriatur mihi tribulus, & pro hordeo ſpina.* Duas veluti partes miſericordiæ in ſubditos recenſet vir ſanctus: prima eſt, judicium, quod ſolitus erat ſubire, quoties requiſitus eſ-

ſet;

ſet, à ſeruo, ſubditoue, ita quidem, vt non opus eſſet appellatione ad alium æquiorem judicem, ne ad ipſum Deum, cùm ſemper juſtiſſimam tulerit ſententiam, veritus, ne ſi injuſta eſſet abeo lata, in ſeuero judicis Dei corrigeretur tribunali, qui domini, & ſerui, vnus idemque eſſet conditor.

Altera pars eiuſdem miſericordiæ in ſubditos fuit, nunquam afflixiſſe agricolarum animas nimijs laboribus, & exactionibus.

Hoc miſericordiæ munus negligitur ab illis, qui, vel retinent debitam & juſtam operarijs mercedem, quam poſſint, modò velint, reddere; vel adigunt ſubditos colonos ad labores, oneraque, vires ac debitum excedentia. Jllud prius eſt peccatum, quod ad diem judicij expectare mulctam nō nouit, ſed validè in cœlū clamat, eiuſq; prouocat judiciū, qui Deuteron: 24. ſeuere per ſeruum ſuum Moyſen præcipit: *Non negabis mercedem indigentis & pauperis fratris tui, ſiue aduenæ; ſed eadem die reddas ei pretium laboris eius ante ſolis occaſum, quia pauper eſt, & ex eo ſuſtentat animam ſuam, ne clamet contra te ad Dominum, & reputetur tibi peccatum.* Non leue eſt hoc apud eundem Judicem peccatum, nam pari ratione, ſimiliq; pœnâ defraudantes mercedem, ſe caſtigaturum illud prædixit, quam merentur homicidæ; Ecclef: 34. *Qui aufert in ſudore panem, quaſi qui occidit proximum ſuum: Qui effundit ſanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres ſunt.* 10.

Poſterius malum, nempe exigere plura quàm poſſint, tyrānidem quandam ſapit; quod ſi exigantur omnia, quæcunque & quomodocunque ab illis præſtari poſſunt, id redolet ſeruitutem mancipiorum, à qua illi omnino eximi debent. 11.

Quatuor enim cauſas aſſignant authores, quæ inducunt ſeruitutem, vt docet cum communi Sylueſter, V. Seruitus q. 3. & Leſſius de Juſt: & Jure lib: 2. c. 4. dub: 4. Prima eſt, jus belli, in quo ſicut poſſunt necari victi, ita perpetuæ addici ſeruituti. Secunda eſt natiuitas, ob hanc, qui ex mancipio

N 2

cipio, præſertim matre (partus enim jure communi ſequitur ventrem) naſcuntur, ſerui ſunt: tertia eſt condemnatio juſta ad ſeruitutem, ob aliquod crimen: vltima, emptio, qua quis in ſeruum emitur. Cùm ergo in ſubditos colonos nulla harum cauſarum cadere poſſit, quod vel ex hoc conſtat, nam poſſident propria, contra quàm permittitur ſeruis, ſequitur, vt non ſint lege mancipiorum tractandi.

12. Et in alijs quidem regnis, quibus lux fidei affulſit, non ita fortè ſeruitus hæc, ſiue oppreſſio ſubditorum dominatur, atque in quibuſdam Aquilonaribus: vbi nullæ ferè ſunt leges quæ præſcribant modum, operas, & tributa exigendi, à ruſticis, nobilium præſertim: ſed quiſque ſibi quem vult ſtatuit modũ: atque ſi vel indigẽtiâ prematur, vel ſtimuletur auaritiâ, vel petulãtiâ agatur, imponit miſeris importabilia onera. Fit etiã nõ rarò vt ij, qui luxu, & prodigalitate vniuersâ abſũptâ ſubſtantiâ (qualiũ in liberâ republicâ copioſus eſt numerus) à ſubditis non prece, ſed vi, extorquent vnde viuant. Quod ſi quis jrâ percitus, non judicium rectum, ſed furorem ſequatur, in ſumendâ, etiam ad necem, pœnâ, nullus erit, qui iniquum accuſet dominum, nimirum eum, cui in bona, labores, atque ipſam vitam, conſuetudo, vel potiùs abuſus, ampliſſimam dedit poteſtatem. Sed quamdiu hæc poteſtas duratura eſt, & num aliquando non eſt punienda à DEO, in ipſius arcanis reconditum latet, ſuſpicio tamẽ pertimeſcendæ pœnæ non leuis eſſe poteſt. Jn Iudæorum certè regno factum narrat Hiſtoria ſacra 3. Reg: 12. cùm enim ſtatim à morte Salomonis ſubditi ad Roboam filium eius veniſſẽt gratiã hanc petituri: *Pater tuus duriſſimũ jugũ impoſuit nobis: tu itaque nunc imminue paululum de imperio patris tui duriſſimo, & ſeruiemus tibi.* Roboam juuenum petulcorum ſecutus conſilium populo reſpondit: *Pater meus aggrauauit jugum veſtrum, ego autem addam jugo veſtro, pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos ſcorpionibus.* Hoc reſponſo accepto,

pto, decem integræ tribus à Roboam, & à uero Dei cultu deſciuerunt, Jeroboam ſibi in Regem electo, reliquæ autem tribus adhæſerunt Roboam, neque vnquam aliàs gẽs Hebræa in vnum conſenſit principem. Quod & ipſi & regibus in ruinam ceſſit, ac perniciem, cuius occaſionem dedit & initium immanis in ſubditos crudelitas: ſimile pertimeſcendum eſt regnis, in quibus ſubditi juſtò grauiùs premuntur, ne ſi impunè tantæ ſeruitutis licentia creſcat, neque moderatio adhibeatur vlla, veniat ille, *per quem reges regnant, & legum conditores juſta decernunt*: Prouerb: 8. faciatque id quod facturum ſe promiſit cuiuis regno, in quo dominandi facultas, in licentioſam verſa eſt audaciam: *Dico vobis*, inquit Chriſtus, Math: 21. *quia auferetur à vobis regnum* (per mutationem videlicet regiminis formæ, quam grauis reipublicæ perturbatio comitari ſolet) *& dabitur genti facienti fructus eius*: Certè inter fructus, quos DEUS ſuâ benedictione impertitur genti ſibi charæ, eſt etiam abundantia rerum, quam quia queruntur ſibi deeſſe hiſce temporibus varijs in regnis incolæ eorum, videant ne id proueniat ex maledictione diuinâ, quam ſibi imprecatur Job ſi eſſet in ſubditos iniquus: *Pro frumento*, inquit ille, *oriatur mihi tribulus, & pro hordeo ſpina*. Caueant etiam ne iſta maledictio creſcat in dies, & ne ad ſoli ſterilitatem, accedat inopia eorum, qui illud excolant, ſcilicet deficientibus colonis fame, peſte, bello. Quod ne eueniat miſericordiâ in miſeros ſubditos apud DEUM eſt demerendum, itaque cùm illis agendum, vt altera miſericordiæ pars, quam Sanctus Job in ſe expreſſit, debitè expleatur; nempe, vt eiuſmodi homines paternam dominorum ſuorum experiantur curam & pietatem, qua deuincti filiali, amãtiq; affectu dicant, quod ſerui, ancillæ, & ſubditi Job de illo dicere ſolebant, *Quis det de carnibus eius vt ſaturemur*.

Digitized by Google

Sectio quarta.

Pupillis miſericordia oſtendenda.

13\. PRæter hos ſunt in republicâ pupilli, & aduerſæ fortunæ homines, quibus miſericordia à dominis eſt exhibenda. Hìc quoque ſecurè veſtigijs Sancti Job inſiſtere poſſumus, ſic enim ille cap: 31. de ſuâ in tales miſericordiâ teſtatur: *Si leuaui ſuper pupillum manum meam, etiam cùm videret me in porta ſuperiorem: humerus meus à juncturâ ſuâ cadat, & brachium meum cum ſuis oſſibus confringatur.* Grauia ſibi imprecatur magnus hic dominus, ſi illum, qui eâ eſt conditione, & facilè à quouis lædi poſſit (cuiusmodi ſunt pupilli, viduæ, & ſimiles) ſiue manum leuando, potentiâ oppreſſiſſet, eiſque qui opprimunt non obſtitiſſet; ſed potius dediſſet opem: ob hoc, inquam, ſi deliquiſſet, ſibi imprecatur membrorum ab inuicem diuulſionem, & confractionem oſſium. Quod ſi vltra literam, ad moralem ſenſum attendere velimus, per humerum, & brachia, dignitatem poteſtatis intelligere poſſumus, per oſſa vires, & fortitudinem, id quod in ſacrâ ſcripturâ eſt crebrum: ita enim de Chriſto Domino Iſaias cap: 9. dicit: *Et factus eſt principatus ſuper humerum eius.* Et Pſalm: 52. *Quoniam DEVS diſſipauit oſſa eorum, qui hominibus placent: confuſi ſunt, quoniam DEVS ſpreuit eos.* Quando ergo Job dirâ execratione optat, vt humerus à juncturâ cadat, brachium atque oſſa confringantur, dignum ſe judicat, qui in pœnam injuriæ, priuetur omni dignitate, ac felicitate mundanâ, qua magnates robuſti, atque illuſtres affici ſolent. Et meritò ſanè ita ſibi imprecatur vir Sanctus: cùm enim vt ſcribit Apoſtolus S Paulus, Rom: 13. *non ſit poteſtas niſi à DEO*, & in eâ conſtitutus quiſque Dei ſit miniſter in bonum ſubditorum, vt qui malū

fecerit,

fecerit, timeat, qui verò bonum, habeat, laudem; profectò ſi pupilli patiantur à malis damna, atque injurias, dominis, & judicibus id diſſimulantibus, neque prohibentibus, cùm poſſint, aut quod peius eſt, concurrentibus ad malum, huiuſmodi domini, & judices, digni ſunt, vt tanquam mali miniſtri à ſupremo Domino, Deo videlicet, priuentur ſuis dignitatibus, atque in pœnam damnorum per illos alijs illatorum, ad extremam pauperiem, miſeriamq; redigantur, ad exemplum alijs, pari honore magnis, ſolatiumque afflictis, vt ſciant Deum iniquè ferre ipſorum detrimenta, atque eos, per quos ſtat quo minùs eripiantur ab hominum malignitate, nō in illâ tantùm vitâ, ſed in hac etiā grauiter caſtigare. Quod Deus facturum ſe pollicetur Exod: 22. *Viduæ & pupillo non nocebitis, ſi læſeritis eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorem eorum, idcirco indignabitur furor meus, percutiamq; vos gladio & erunt vxores veſtræ viduæ, & filij veſtri pupilli.* Euidens huiuſce rei documentum habemus in impiâ Athaliâ Matre Ochoziæ regis Juda, 4. Regum 11. quæ, vt mortuo rege ſola rerū potiretur, filios Ochoziæ, quos, nimirum auia tueri, educare, ſceptroque conſeruare debuit, oblita innatæ pietatis, immaniter trucidauit, vno duntaxat, induſtriâ, neci ſubtracto. Tantā in miſeros pupillos atrocitatem, non diſſimili luit caſu, regni poteſtate, & vitâ per vim Dei nutu priuata, expertaq; in ſe, alijs documentum memoriâ dignum reliquit, quàm certò exequatur Deus, quod verè per Job dixit: *Si leuaui ſuper pupillum manum meam humerus meus à iuncturâ cadat, & brachium meum cum ſuis oſſibus conteratur.* 14.

Hoc experimento edocti, timebunt reges, ne ſibi, poſterisque ſuis ſceptra amittant, aut regnorum ſuorum videant 15.
mala, ſi pupillorum & viduarum diſſimulent oppreſſionem, quà negligendo, non poſtremam ſuæ poteſtatis curam; quà potentioribus, ſibiue dilectis condeſcendendo, faciſeque

parcē-

parcendo, aut leuiter animaduertendo in eos, qui non leuiter miſeris nocent: çauebunt etiam reliqui, in altas dignitatum ſedes euecti, ne vel abutantur in huiuſmodi homines ſuâ poteſtate, vel non vtantur illâ ad defenſionem ipſorũ.

Demum omnes ſciant, diuinam miſericordiam non ſibi fore benignam, ſi ipſi eam talibus miſeris negent, ita enim DEUS per Iſai: cap: 10. loquitur: *Væ qui condunt leges iniquas, & ſcribentes injuſtitiam ſcripſerunt, vt opprimerent in judicio pauperes, vt vim facerent cauſæ humilium populi mei, & eſſent viduæ præda eorum, & pupillum diriperent. Quid facietis in die viſitationis, & calamitatis de longè venientis? ad cuius confugietis auxilium? & vbi derelinquetis gloriam veſtram, ne incuruemini ſub vinculo, & cum interfectis cadatis.* Et cap: 58 Judæis querẽntibus, quòd ab ipſo dεſererentur, neque exaudirentur, dũ clamarent, reſpondit, ſe ideo noluiſſe miſereri, quòd etiam illi non fuerint miſerti, neque audierint clamores afflictorum. *Quare jeiunauimus,* inquiebant illi, *& non aſpexiſti, humiliauimus animas noſtras, & neſcijſti?* ad hæc DEUS: *Numquid tale eſt judicium quod elegi? ecce ad lites & contẽtiones jeiunatis, & percutitis pugno* (eos videlicet qui impares ſunt ad reſiſtendum) *impiè: nonne hoc eſt magis jeiunium? Solue faſciculos deprimentes, dimitte eos, qui confracti ſunt, liberos, & omne onus dirumpe,* hæc ſi fiant, miſericordiam ſuam offert liberalem, miſericors DEUS: *Tunc,* inquit, *inuocabis, & Dominus exaudiet, clamabis, & dicet, ecce adſum: ſi abſtuleris de medio tui catenam, & deſieris extendere digitum, & loqui quod non prodeſt: & requiem tibi Dominus dabit ſemper, & implebit ſplendoribus animam tuam, & oſſa tua liberabit: & ædificabuntur in te deſerta ſæculorum, fundamenta generationis, & generationis ſuſcitabis &c.*

Tantas poſt ſe trahit Dei benedictiones miſericordia, pupillis, viduis, & id genus hominibus piè præſtita.

Digitized by Google

Sectio Quinta.

Eccleſia Sancta à Principibus defendenda.

ET quia Eccleſia, Sponſa Chriſti in terris, nimium interdum vexatur ab hoſtibus ſuis, paganis, hæreticis, & ijs, qui fidem quidem profitentur Catholicam, regimen tamen rerumpublicarum ſuarum, bono, & ſaluti animarum conſectantur noxium, ac propterea vocantur, politici, caduca æternis, terrena cœleſtibus, præferentes; fit vt ea tunc perinde egeat auxilio hominum, ac quicunq; pupillus, & vidua, cùm ſponſus eius Chriſtus, interim ſuam potentiam inhibeat, ſponſamque ab ijs protegi velit, quibus tantam contulit maieſtatem, vt alijs terrori eſſe poſſint: dedit inſuper & gladium, ad vindictam de hoſtibus ſuis ſumẽdam. Jd quod per Jſaiam cap: 49. prædixit faciendum, vbi inter alias Eccleſiæ laudes, etiam hoc affert, quòd reges ſint futuri ab obſequijs, offerentes non ſolùm ſua, ſed ſeipſos ad eius commodũ; & quidem ab ipſo Eccleſiæ Chriſtianæ exordio, & velut ab incunabulis, ſic ergo ibi loquitur Chriſtus: *Et erunt reges nutritij tui, & reginæ nutrices tuæ, vultu in terram demiſſo adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingẽt: & ſcies quia ego Dominus, ſuper quo non confundentur, qui expectant eum.* Recenſet deinde ibidem Dominus, qua in re operam ſuam reges, & Monarchæ commendare debeant, vt nimirum, Eccleſia mater à nullo impediatur, in procurãdâ filiorum ſuorum æternâ ſalute, & ſi quis eos à gremio ipſius abripere conetur, vis vi repellatur, detque pœnas impia audacia. *Nunquid,* inquit Saluator, *tolletur à forti præda, aut quod captum fuerit à robuſto ſaluum eſſe poterit? quia hæc dicit Dominus, equidem & captiuitas à forti tolletur, & quod ablatum* 16.

fuerit à robuſto ſaluabitur. Atque vt reges minùs timeant potentiam hoſtium, ſuam illis omnipotentiam Chriſtus, in auxilium ita pollicetur: *Eos qui judicauerunt te, ego judicabo, & filios tuos ego ſaluabo, & citabo hoſtes tuos carnibus ſuis, & quaſi muſti ſanguine ſuo inebriabuntur, & ſciet omnis caro, quia ego Dominus ſaluans te, & Redemptor tuus fortis Iacob.* Audiant hæc non aperti tantùm Eccleſiæ hoſtes, hæretici, atque infideles, ſed illi etiam qui ſupra nominati ſunt malè politici, quid ſibi à vindice Chriſto expectandum ſit, quando mundanâ ſapientiâ, carniſque nixi commodis, ac prudentiâ, agunt cauſas hæreticorum, ac maleuolorum, cum magno fidei Catholicæ detrimento condunt leges, & ſtatuta contraria juribus, & libertati Eccleſiaſticæ; impediunt eos qui ſe obſequio diuino in religioſorum clauſtris mancipare volunt, conculcant leges Eccleſiæ, canones ſpernunt, cenſuras rident, bona Chriſto oblata, vbi, & qua ratione poſſunt ſibi vſurpant, perſonas Eccleſiaſticas, Deoque deuotas perſequuntur.

Hæc & multa alia audent colore fucati boni, re autẽ ipſâ proprium intereſſe munerum, bonorum, ſanguinis, injuſtitiæ, & fraudum conſectantes, quos non meliùs, vllus quàm S. Paulus ſpiritu prophetico, ita depinxit Epiſcopo Timotheo, in Epiſtolâ ad illum 2. c. 3. *Hoc autem ſcito quòd in nouiſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa, erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, ingrati, ſceleſti, ſine affectione, ſine pace, criminatores, incontinentes, immites, ſine benignitate, proditores, proterui, tumidi, & voluptatum amatores magis quàm Dei, habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.* Talia habent ab Apoſtolo politici epitheta, ſuarumque encomia fraudum, atque aſtutiarum, vt non ſit mirandum tantopere illis Chriſtum ſuccenſere, velleq; eos proprio inebriare ſanguine.

Digitized by Google

Sectio Sexta.

Quid debeant præſtare boni Principes in commodum eorum quos regunt?

SEd ad pios Principes conuertamus nos potiùs, quorum in obſequendo Eccleſiæ ſtudium ac induſtriam, pulchrè admodum deſcribit Sanctus Auguſtinus Tom: 9. lib: 2. de Symbolo ad Catechumenos. Atque vt priùs, magnum timorem & reuerentiam Eccleſiæ Chriſti ſponſæ in magnatibus excitet, docet cap: 61. duas tantummodo eſſe in rerum naturâ ſponſas omni admiratione digniſſimas, quæ & virgines ſint, & ſimul matres: Deiparam videlicet MARIAM, & Eccleſiam ſanctam: *Quid* (inquit) *reſtat juueni* (Chriſto) *niſi vt procedat velut ſponſus de thalamo ſuo: accipiat ſponſus ſponſam, quæratur, inueniatur, quæ ei conjungatur, non eſt ſolus homo, ſed DEVS eſt & homo, quæratur quæ ei conjungatur: qualis eſt de qua natus eſt, talis ei inueniatur, quæ & matrem reddat fæcundam, & virginem ſeruet intactam. Agite Iudæi neſcientes nuptias Agni, date præmium pecuniæ malo nebuloni, agite vt ille qui natus eſt de virgine, ſuſpendatur in cruce. Aſcendat ſponſus noſter thalami ſui lignum, aſcendat lectum: dormiat moriendo, aperiatur ei latus, & Eccleſia prodeat virgo; vt quomodo Eua facta eſt ex latere Adæ dormientis, ita & Eccleſia formetur ex latere Chriſti in cruce pendentis: percuſſum eſt eius latus, & ſtatim manauit ſanguis, & aqua, quæ ſunt Eccleſiæ gemina ſacramenta, aqua, in qua eſt ſponſa purificata; ſanguis, in quo inuenitur eſſe dotata.* 17.

Excitatis hoc pacto animis, & reuerentiâ in Eccleſiam tanti Domini conjugem, tantam Dominam, quid obſequij illi à regibus debeatur, jam oſtendit; *Sancta,* inquit, *Eccleſia piè nutrit filios, quos Deo, Patri dignos aſſignare contendit, filij bo-* 18.

Digitized by Google

ni amate tantam matrem, rependite vicem, amate amantem, nobilis eſt, ſancta eſt: regis prole fæcunda eſt; non eam patiamini, aut filiorum malorum, aut peſſimorum ſeruorum, injurijs atq; inſidijs macerari. Agite cauſas matris veſtræ, ſeruus malus non inſultet Dominæ: hæreticus non inſultet Eccleſiæ; lupus eſt, agnoſcite: ſerpens eſt, eius capita conquaſſate: blanditur, ſed fallit: multa promittit, ſed decipit. Venite, inquit, defendam, ſi neceſſitas eſt paſcam, dabo pecuniam. O lupe male, ô ſerpens inique! pecunia tua ſit tibi in perditionem. Plura in hunc ſenſum habet ibi Sanctus Doctor, quibus efficere conatur, vt qui maximè poſſunt (poſſunt autem qui ſunt in mundo maximi) proſint Eccleſiæ, pro eius bono, labori atque impenſis minimè parcẽdo, tunc præſertim, cùm illa in malis conſtituta, opem atq; miſericordiam implorat.

19. Quanquam, & aliàs ſemper, illud præ oculis habere debẽt principes Chriſtiani: vt cultum Dei quantis poſſunt promoueât viribus in Eccleſià eius, hac ratione gratos ſe exhibeant felicitatis mundanæ ab ipſo collatæ: ſciant demum, ſe tantò proſperiore vſuros fortunâ, magiſque honoratum jri, quãtò in colendo atque honorando DEO fuerint magis ſeduli ac fideles, jta enim ipſemet 1. Reg: 2. ſe facturum pollicetur: *Quicunq; glorificauerit me, glorificabo eum, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Hoc diuinum promiſſum quàm verum ſit, teſtes ſunt pij atque impij in DEUM Reges, ac dynaſtæ, illi glorificati, hi ignobiles effecti. Vtriuſque fortunæ, clarũ in ſe futuris ſæculis reliquit documentum Rex Salomon, ſapientiſſimus, ditiſſimus, glorioſiſſimus, vno verbo feliciſſimus, tum, cùm DEO templum magnificentiſſimum fabricaret, cultum eius in ſe, atque in omnibus regni ſui ſubditis, diligentiſſimè propagaret, ſacrificia liberaliſſima immolaret: in ſummâ, tum, cùm ſe, ſuaſque vires omnes in Dei creatoris obſequium toto impenderet conatu. Vbi verò hæc in contraria omnia mutata ſunt, atque ille, tam zeloſus cultor

tor Dei, dæmonum vile mancipium eſt effectus, intellexit
mutandam quoque ſecū fortunam,& hanc de ſe à Deo audi-
uit prophetiam 3. Reg: 11. *Quia habuiſti hoc apud te, & non cu-*
ſtodiſti pactum meum, & præcepta mea quæ mandaui tibi: diſrum-
pens ſcindam regnum tuum, & dabo illud ſeruo tuo. Quotquot
principes,reges,jmperatores,ac quicunque domini, alteru-
trâ animi in DEUM propenſione ſimiles eſſe Salomoni vo-
luerint, vno ex duobus modo, aut proſperè videlicet, aut in-
feliciter ſe à DEO tractandos, pro certo habeant, neque enī
mentiri poteſt qui dicit: *Quicunque glorificauerit me, glorifica-*
bo eum, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Nouerat 20.
hunc, quanquam ignoti ſibi, veri Dei morē, clariſſimus Ro-
manorum Jmperator Marcus Aurelius, qui (vt ſcribunt in
vitâ eius hiſtorici, ex quibus refert auctor Horologij Princi-
pum lib: 1. c. 18.) Siciliæ regem ſeuerè monuit, quòd negli-
gens ac ſegnis eſſet in cultu Deorum (cæteroquin in admini-
ſtrando regno diligentiſſimus) ac propter amplificandum
regium palatium, Baſilicam diruere cogitaret. Ad hunc
ergo ſic inter alia ſcribit: *Hanc Romanorum legem habemus, hoc*
Philoſophorum omnium axioma eſt, hîc inter mortales, ex mortali-
bus, cum mortalibus, nihil eſſe perfectum, niſi per deos, & in diis
perfectionem aſſequatur: principes ad omnia ſubditorum errata cō-
niuere, & poſſunt, & debent, exceptis ijs quæ ad Deorum pertinēt
contumeliam, quæ ſi fieri poſſet, punienda priùs, quàm cogitanda eſ-
ſet? Non enim princeps, ſed tyranus appellandus eſt, qui in proprijs
injurijs vlciſcendis ſolicitus, in perſequendis ijs quæ dijs factæ ſunt,
remiſſus eſt. Quare idem Jmperator adducit Lycurgi in hac
materiâ legem talem: *Nemini Lacedæmoniorum beneficia, de*
manibus principis, qui nulla dijs ſuis obſequia præſtat, accipere fas
eſto. Denique imponit regi, nomine ſenatûs, mulctam, am-
pliſſimum in Siciliâ extruendi templum. Diſcant ab hoc
infideli fideles principes, quantùm debeant vero Deo fide-
litatis & obſequij. Verùm multò aptiùs idem documentū

Digitized by Google

præbere poteſt, verus Dei cultor Conſtantinus magnus Jmperator Romanorum, gloria omnium, quotquot erant, jmperatorum, cuius felicitatis in terris ſummæ, nullā aliam dat, S. Auguſtinus cauſam, præter vnum cultum Dei, quem ille, abiectâ infidelitatis cæcitate, primus in orbe terrarum inſtituit, & acerrimè, digniſſimèq; ſuo nomine propagauit.

Quem S. Auguſtinus 5. de Ciuit: Dei c. 25. ob hanc ipſam in DEUM pietatem his effert, laudibus: *Bonus DEVS Conſtantinum Imperatorem, non ſupplicantem dæmonibus, ſed ipſum verum DEVM colentem, tantis terrenis impleuit muneribus, quanta optare nullus auderet: diu jmperauit, vniuerſum orbem terrarum vnus Auguſtus tenuit, in adminiſtrandis & regendis bellis victorioſiſſimus fuit, in tyrānis opprimendis per omnia proſperatus eſt, grandæuus ægritudine, & ſenectute defunctus eſt, filios jmperantes reliquit.* Hæc de illo S. Auguſti: Quod ipſemet de ſe non dubitauit aſſerere, vt teſtatur Euſebius c. 22: quando cætum Patrum in Synodo jta eſt allocutus: *Ego certè, & proſperam meam fortunam, & meas res omnes pietati acceptas refero: teſtis eſt rerum omnium ex animi ſententiâ euentus.* Sed in hac re diutius jmmorari, non eſt huius loci. Legat qui vult Thomam Bozium in lib. 7. de ruinis gentium, inde intelliget, quantâ ſemper proſperitate fruantur reges, & regna, in quibus viget fides Catholica, & veri Dei cultus.

Sectio Septima.

Magnates in pauperes debent eſſe miſericordes.

21. DE vltimo tandem genere hominum qui in quauis ditione egent magnatum miſericordiâ, nempe de egenis,

nis, & pauperibus reſtat dicendum. Atqte vt conſtet peculiari quadam ratione dominos egentibus ſubuenire debere, reuocanda eſt in memoriam recepta Theologorum, & interpretum ſacræ ſcripturæ, opinio, omnia fuiſſe ab exordio mundi communia, illudque habitum proprium, quod quiſque ante alios vſurpâſſet ſibi. Cùm verò temporis decurſu, & homines in magnam excreuiſſent multitudinem, & vſurpatio poſſeſſionum adeo fieret inæqualis, vt pauci plurima, plurimi pauca occuparent, ne qui magna priuati eſſent ſorte, fame, atque egeſtate perirent, (contra omne mundi Conditoris intentum, qui citra acceptionem perſonarum omnibus omnia in vſum conceſſit) Dei voluntate opulentiores egentioribus opitulari debent, & illi potiſſimùm qui ad diuitias, honoris, ac dignitatis celſitudinem habent adjunctam, vt ex illâ, velut è ſpeculâ, longè, latèque circumſpiciant, quàm multi ſint illorum ope, ac miſericordiâ juuandi. Hoc id conditionis hominibus inculcat DEus per Prophetam, Amos: 6. *Væ qui opulenti eſtis in Sion, & confiditis in monte Samariæ: optimates, capita populorum, ingredientes pompaticè domum Iſrael, qui dormitis in lectis eburneis, & laſciuitis in ſtratis veſtris, qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti, qui canitis ad vocem pſalterij, bibentes vinum in phialis, & optimo vnguento delibuti.* Et ne quis putaret omnes commodè & ſplendidè vitam agentes reprehendi à DEO (jta enim Dauidi quoque regi væ pertimeſcendum eſſet, quem tamen jbi excipit Propheta, his verbis: *Sicut Dauid putauerunt ſe habere vaſa cantici.*) affertur cauſa reprehenſionis non alia, quàm quòd optimates illi pauperum eſſent obliti: *Nihil*, inquit Propheta, *patiebantur ſuper contritione Ioſeph.* debebant autem, nam idcirco diuitijs, ac potentiâ præcellebant alijs, quam ijſdem Judæorum, magnatibus, cū quadam exprobratione oſtendit DEus, cùm ait: *Tranſite in Chalane, & videte, & jte inde in Emath magnam, & deſcendite in*

Geth

Geth Palæſtinorum, & ad optima quæq; regna eorum, ſi latior termino eorum terminus veſter eſt. Quaſi dicere voluiſſet Deus: idcirco à me tantas accepiſtis poſſeſſiones, opeſque, vt haberetis vnde poſſetis miſeris abundè ſubuenire. Hanc Dei ordinationem ditiſſimus ille Dominus S. Job (qui etiam in miſericordiâ erga pauperes, vt clariſſimum exemplar proponendus) bene nouit, atque vt facere ſolebat, ita de ſe teſtatus eſt: cap: 13. *Si negaui quod volebant pauperes, & oculos viduæ expectare feci, ſi comedi buccellam meam ſolus, & non comedit pupillus ex eâ (quia ab infantiâ meâ creuit mecum miſeratio, & de vtero matris meæ egreſſa eſt mecum) ſi deſpexi pereuntem, eo quòd non habuerit indumentũ, & abſque operimento pauperem, ſi non benedixerunt mihi latera eius, & de velleribus ouium mearum calefactus eſt.* Eandem Dei voluntatem in magnatibus attendens. S. Auguſt: in Pſal: 103. aliquot, digna memoriâ, dat documenta, quæ illi obſeruare debeãt in eleemoſynis faciendis.

Sectio Octaua.

Quid ſeruandum eſt principibus in largiendis eleemoſynis? vbi de variis excuſationibus eorum.

23. PRimum eſt, vt domini non expectent preces ſupplicationeſque pauperum, ſed cùm (vt de ijs dici ſolet) multos oculos, multaſque habeant aures, diligentiùs ipſos, ac eorum egeſtates inueſtigent, præueniantque piâ curioſitate, pudorem, timorem petendi, difficultatem, quæ ſæpiùs aditum præcludunt: Sic ergo Sanctus Auguſtinus: *Noli dicere ſi petierit dabo, illi petenti das, quia ſcriptum eſt, omni*

omni petenti da, Luc. 6. de iſto: Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem Pſal: 40. Quomodo inquis quæro? eſto curioſus, eſto prouidus. De illo, quem juberis quærere, *ſcriptum eſt Eccleſi: 24. Sudet eleemoſyna in manu tuâ, donec inuenias juſtum cui eam tradas: cùm Chriſtus de ipſis dicat Luc: 14. Quando facis epulum conuoca cæcos, voca, paſce, epulare, cùm illi epulantur: delectare, cùm illi ſaginantur, illi enim pane tuo, tu juſtitiâ Dei.* Dat huius ſanctæ curioſitatis exemplũ in pijs fæminis, de quibus ſcribit Marcus cap: 16. & alij Euangeliſtæ, quæ ne ignorantiâ excuſarẽtur ab eleemoſyna Domino dandâ, crebrò aderant illi præſentes, quæ eſſent conſciæ neceſſitatum eius, *Sed quia* (pergit S. Auguſt:) *delectat nos excuſatio (Neſciebamus) ipſe Dominus loculos habebat, poſſidebantur nummi, propter vſus eorum, qui cum ipſo erant, & eius. Non enim mentitur Euãgeliſta, cùm dicit: Eſuriuit IESVS, habuit loculos, vt dictum eſt de quibuſdam fæminis religioſis, quòd ambulabant, quà ibant pedes eius euangelizãtis, & miniſtrabant ei: nominantur mulieres, erat quædam vxor Chuſa procuratoris Herodis, vide quæ fiebant.* Sed offert quandam excuſationem eorum, qui dicunt, ſe ideo nolle quærere egẽtes, quòd plurimi jam ſint qui mendicant, jmò ſe ſcandalizari tanto mendicantium numero, qui contrarium Sancto Paulo faciunt 1. Cor: 9. de ſe fatenti: *Ego nullo horum vſus ſum,* ſcilicet prædicando Euangelium pretium laboris non exegi. Occurrit S. Auguſt: huic excuſationi, docetque duplicis eſſe generis pauperes, in quibus mendicat Chriſtus: ſũt inprimis qui non petunt, etſi à dante accipiunt, cùm enim pauperes ſint, datis amore Dei ſuſtentari debent. Horũ perſonam geſſit tunc S. Paulus, ſublimem virtutis actum in ſe exprimens, quem fragilitas recens ad fidem conuerſorũ poſtulabat, ſcandalizabantur enim nonnulli, quòd Apoſtoli vitæ peterẽt neceſſaria. Tales reprehendebat quidẽ S. Paulus, *Neſcitis,* inquiens, *quoniam qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt, & qui altari deſeruiunt cum Altari partici-*

Digitized by Google

pant: jta & Dominus ordinauit, ijs qui Euangelium annunciant, de Euangelio viuere. Hunc, inquam, in modum illos reprehēdebat, condeſcendendo tamen fragilitati eorundem, nihil petebat, atq; jta primū genus mendicantium in ſe expreſſit.

Alij ſunt pauperes, qui petunt & pro diuinis miniſterijs accipiunt eleemoſynas, quibus, licet ſunt perfectiores (hac quidem in re) primi, tamen Chriſtus qui infirmitates omnium in ſe ſuſcepit, infirmis precario viuendi formam in ſe reliquit. Quod ſic declarat S. Auguſtinus: *Quia multi infirmi jſta quæſituri erant, magis infirmorum perſonam ſuſcepit: ſublimius S. Paulus: Nunquid & Chriſto ſublimiùs? ſublimiùs Chriſtus, quia miſericordiùs.* Probat id paſſione eiuſdem, in qua triſtis fuit, vt multi martyres, non magnanimiter lætus, quales erant plurimi martyres: *Docuit,* inquit Sanctus Auguſtinus, *quid eſſet facturus infirmus: Pater fiat voluntas tua, non quomodo ego volo.*

Jta excuſatione magnatum, exemplo Chriſti, ſublatâ, ſecundum dogma dat ijſdem Sanctus Auguſtinus, vt quoniam amplas à DEO ſortiti ſunt opes, amplas quoque, quá petētibus, quà non, faciant eleemoſynas. Hìc enim illud Chriſti dictum locum habet, Luc: 12. *Omni cui multum datum eſt, multum quærent ab eo, & cui commendauerunt multū, plus petent ab eo.*

Non aliud dogma S. Tobias filio ſuo reliquit, Tob: 4. *Quomodo potueris jta eſto miſericors, ſi multum tibi fuerit, abundanter tribue, ſi exiguum tibi fuerit, etiam exiguum impertiri ſtude.* Et primò quidem cenſet Sanctus Auguſtinus maiores dandas eleemoſynas viris Ordinis Clericalis, qui ſacerdotales obeūdo functiones ſtudent ſaluti hominum, ſacris operantur, laudeſque diuinas in templis concinunt: in horum ſuſtentationem quia communiter plura impenduntur, argumento ſunt beneficia, præbendæq; Eccleſiaſticæ pinguiores, & merces laborantium in Eccleſiâ magis copioſa. Licet verò jſta in DEI Cultum & Gloriam ex virtute Religionis offe-

Digitized by Google

offerantur, nihilominus hæc comite gaudet plerumque miſericordiâ, quæ mouet ad ſubueniendum miniſtris Eccleſiæ, ne, inopiâ preſsi, res diuinas miſſas faciant. 27.

Vt ergo in hos ſint munifici mundi proceres; perſuadet Sanctus Doctor in illo Pſalmo 103. explicando hæc verba: *Producens fænum jumentis:* atque oſtendendo longè præſtantiora & maiora à Clericis dari, quàm quæ accipiũt, neque tamẽ gratis accipiunt. *Video,* inquit, *alia jumenta DEI, quæ ſignificantur cùm dicitur: Boui trituranti os non alligabis,* Deut. 25. *Dicit enim ipſum jumentum* (S. Paulus videlicet 1. Cor: 9.) *Nunquid de bobus pertinet ad DEVM, propter nos ergo, ſcriptura dicit, quia Dominus conſtituit, vt qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuant, dignus eſt enim operarius mercede ſuâ. Cùm enim dixiſſet: Quæ apponuntur vobis manducate, ne illi dicerent, jmprobi erimus, ad menſas alienas indigebimus, vis nos eſſe frontoſos? Non, inquit, non eſt iſta donatio eorum, ſed veſtra merces: ſed cuius rei merces? Quid dant? quid accipiunt? dant ſpiritualia, accipiunt carnalia; dant aurum, accipiunt fænum. Omnis enim caro fænum, & claritas carnis, vt flos fæni. Omnia temporalia quæ tibi redundant, fænum jumentorum ſunt: quorum? audi: ſi nos vobis ſpiritualia ſeminauimus, magnum eſt, ſi veſtra carnalia metamus.* 1. Cor: 9. Hunc Apoſtoli pium quendam Sarcaſmum, atq; 28.
hunc S. Auguſtini diſcurſum, expendant illi, qui, hoc præſertim magis corrupto ſæculo, tantùm abeſt vt ipſi in Eccleſiã Chriſti ſint magnificè liberales, vt etiam ea quæ à maioribus ſunt donata, velint diminuta eſſe, expendant, inquam, & aduertant, ſe id agendo longè abeſſe ab eo fidei, & religionis Catholicæ Spiritu, quem Saluator per Apoſtolos ſuos primis in Eccleſiâ ſuâ fidelibus transfudit, & per Sanctos Patres ad eorũ poſteros tranſmittere voluit. Spiritus porro, de quo dicimus, eſt hic, vt putent fideles magnum eſſe Dei beneficium, quòd ſua in eius cultum effundant bona, infinitè maiora pro illis ab eo recepturi, qui, nimirũ, omnium opifex, &

Digitized by Google

illis donet, quæ largiantur, & ſi non largiantur, habet omnipotentiam, quæ ſibi det, quæ velit, alijs data auferat, neget danda. *Suſcipit*, inquit Sanctus Auguſtinus, *Zachæus Dominum, cui hoc bonum? verè, ſi non ſuſciperet Zachæus, non eſſet vbi maneret mundi Fabricator; aut ſi non paſceret Zachæus, indigeret is, qui de quinq; panibus tot millia hominũ ſaturauit? cùm ergo quiſq; ſanctum ſuſcipit, non ſuſcepto, ſed ſuſceptori præſtatur.* Dabunt forte poſtrema hæc verba Sancti Auguſtini anſam dicendi, & excuſandi ſe, quòd multi è Clericis non ſint Sancti, quare nec digni magnificâ liberalitate, ſed hoc jam pridem diluit optimus Magiſter Chriſtus, Matth: 27. *Super Cathedram Moyſis, ſederunt Scribæ, & Phariſæi docentes: omnia ergo quæcunq; dixerint ſeruate & facite, ſecundùm opera eorum nolite facere.* Satis ergo ſáctitatis eſt (ijs quidẽ qui ſubsũt Clericis proficuæ,) ſi miniſtri Eccleſiæ munus ſuũ ritè obeant, rationẽ vitæ, DEO, & illi, à quibus reguntur, redditurі.

29. Eſt & aliud quoque commune multis effugium, atque excuſatio, ne amplæ dentur eleemoſynæ, inopia, videlicet, rerum, præteritorum temporum copiæ ſuccedens: quid igitur mirum, ſi nunc minora dantur, cùm maiora non ſuppetant? Verùm & hoc parcitatis, in quoſcunq; etiam pauperes, nedum in Eccleſiam Dei, aſylum, antiquitùs erectũ, ſemper conati ſunt euertere Sancti Patres; eam, non inopiæ, ſed luxui, prodigalitati, auaritiæ, alijſque miſericordiæ hoſtibus adſcribendo. Jnter alios Sanctus Ambroſius in lib: de Nabuchodonoſor cap: 13. jta has peſtes inſectatur: *Parietes veſtitis auro, homines nudatis: clamat ante domum tuam nudus, & negligis, & tu ſolicitus es quibus marmoribus pauimenta veſtias: pecuniam pauper quærit, & non habet, & equus tuus aurum ſub dentibus mandit.* Hunc in modum inopiam tanquam cauſam, non cauſam, impugnat Sanctus Ambroſius. Quanquam non inficias juerim veram interdum cauſari inopiam: cæterùm non à liberalitate in DEUM, ſed crebrò aliunde profe-

Digitized by Google

profectam : de munificentiâ enim Spiritus Sanctus per os
Dauidis Regis liberaliſſimi Pſalm: 36. jta loquitur: *Iunior fui,*
etenim ſenui, & non vidi juſtum derelictum, nec ſemen eius quærens
panem: totâ die miſeretur, & commodat, & ſemen eius in bene-
dictione erit. Jpſe etiam Chriſtus ore veraci Luc: 6. teſta-
tur: *Date, & dabitur vobis, menſuram bonã, & confertam, & coagi-*
tatã, & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum. 30.

Experti ſunt hanc promiſſionem Chriſti innumeri
quotquot in jpſũ erant liberales, vnum referam quod ſcribit
Paulus Diaconus lib: 18. de Tiberio Jmperatore, qui adeò fu-
it largus, ac liberalis, vt totâ, eâque ampliſſimâ, quæ à præ-
deceſſore ſuo, Juſtiniano minore, corraſa erat ſubſtantia, in
pauperes, atque Eccleſias diſtributâ, menſæ etiam deſtitue-
retur neceſſarijs. Quadam jgitur die, deambulans in pa-
latio, conſpecto latere cruce depicto, eum ad ſe deferri ju-
bet, jta interim locutus: *Crucem, qua frontem noſtram & pe-*
ctora munimus, vt ab hoſtibus ſimus tuti, pedibus conculcari indi-
gnum eſt. Vbi verò vnus eſt ablatus later, alter illi perſimi-
lis repertus, & tertius, ac tandem ſub illo millio circiter co-
ronatorũ effoſſus eſt, Deo abundè compenſante, quod ipſi-
us gratiâ, neceſſitati fuit ſubtractum, in eiuſque expenſũ
gloriam. Jmperator gratijs Deo actis, liberalior dein-
ceps, quàm vnquam aliàs, fuit.

Non eſt ergo quòd Jmperatores, Reges, & quicunq; 31.
alij magnates inopiam prætendant, habebunt compenſatũ
bene, modò ipſi Deo ſuas largiantur copias, quemadmodũ
legitur feciſſe Dauid Rex, 1. Paralip: cap: 22. Nam ad futu-
ri templi fabricam reliquit moriturus (neque enim viuẽ-
ti licuit fabricare) centum millia talenta auri, & mille mil-
lia argenti, hoc eſt, duo millia millionum, & quadringen-
tos milliones aureorum. Hac ſuâ munificentiâ adeò Di-
uinam in ſe prouocauit liberalitatem, vt Salomon Filius e-
ius ditiſſimus eſſet omnium, qui vnquam fuerunt ante ipſũ

Digitized by Google

Reges, vti teſtatur ſacra ſcriptura 3. Regum, cap: 3.

32. Sed ad S. Auguſtinum reuertamur, qui aliud quoque genus hominum, religioſos nempe, aſſignat, in quos liberalitas & miſericordia Principum larga eſt exercenda.

Sectio Nona.

Quæ Eleemoſyna DEO gratior, mendicis ne, an DEI ſeruis data?

MOuet ibidem Sanctus Doctor dubium: Vtrum mēdicis, qui plateas circumſtant, templa obſident, & aures implent clamoribus, danda ſit eleemoſyna, an verò potius ſeruis Dei, qui vel non petunt, vel non ita importunè? Cui dubio reſpondet: *Abſit; da illi*, ſcilicet mendico, *multò magis illi: ille petit, & in voce petentis agnoſce cui des; ille quantò minus petit, tantò magis tibi vigilandum vt præoccupes petiturum, aut fortè modò non petiturum, & aliquando donaturū, vel dānaturū.* Alludēs hoc dicit ad id, quod Luc: 16. Dominus monet: *Facite vobis amicos de māmona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.*

33. Dubio ſic expedito, vt cenſeat vtriſque miſerendum, ſed magis religioſis, vocat deinde eoſdem paſſeres, occaſione ſumptâ ex illis Pſalmi 103. verbis: *Illic paſſeres nidificabunt.* Paſſeres minuti ſunt, ex mente huius S. Patris, ſerui DEI, quòd pauca habuerint quæ dimitterent Chriſtum ſecuturi: neque verò idcirco duntaxat pauca dimittunt, quòd, vt plerumque fit, *infirma mundi elegit DEVS vt confundat fortia. 1. Cor: 1.* ſed quia ſemper plura accipiunt, quàm dimittunt: dimittunt enim particulam mundi, accipiunt totum

tum. Quanquam ſi non poſſeſſionem habitorum, ſed ſpem habendorum cōſideremus, ſic plurimum dimittunt: *Multùm,* (inquit Sanctus Auguſtinus) *dimiſit, qui dimiſit quicquid habere cupiebat, quis enim pauper non turgeſcit in ſpe ſæculi huius? quis non cupit augere quod habet? Iſta cupiditas præciſa eſt, jbat in immenſum, accepit modum, & nihil dimiſſum eſt? Prorſus totum mundum dimiſit Petrus, & totum mundum accepit.* Jd quo pacto affirmet D. Auguſt: vt totum mundum S. Petrus, & quiſq; ſeruus DEI accipiat; deducit ex vno verſu Pſalmi illius à ſe explicato, verſus eſt hic: *Saturabuntur ligna campi, & cedri Libani quas plantauit, illic paſſeres nidificabunt.* Per ligna & Cedros, intelligit Principes, qui perinde atque altiſſimæ, pulcherrimæq; arbores in mundo, DEI benedictione florent.

Jn his Cedris vbique terrarum nidificant paſſeres, quia liberaliſſimâ eorum miſericordiâ ſuſtentantur, & perennibus, ac firmis fundationibus veluti in quibuſdam nidis, quique pro ſui ordinis inſtituto in ſtabili reponuntur ſecuritate. *Paſſeres,* (ſunt verba S. Auguſt:) *ſatiantur Cedris Libani, quas plantauit Dominus, attendite totam terram, ſi non jta eſt. Præbent Cedri ſuperfluas copias Seruis DEI, agros, hortos, ædificant Eccleſias, monaſteria, colligunt paſſeres, vt in Cedris nidificent. Hæc S Auguſt:* Contraria eſſe facienda ſuggerit prudentia, quam S. Paulus Rom: 8. vocat prudentiam carnis, vitæ, & pacis inimicam: *Prudentia,* inquit, *carnis mors eſt, prudentia ſpiritus, vita & pax.*

Meritò ſanè, mors & bella carnis, prudentiæ tribuuntur. Nam Jeremias Propheta miſſus à Deo ad varias Reſpublicas, quæ tunc florebant, duas ob cauſas denunciauit ijſdem interitum, peccata, ſcilicet, eorum, & quòd deeſſent ſerui DEI, qui pro ipſis diuinam placarent jram, timoremq; illis incuterent. Defuerunt autem tales homines, eo quòd à prudentibus ſecundùm carnem vexarētur, eijcerentur, vi- 34.

tâ pri-

tâ priuarentur, vt ipſemet de ſe teſtatur Jeremias c. 20. *Et percuſſit Phaſſur Ieremiam, & miſit eum in neruum.* Helias etiam: 3. Reg: c. 9. *Prophetas tuos occiderunt, derelictus ſum ego ſolus.* Hoc & Chriſtus, Matth: 21. queritur: *Ecce ego mitto ad vos, Prophetas, & Sapientes, & Scribas, & ex illis occidetis, & perſequemini de ciuitate, ad ciuitatem.* Propter hoc vindictam illis minatur, ita locutus: cap: 25. Jeremias: *Et miſit Dominus ad vos omnes ſeruos ſuos Prophetas, & non audiſtis, neque inclinaſtis aures veſtras, vt audiretis cùm diceret: Reuertimini vnuſquiſq; à viâ ſuâ malâ, & peſſimis cogitationibus veſtris.* Et paulò poſt: *Pro eo quòd non audiſtis, ſume calicem vini furoris de manu meâ,* (præcipit DEUS Jeremiæ) *& propinabis de illo Hieruſalem, Iuda, & Regibus, & Principibus eius, vt darem eos in ſolitudinem, & in ſtuporem, & in ſibilum, & in maledictionem.* &c. Hoc ipſum ob ſimilem cauſam plurimis alijs Regnis prædicit Jeremias, alijque futurum, ſimulque docent, ruinas Rerumpublicarum non à multitudine hominum Deo dicatorum (qui tantò in maiore numero reperiuntur, quãtò ſunt plures, & commodiùs ſuſtentantur) ſed à paucitate potiùs oriri ſolere. Quantumuis enim ſint multa hominum DEO conſecratorum vtriuſque ſexûs loca, ſemper nihilominus, hi ſine vllà comparatione erunt pauciores, quàm reliqui in quouis Regno, aut communitate DEO non dicati. Quod ſi etiam hic exiguus numerus, per prouidentiam politicam, ſeu prudentiam carnis diminuatur, pauciſſimos in quauis Republica eſſe oportet, qui ſint boni, qui precentur pro alijs, qui Diuinam iram contineant, qui errata multitudinis rigore, ac pœnitentiâ diluant, qui delinquentes diſſimulatione, ac reſpectu quouis ſepoſito audacter pro concione terreant: è contra plurimi erunt, qui peccatis peccata cumulent, in communemq; , velut aceruum conferant, donec fiat illud, quod dicit Chriſtus Matt: 21: *Implete menſuram patrum veſtrorum:* ac illud quod legimus apud Jerem: Thre,

Thren 1. ℣ 15. *Vocauit aduerſum me tempus, vt contereret electos meos, abſtulit omnes magnificos, &c.*

Poſſet quidem opinari quiſpiam, non tantopere Reſpublicas Religioſis apud Deum iuuari, propterea, quòd nō omnes ſint ſancti ac perfecti, ſed, vt demus id verum eſſe, atque vt ea quæ ab ipſis, pro bono communi, doctrinâ, prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione, & id genus operibus pijs, fiunt, omittamus interim; à toto tamen genere loquendo, fatendum eſt, plures eſſe inter illos perfectionis Chriſtianæ ſtudioſos, quàm inter homines vitæ communis. Quapropter maius bonum, atque auxilium ex illis, apud Deum refert quæuis Reſpublica, quàm ex reliquis. Et quod magis mirandum eſt, Sanctus Ambroſius lib: 3. de Virginitate, non apud Deum tantùm, ſed politicè, ingens quoddam ex ſeruis Dei oſtendit commodum. Nam non dubitat affirmare, tantò plures in quauis Republica inueniri homines, ad eius defenſionem, ac propagationem aptos, quantò in illa plures ſunt, qui ſe Deo offerunt, ad virginitatem & Caſtitatem perpetuò ſeruandam. 35.

Aſſerit verò ſe hanc Diuinam prouidentiam ſuâ probaſſe experientiâ, & ſic ait: *Si quis putat conſecratione Virginum minus genus humanum, conſideret, quia vbi paucæ Virgines, ibi etiam pauciores homines, vbi Virginitatis ſtudia crebriora, ibi numerū hominum quoq; maiorem. Diſcitè quantas Alexandrina, totiusq; Orientis, & Africana Eccleſia, quotannis ſacrare conſueuerint, pauciores hîc homines prodeunt, quàm ibi Virgines conſecrātur. Ex ipſius igitur Orbis terrarum vſu, non inutilis Virginitas exiſtimatur, præſertim cùm per Virginem ſalus venerit, orbem fæcundatura Romanum.*

Hæc duo rerum publicarum commoda, Diuinū, ac politicum, altiſſimæ illi Cedri, Principes inquam pij, olim in Religioſis probè expendentes, adeo in fundandis illis liberales erāt, vt Tritemius de ſuo tantùm Ordine ſcribens, 36.

Q non

non dubitârit affirmare lib: 1. de Viris Jlluſtribus cap: 2. bona monaſteriorum S. Benedicti, ſi integra eſſent, tertiam partem Chriſtiani orbis occupatura fuiſſe.

37. Sed licet ita ſint vtiles mundo religioſi, nunquam deerũt, qui obſiſtant illis. Quod & cur fiat, & quomodo ferẽdum, ex Sancti Auguſtini habemus in Pſalm: 103. interpretatione, vbi poſt verſum illum, *Saturabuntur ligna campi & Cedri Libani, illic paſſeres nidificabunt,* ſequitur ſtatim: *Herodij* (ſeu vt legit S. Auguſt:) *fulicæ domus, Dux eſt eorum.* Fulicam putat eſſe auem, quæ in petrâ mari cinctâ, quieſcit. Petra autem, etſi à fluctibus tundatur, tamen illos retundit, & frangit. Talis fuit Chriſtus. Dux piorum paſſerum, petra, quæ à fluctibus mundi quaſſata, eoſdem retudit, cedroſque à quibus eſt paſſa, confregit: in hac ergo petra paſſeribus quieſcendum, cum Chriſto patiendum, & vincendum. *Non habet,* dicit S. Auguſtinus, *domum fulica in excelſis, nihil illâ domo firmius, & nihil humilius, in cedris quidem nidificant, propter præſentem neceſſitatem; ſed petram illam habent Ducem, quæ à fluctibus tunditur, & non frangitur, imitantur enim Chriſti Paſſionem.* Hæc S. Auguſti: ex cuius ſententiâ religioſi pati debent, qui multa patiendo ſequantur Chriſtum. Verùm de prima magna virtute, ſeu miſericordiâ, dicta jam ſufficiant, quæ ad comparandam boni regiminis prudentiã Magnatibus eſt neceſſaria.

38. Altera, magna, & ipſa eſt Virtus, eſt Veritas, per quã interpretes ſacræ Scripturæ, intelligere ſolent juſtitiam, ſiue ea ſit commutatiua, reddens cuique quod ſuum eſt: ſiue diſtributiua, bona communia pro meritis vniuſcuiuſq; partiens: ſumitur etiam ab ijſdem pro Fidelitate in promiſſis ſeruandâ.

Digitized by Google

Sectio Decima.

Juſtitia commutatiua neceſſaria eſt.

HÆc veritas, ac jmprimis Juſtitia commutatiua, eſt à principibus ſeruanda, ſi prudenter reſpublicas gubernare velint, neque ſolùm ſeruare eam debent, nulli proprium auferendo, & ab injurijs abſtinendo aliorum, ſed etiam Juſtitiam inter litigantes adminiſtrando debitã. Quod quidem omnibus etiam infimis Judicibus ſolennè eſſe debet: cæterùm ſummis, cuiuſmodi ſunt domini abſoluti, aut ſimiles eorum, vel maximè commendatũ: ab illis enim ad altius ſubſellium ſi appelletur, iniquitas ſententiæ corrigi poteſt; ab his, perperam judicato, & condẽnato, aliud non remanet, præter Diuinum Tribunal. Quapropter oſtenſurus DEUS Regno Judaico, qualem ei præfeciſſet Principem Salomonem, eum à prudentiâ in rectè, juſtèque judicando, inprimis illuſtrem fecit. Cùm enim (vt eſt 3. Regum: c. 3.) petijſſet à DEO, dari ſibi Sapientiã, ad prudenter regendum populum, accepiſſetq; illud Dei reſponſum: *Quia animas inimicorum tuorum non petijſti, nec dies multos, nec diuitias, ſed poſtulaſti tibi Sapientiam ad diſcernẽdum judicium, ecce dedi tibi cor ſapiens, ſed & hæc quæ non poſtulaſti dedi tibi, diuitias ſcilicet & gloriam, vt nemo fuerit ſimilis tui in Regibus cunctis retro diebus:* hoc, inquam, cùm acceſſiſſet reſponſum, primum, in quo Sapientiã diuinitus conceſſam, ſubditis comprobauit fuit Juſtitia, ac prudens judicium duarum mulierum de infantulo litigantium, vtra earum eſſet vera Mater. Ab hoc juſto decreto laus & reuerentia Regis apud omnes eſt conſecuta: *Audiuit* (teſtatur Sacra Scriptura) *omnis Iſrael judicium, quod judicaſſet Rex, & ti-*

& timuerunt Regem, videntes Sapientiam DEI eſſe in eo, ad faciendum judicium.

Sectio Vndecima.

Judicium rectum impedit ignorantia, in ijs qui præſunt.

JUSTITIAM, ac Judicium rectum quæ jmpediant, nō
39. pauca ſunt, nec leuia: ac inprimis eſt inopia doctrinæ, vel ſaltem ſanè, & maturè decernendi à naturâ conceſſæ facultatis: huc pertinet jgnorantia legum, ſeu, vt vulgo dicitur, jgnorantia juris. jtem jgnorantia facti. Quæ duo in quo ſunt, neque compenſentur alieno recto, ac fideli conſilio, jmprudens atque injuſtus, Judex ſit oportet. Nam vt cū S. Thoma 2. 2. q. 60. & alij Theo: docēt, quibꝰ aſſētitur Molina de Juſtitiâ, & Jure, Tom: 3. diſp. 710. Judex tantâ debet pollere ſcientiâ, vt & intelligat ſtatum cauſæ, neque leuibus ad ferenda decreta ducatur indicijs, probè jtem cognoſcat, quantùm alterutri parti jura, legeſque faueant, ſi ad hæc non eſt ſufficiens, totius damni iniquâ ſententiâ reus erit, & ad compenſandum illud tenebitur: juxta illam Regulam juris: *Qui dat cauſam damni, damnum feciſſe videtur.*

Reuera ignorans ac jmperitus Judex dat damni cauſam, quia ei jus tribuit, qui illo tanquā alieno, prorſus carere debet, & idem ab illo transfert, qui iniquè priuatur, vt reuera proprio. Qui ergo Judicis munus abſque dictâ ſcientiâ exercet, perinde facit, atque ſi quis, medicum agere velit, nulla medicinæ jmbutus arte, ſed errando, multoſque necando, addiſcere primùm, idque nimis tardè, experientiâ:

ita ſa-

Digitized by Google

ita ſanè ignari Judices, ſive ſoli ferendo ſententiam, ſiue ſocijs, collegiſque, præſertim definitiuè decernentibus, aſſentiendo, poſtquā tot damnis bonorum, famæ, ac vitæ in ſontes affecerint, in ſenectute demum aliquam comparant juſtè judicandi peritiam, vt ſaltem minùs, rariùſque errent.

Exprobrat hanc multis nociuam facti ac juris ignorantiam judicibus DEUS Pſalm: 81. *Neſcierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant:* quid inde damni? *mouebuntur omnia fundamenta terræ,* hoc eſt, magni fient inter homines motus, & perturbationes, quemadmodum turbatur dom⁹, ſi fundamenta ruant. Hi motus nequaquā excitarentur, ſi Judices, memores poteſtatis à Deo acceptæ, veluti jure quodam filiorum in patris dignitatem ſuccedentium, eam ſibi compararent ſcientiam, quâ tanto munere digni cenſerentur. Propterea DEUS ſubjungit: *Ego dixi Dij eſtis, & filij excelſi ōnes.* Denique pœna mortis ijſdem additur, & Judicij extremi: *Vos autem ſicut homines moriemini, & ſicut vnus de Principibus cadetis. Surge DEVS, judica terram, quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus.* Si hoc Judicium terræ, præ oculis haberent, memoriaque retinerēt omnes, quotquot illud indubitatè credunt judices, darent profectò operam, vt vel detrectarent judicandi munus, quandq; prorſus ad illud ſūt inepti, vel nunquam confiſi ſibi, abſq; prudentū conſilio decreta ferrent, quod ſi interdum ſecus facerent, compenſarent certè errata ignorantiæ ſuæ, imitati Philippum Macedonum Regem, qui cùm ſubditi ſui, ex nomine Machetæ, dormitando cauſam audiſſet, & non percepto bene negotio, contra eundem tuliſſet ſententiam, exclamante eo, *Appello:* indignatus dixit, *ad quem?* cui Machetas: *Ad teipſum ô Rex, modo vigilantem, attenteq; audientem:* Rex, decretum quidem non mutauit, litis tamen perſoluit æſtimationem. Hunc imitantur Judices illi, qui ſemper dormitando judicant: quia ſemper ignari ſunt: imitantur inquā in judicādo, ſed deberent etiā imitari in cōpenſando. 40.

Digitized by Google

Sectio Duodecima.

Judicium juſtum impediunt fauores.

41. ALterum Juſtjtiæ jmpedimentum eſt Fauor, varijs profectus ex cauſis, potiſſimùm autem ex his tribus: nam aliqui Judices fauent amicis, alij donantibus munera, ſunt etiam qui ad placitum eorum judicant, quos timent. Vt primus fauor vitetur, meminiſſe debent Judices, ſe in ſuo conſeſſu habere ſociū, Judicē ſupremū Chriſtum, hic enim ipſe de ſe Joan: .5 *Pater non judicat quenquam, ſed omne Iudicium dat Filio.* Hunc tantum Judicem laudat Jſai: c. 42. ab vniformi æquitate, quæ prohibet acceptionem perſonarum: *Iudicium*, inquit, *gentibus proferet: non clamabit, neq; accipiet perſonam, in veritate proferet judicium.* Quod ſi Chriſtus in veritate, & non in fauore judicat, omnis ſententia acceptioni perſonarum innixa, veritati, & Chriſto eſt diſſona, ab illoque judicanda, ac condemnanda: quod ne fiat, monentur Judices. Pſalm: 81. vt omnes ex ęquo judicent, non facie, ſed æquitate attentâ: *DEVS*, (inquit Dauid) *ſtetit in in Synagoga Deorum, in medio autem Deos judicat. Vſquequo Iudicatis iniquitatem, & facies peccatorum ſumitis? Iudicate egeno & pupillo, humilem & pauperem juſtificate, Eripite pauperem & egenum de manu peccatoris liberate.* Qua in re, lucem Chriſtianis præferunt Ethnici Judices Areopagitæ, qui vt ſcribit Baronius Tom: 1. Anni Dom: 52. eligebantur ex doctiſſimis, & peritiſſimis, ac, minoribus ante judicijs exercitatis, facto prius de ipſorum vitâ, doctrinâ, & virtute periculo. Noctu, priuati lumine judicabant, vt nullius conſpicerent faciem, ne qua commiſeratione, aut amicitiâ mouerentur. Si quis ſua, aut fuſius, quàm erat ne-

ceſſe,

Digitized by Google

ceſſe; aut conſuetudinis, familiaritatiſuè priuatis motus ſtudijs commendare niteretur, mox tacere jubebatur, atque ita fauor amicitiarum procul ab illo exulabat Synedrio. 42.

Hos opinor imitatus Tyberius Cæſar, de quo Dio lib: 57. damnatum capite, per decem dies ſeruari jubebat, vt ſi quid vel ignorantiâ, vel beneuolentiâ à ſe commiſſum eſſet, interea pateſceret. Alexander Magnus, quoties judicijs intererat, vnam aurem manu tegebat, vt hoc facto ſignificaret, ſe alteram aurem contrariæ relinquendo parti, vtrique quantùm jus permittebat, æquè fauere. Sed illud digniſſimum memoriâ, quod legimus in Baronio Anno Chriſti 868. de Ottone Jmperatore Occidentis, qui cùm Comitem quendam capite damnâſſet iniquè accuſatum ab Jmperatrice ſuâ vxore, quæ illum ad turpitudinem (conſtanter renuentem) ſollicitârat, caput comitis, mox, vt deſectum eſt, attulit conjunx eius ad Ottonem, adhuc pro Tribunali ſedentem, petijtque vt contra ſe parem ferret ſẽtentiam, qui injuſtè alium puniuiſſet. ſe paratam aſſerens, ferrum ignitum manibus geſtare, conſciam caſtitatis ſui mariti, quod & fecit, judice inſolitum probandi genus admittente. Conuictus Jmperator, gladij â ſe, & in ſe latam omnino ſubire voluit ſententiam, ratus ſe non aliter melius, quàm ſuo capite correcturũ errorem, quem, plus æquo fæminæ (nimirum coniugi) fauendo commiſiſſet, ſed magna procerum inſtantia, effecit tandem vt Jmperatorem vitâ donaret, actrice impiâ Jmperatrice pro illo ſubſtitutâ, quæ vrgente eadem Comitis vxore, in rogum coniecta eſt. Habeant quem mirentur, & vel à longè ſequantur, qui fauores amicitiarum in judicijs ſolent ſectari.

Sectio

Digitized by Google

Sectio Decimatertia.

Munera corrumpunt judicia.

43. NON minus delinquunt Judices corrupti muneribus, quanquam pluribus nocent. Nam amici & familiares judicum, præſertim maiorum, quales ſunt reges & Principes, pauciores inueniuntur, qui verò offerunt munera, plurimi è diuitibus. Ne ergo hæc aut exigant Judices, aut oblata acceptent, prohibet DEUS, Exodi 23. *Inſontem & juſtum non occides, quia auerſor impium.* Et quaſi digito monſtrans, vnde fiat, vt inſontes occidantur, pergit. *Nec accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, & ſubuertunt verba Iuſtorum.* Eſt Quæſtio inter Theologos, *liceat nec ne Iudicibus accipere munera?* quam tractat & reſoluit Leſſius lib: 2. de juſtitiâ, c. 14. dub: 9 & cum alijs tenet, judicē pro actu judicij poſſe accipere ſalarium, ſiquidem eſt laborioſus, ac proinde pretio æſtimabilis: quapropter vbique terrarū, aſſignantur, illis certi reditus, & penſiones, quibus labor tanquā debitâ compenſatur mercede.

Quod ſi Judex non contentus deſignato ſibi pretio, & ſufficienti mercede, exigit, aut accipit vltra illam inſuper munus, nullam aliàs, aut certè injuſtam laturus ſententiam, peccat, & ex juſtitiâ ad reſtituendum obligatur, eo quòd & judicare, & juſtam ferre ſententiam aliunde iam tenetur, nempe pro pretio aſſignato: quare munus quod accipit, eſt eiuſdem rei, ſcilicet judiciarij actûs jam ſoluti, ſecundum pretium: ſicut autem is, qui vnam, eandemque rem duplici pretio vendit, peccat, & vnum reddere tenetur, tanquam injuſtè acceptum: ita judex peccat, & reſtituere debet munera, quæ dantur intuitu judicij, & ſententiæ latæ,

quan-

quantumuis iuſtæ. Duo tamen poſſunt excuſare ab hoc peccato, & reſtitutione: primum eſt, ſi munus non detur tanquam merces, & pretium, quo Iudex conducatur ad ferendam ſententiam, verùm ex liberalitate, qua prouocatus promptiùs judicet: alterum, ſi Iudex maiorem diligentiam, curam, & laborem adhibeat, quàm pro ordinario debet ſalario vel reditu, tunc enim exceſſus ille laboris cùm ſit pretio dignus, poteſt compenſari juſtè vt libri huius parte poſteriore, c. 1. n. 13. explicabitur.

Hæc duo excuſant quidem à peccato, ſed in praxi, 44.
difficile eſt ei, præſertim qui muneribus aſſueuit, non accipere, niſi ex liberalitate ſit datum, aut ad compenſandum exceſſum illum curæ, atque laboris. Hæc eſt determinatio Theologorum, quam qui tranſgreditur, eo accipit munera fine, quem notat Spiritus Sanctus, Prouerbiorum 17. *Munera de ſinu accipit impius, vt peruertat ſemitas judicij.* Peruerſionis iſtius aſſignatur duplex differentia, loco illo ſupra citato Exodi, c. 23. Quòd munera partim excæcant prudentes, partim ſubuertunt verba juſtorum: excæcant, vt non videant, neque intelligant meritum Juſtitiæ, corruptione donorum, tanquam tenebris, oculos mentis obfuſcante: Subuertunt; verba ijs huiuſmodi ſuggerendo, quæ fraudis & aſtutiæ veneno ſunt imbuta.

Quid porro ſperandum eſt ab ijs juſti, qui vel non vi- 45.
dent illud, vel dolo aſtuque juſtum pro injuſto, & hoc pro illo venditant? optimè iſtos depingit Jſaias c. 27. etſi non ad placitum eorum: *In die illâ, viſitabit Dominus in gladio ſuo duro & grandi, & forti, ſuper Leuiathan tortuoſum, & occidet cætum, qui in mari eſt,* Leuiathan eſt ingens piſcis, alios vorans minores ſe, & præ pinguedine nimiâ prope cæcus, neque poteſt occidi, niſi forti & grandi manu: tales ſunt Judices, muneribus obcæcati, vorant aliorum ſubſtantiam, aut quam dono datam accipiunt, aut quâ alios iniquo pri-

uant decreto: pingueſcunt ſaginati muneribus, vt tandē forti Omnipotentis intereant manu: *Potentes enim, potenter tormenta patientur.* Sapi: 6. Sunt ijdem etiam ſerpentes tortuoſi, qui ſe ſe aliorum animis inſinuant, verſutiſſimâ arte hos ad largitionem prouocando, illos ne ſibi ob malè judicata ſuccenſeant, aut obloquantur, beneuolos conſeruando. Periculoſa eſt nauigatio, vbi Leuiathan, & Balenæ ingentes viſuntur: inter ſerpentes quoque venenatos, æquè non tutum verſari, ſanè miſera eſt. inmuneriſq; periculis expoſita jbi vita, vbi corruptio munerum adeò inualuit, vt muneribus, non rationibus certetur, iſque obtineat cauſam, qui copioſum oſtentat aurum: denique vbi nullus ſit pudor non erubeſcere pudoris, ac libertatis jacturam, notam ſeruitutis. Quæ igitur Regna, vel Communitates corruptioni viam aperiunt, aut conniuent, ne claudatur, in ijs Juſtitia apud diuites ſcrinijs, & ſaccis detenta velut captiua gemit, neque prodit inde niſi aſſociata ære in perniciem pauperum, legumque ruinam. Hoc voluit dicere Solon, qui quæſitus, quid eſſet Lex? reſpondit eſſe aranearū telam: quod enim in illam leue incidit, nimirum pauper, pendet; ſi graue, vt diues, tranſit. Ad hoc exprimendum valet ille Ouidij verſus.

Curia pauperibus clauſa eſt, dat cenſus Honores,
Cenſus amicitias, pauper vbique jacet.

46. Jnſignis prudentiâ, ſanctitate, & zelo in Eccleſiam Chriſti (propter quam Martyrium ſubijt) Cancellarius Regni Angliæ Thomas Morus, cùm id officij ſuccepiſſet, innumeras reperit cauſas, propter inopiam munerum neglectas, quas ipſe intra biennium expediuit. De eodem in vitâ eius refertur & illud, quòd cùm in republica à puero ad quinquageſimum annum verſatus fuiſſet, ſolùm auxerit 60

aureis

aureis reditus annuos: ita à corruptione alienus fuit. Noluit prudentiſſimus Senator periculum ſubire, ne cùm propter alia, atque adeò vniuerſam illuſtrem virtutibus vitam, probus apud omnes haberetur, propter ſolam munerum appetentiam, improbi obtineret nomen. Legit enim opinor illud, quod de Phocione Athenienſe literis eſt conſignatū. Nam cùm Alexander Magnus miſiſſet illi centum talenta, quæſiuit ex legatis, cur illi ſoli inter tot Athenienſes miſiſſet? cui cùm dixiſſent, ideo id factum, quòd illum ſolum ex omnibus virum bonum Rex judicaret. *Sinat ergo*, reſpondit Phocion, *me talem perpetuò, & videri, & eſſe*. Si lumen ipſum naturæ tantam corruptionis huius oſtendit infideli indignitatem, pudor, quòd in credentibus vel idem non efficiat fides diuina.

Sectio Decimaquarta.

Timor potentiorum inuertit judicia.

VLtimum, propter quod fauor vitiat Juſtitiam, eſt timor potentiorum: huic malo dat Eccleſiaſticus Cap:7. facile remedium, vt is qui puſillo eſt animo, & robore, non tam corporis, quàm virtutis deſtitutus, non acceptet, multò minùs petat officium judicis: *Noli*, inquit, *quærere fieri Iudex, niſi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne fortè extimeſcas faciem potentis, & ponas ſcandalum in æquitate tuâ.* Vult ergo ille, cuius voluntate præcipit Eccleſiaſticus, judicem imperterrito eſſe animo, qualem præferre debet miles in bello: vt enim is ad hoc conducitur ſtipendio, vt juſtitiæ ſit executor, patiaturq; aliquid, rempublicam 47.

defendendo, & ſi alia non ſuppetit propugnandi via, mortem quoque pro illâ oppetendo: ita omnino judex eiuſdem juſtitiæ cuſtos, ac defenſor eſſe debet, quam ob cauſam mercedem accipit. Quare ſi potentior quiſpiam vim inferre juſtitiæ voluerit, nihil debet moveri Judex, vt propterea iniquam ferat ſententiam, ſcandalumque pariat æquitati. Atque, ſi alterutrum ſubeundum eſſet, aut ſcandalum, aut mors corporis, ſatius hæc ferenda, quàm illud perpetrandum: illud enim qui commiſerit, ſentiet, quod à ſupremo judice Chriſto dictum eſt. Matth: 18. *Væ homini illi, per quē ſcandalū venit, expedit ei vt ſuſpēdatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris:* hoc, nempe necem paſſus, Martyrij laureolam conſequetur, quam paulò altiùs nominatus Thomas Morus, ſimili de cauſâ, ab iniquo Rege morti addictus, eſt conſecutus.

Quanquam rariùs evenire ſolet, vt de vitâ periclitetur Judex impauidus, DEO, vt plurimùm, ſuam potentiam oſtendente, pauoremque audacibus incutiente. Nam ſi verè ſcripſit S. Paulus Rom: 13. *Non eſt poteſtas niſi à DEO, itaque qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit*: quiſque Judex locum, & vices gerit Omnipotentis Dei, qui ferè ſemper vices gerentium ſui tuetur authoritatem, eſtque non vnâ compertum experientiâ, judices quoſdam tam diu minis terroribuſque vexatos, qùamdiu quid poſſint ac debeant velle, & exequi metuebant, ſententiâ demum prolatâ, terror in audacem retortus, finiſque impoſitus omnibus. Tales à temporibus Chriſti futuros judices prædixit Jſaias c. 61. *Et vocabuntur,* inquit, *in eâ, fortes juſtitiæ.*

48. Quapropter non rectè fit, & quod mirandum, dolendumque magis, à ſupremâ interdum poteſtate, vt facinoroſis indulgeatur, ne motus in Republica excitent (quorum leuis nec multum timenda eſt ſuſpicio) quaſi verò, non magis timendus ſit ille, qui eiuſmodi motus, ſuâ præſertim cauſâ, ſanctæque juſtitiæ excitatos impedire, aut componere poſ-

Digitized by Google

ſit: quique Lucæ 12. confortat fortes: *Dico vobis amicis meis, ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, & poſt hæc non habent amplius quid faciant. Oſtendam autem vobis quem timeatis: timete eum qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam. Ita dico vobis hunc timete.* Atque vt Dominus oſtendat, ſe pacis, integritatiſque communis, quæ eſt tantum in Republica bonũ, curam habere, teſtatur ſe etiam capillos cuiuſque numerare, ne dum bona, theſauros, jumenta,& multó magis ſingulos homines, qui in eâ degunt, protegere: *Sed & capilli,* inquit, *capitis veſtri omnes numerati ſunt.*

Hunc præpoſterum timorem cauendum eſſe judicibus ſuo exemplo docuit Jmperator Traianus (vt legitur apud ſcriptores geſtorum eius) nam ſtrictum enſem dedit Præfecto Vrbis, cernentibus omnibus, hæc addens: *Cape ferrum hoc, & ſi quidem rectè imperium geſſero, pro me, ſin aliter, contra me hoc vtere.* Simile quid feciſſe Seleucum Locrenſem narrat Valerius Maximus, lib: 6. c. 5. Tulerat ille legem contra adulteros, vt quicunque eſſet ſceleris tanti reus, oculis orbaretur, accuſatus eſt, & conuictus adulterij Filius, vt in ſe documentum relinqueret, quàm non ſit timendus vllus, etiam lator ipſe legum, quo minus præſcripta ab illo, fiat executio, ſe vno, altero filium priuauit oculo. Et crudelitas quidem in ſe abominanda eſt, cæterùm laudandus finis, quo id fecit, vt judices ſciant, nullam eſſe timendam vim, ac potentiam:

Sectio Decimaquinta.

Jra turbat iudicia.

49. PRæter ignorantiam & favorem, de quibus hactenus dicta ſufficiant, nocet etiam plurimùm juſtitiæ, jra judicis. Equidem judex vindicare debet damna atque injurias, ſed aliorum, non ſuas. Quapropter vbi ordinata ſunt Tribunalia, cauetur legibus, ne quis in ſuà cauſà ſit judex (procul dubio acriter pro ſe zelaturus) quanquam & in aliorum quoque negotijs, impetus vehementior iræ vtilis eſſe non poteſt. Cuius ratio petenda eſt, ex ipſà huius turbulenti affectûs naturà. Nam cùm vehemens ſit, præuolat, aut ſaltem præpedit rationem, vt ea etiam in prudentiſſimo vacillet, perturbateque & velut oculis ab irrumpente fumo caligantibus, judicet: quod ſemper eam pati neceſſe eſt, ſi jram, vt ducem ſequatur, aut comitetur tanquam ſocium. Quare Salomon non juſtitiam, aut prudens judicium ponit velut effectum, jrati Regis, ſed vindictam, & eum, contra quem ira Regia excitatur, non debere allegare juſtam defẽſionem; ſed ſupplicem monet faciendam deprecationem. *Indignatio,* inquit, *Regis, nuncij mortis, & vir ſapiens placabit eam.* Dignam in hoc propoſito, memorià reliquit Senec: l. 1. de ira c.16. ſẽtẽtiã: occaſione facti cuiuſdã judicis. Piſo Dux exercit⁹, dãnauerat quendã militẽ, quòd ex cõmeatu redijſſet ſine commilitone, petijt ille, vt tantiſper expectaretur, donec fieret cõmilitonis inquiſitio, renuit Piſo præ irâ: dũ præbet ille ceruicem, ecce commilito comparet: Centurio reducit damnatum ad Piſonem, hic iratus damnat commilitonem, damnat & Centurionem: *Te*, inquit, *duci jubeo, quia damnatus es: te, quia cauſa damnationis commilitoni fuiſti: te, quia juſſus occidere, Imperatori non paruiſti, Excogitauit,* (inquit Seneca) *quemadmodum tria crimina faceret, qui nullum inuenerat.* Habet iracundia hoc malum, non vult regi. Et minùs quidem mali eſſet, ſi tantùm nollet regi, atque in ſuà remaneret elata eminentià, nunc au-

tem

Digitized by Google

tem (quod maius eſt) officit ei, qui velit, nolit, debet ſubeſſe, atque ab irâ judicari.

Sed ſiue ira, ſiue quæcunque alia cauſa, labem juſtitiæ aſpergat, tollenda eſt ſemper, illudque à cuſtodibus atque miniſtris eius memoriâ voluendum, non aliam ob cauſam Reſpublicas ad interitum ſæpe venire, quàm ob neglectum juſtitiæ, ſcelerumque impunitam libertatem. Vnus pro multis ſufficiat Jſai: cap: 24. qui non vni alicui Regno, ſed omnibus, atque adeo toti terrarum orbi euerſionem minatur, terribilibus hiſce verbis: *Ecce Dominus diſſipabit terram, & nudabit eam, & diſperget habitatores eius: & erit ſicut populus, ſic & ſacerdos, & ſicut ſeruus, ſic Dominus eius, ſicut ancilla, ſic Domina eius; ſicut emens, ſic ille qui vendit*: & quæ ſequuntur. Tantorum malorum affert cauſam jam ſupra dictam: *Quia tranſgreſſi ſunt leges, mutauerunt jus, diſſipauerunt fædus ſempiternum: propter hoc peccabunt habitatores eius, & relinquentur homines pauci.* Omnia hæc vno verſu complexus eſt, Eccleſiaſticus cap: 10. *Regnum à gente in gentem trasfertur, propter injuſtitias & injurias, & contumelias, & diuerſos dolos.* Prorſus juſtitia Reſpublicas ſtabilit, injuſtitia mutat, & euertit: datq; vires etiā imbelli, ac inerti populo ad impugnandum, & expugnandum fortiſſima juxta, & feliciſſima Regna. *Noſtris*, (inquit S. Hieronymus in Epitaphio Nepotiani) *peccatis, barbari fortes ſunt, noſtris vitijs Romanus ſuperatur exercitus, infelices nos qui tantùm diſplicemus DEO, vt per manus barbarorum, illius in nos ira deſæuiat.* Jtaque ſi reges & capita communitatum, ijs quibus præſunt conſultum eſſe velint, ipſique pace, ac felicitate, quæ interim haberi poteſt, frui, juſtitjam, quam vocant commutatiuam, ſeruent exactè, quà inter ſe, & ſubditos, quà etiam inter illos ipſos, ne ſi ſecus faxint, Reſpublicæ quibus præſunt, ſint eæ, quæ extirpari, non conſeruari, aut propagari debeant, judicio S. Auguſtini 4. de Ciui:

Ciuitate Dei, *Remotâ juſtitiâ*, inquit ille, *quid ſunt Regna, niſi magna latrocinia?*

Sectio Decimaſexta.

Principibus ſeruanda eſt juſtitia diſtributiua.

PRæter hanc juſtitiam, ſeruanda quoque eſt ab iiſdem, alia vocata diſtributiua, vt vniuſcuiuſque merita in patriam dignis non careant præmijs. Qua in re notanda eſt doctrina Ariſtot: 5. Ethic: c 3. quam ſequitur D. Thomas. 22. q. 60. art: 1. & 2. cum Theologis & Philoſophis, Vnamquamque Rēpublicam, & communitatem referri ad ſingulos in eâ contentos, velut totum ad partem, in hoc, quòd ſicut totum, v. g. corpus, conſeruat & tuetur quamlibet partem, tantò magis, quantò pars aliqua præſtantior eſt, & vtilior: jta communitas tueri debet & conſeruare ciues ſuos, eos cæteris magis, qui morali, prudentique æſtimatione, ſunt digniores, & toti vtiliores Reipublicæ, magiſque de eâ bene meriti: quod tum fit, cùm bona communia pro meritis, & cuiuſque dignitate in ſingulos diſtribuuntur: de qua re ex profeſſò dicetur ſequenti huius libri parte c. 4. à n. 13.

Ex hac communi Theologorum doctrinâ, conſtat Re-
51. rumpublicarum gubernatores eſſe diſpenſatores bonorum communium, nempe munerum, officiorum, beneficiorum, dignitatumque, quibus annexi ſunt honores & opes, etiam pecuniæ in ærario publico ſeruari ſolitæ. Quare quemadmodum is qui diſpenſat res ſibi commiſſas, citrà voluntaluntaluntaluntaluntaluntaluntaluntaluntaluntaluntaluntaluntaluntaluntaluntaluntaluntaluntalunta-

Digitized by Google

ſuntatem Domini, non bene agit: jta Principes mali faciunt, peccantque, ſi aut nondiſtribuant hæc bona inter eos, qui ſunt digni beneq; meriti, ſed ſibi retinent; aut omiſſis dignis dent indignis: hac enim lege, apud omnes nationes receptâ, præſunt, vt & inuicem ſibi nocentes corrigant juſtitiâ commutatiuâ, & eos qui reipublicæ proſunt, juſtitiâ diſtributiuâ pro meritis tractent. Ne tamen comparatio facta Principis cum diſpenſatore, ſcrupulum cuipiam generet, hoc inter vtrumq; diſparitatis eſt: quòd hic teneatur refundere id, quod ſibi contra mentem Domini vſurpauit, aut alteri dedit, non item ille: propterea, quòd, ſicut docent Theologi cum S. Thoma 2. 2. q. 62. art: 1. princeps non diſtribuendo nullius jus violet; (cùm nullus antequam accipiat, faciat quidpiā ſuū) diſpenſator autē bona à Domino poſſeſſa, furtiuè ſubtrahit: hic ergo præter culpā, reſtitutioni obnoxi⁹ eſt, ille ſoli delicto, neque tamē leui. Quanquā euenit interdū, vt etiam princeps debeat reſtituere, vt dicetur parte hui⁹ libri poſteriore, cap: 4. à nume: 15. ſed hîc de culpâ dicimus, quæ ſēper eſt, neque, vt jam vidimus, minùs leui. Nam ex neglectâ, aut perperā factâ diſtributione, multa ſequi ſolēt, quæ viles reddunt, aut etiam inquietant communitates, deſpondent animum optimi ciues, deliteſcit induſtria ad res bene agendas, ſtudia literarum torpent, jacet res militaris, priuatur reſpublica conſilio, robore, felicitate, fidelitate; excitātur rixæ, inuidiæ, odia, jurgia, motus, & bella ciuilia inter eos qui plurima accipiunt, minùs autem laborant, & eos, qui nihil, aut modicum habent, plurima, & maxima paſſi.

Quæ & his ſimilia, aut etiam maiora, præcauens in Regno Iſrael ſapientiſſimus Rex Dauid, vicinus, morti, præcepit Filio Salomoni, quid cuique optimè de ſe, & de Republica merito, præſtiturus eſſet. Hæc ergo inter alia injungit futuro Regi Salomoni 3. Reg: 2. *Ego ingredior viam vniuerſæ terræ, confortare & eſto vir: Filijs Berzelai Galaditis, reddes gratiam,*

eruntq́; comedentes in menſâ tuâ, occurrerunt enim mihi, quando fugiebam à facie Abſalon fratris tui. Ita optimus, & prudentiſſimus Rex voluit, vt etiam poſt mortem ſuam vigeret memoria eorum, qui aliquid in rempublicam egiſſent boni. Quod contra fieri à multis principibus, reprehendit Rex Salomon Eccle: 9. qui vel non trutinant res egregiè geſtas: vel citò obliuiſcuntur eorum, qui authores ſunt. *Hanc*, inquit, *ſub ſole vidi ſapientiam, & probaui maximam: ciuitas parua, & pauci in ea viri; venit contra eam Rex magnus, & vallauit eam; extruxitq́; munitiones per gyrum, & perfecta eſt obſidio, inuentuſq́; eſt in eâ vir pauper, ſapiens, & liberauit vrbem per ſapientiam ſuam, & nullus poſthæc recordatus eſt hominis illius pauperis: Et dicebam ego, meliorem eſſe ſapientiam fortitudine: quomodo ergo ſapientia pauperis contempta eſt, & verba eius non ſunt audita?*

Sectio Decimaſeptima.

Quæ impediunt juſtitiam diſtributiuam?

72. SED, eſt quod crebrò retardat, jmpeditque hanc juſtitiam, & inprimis tenacitas, vt minùs ſint etiam de communi, ne dum de ſuo, liberales domini, cùm tamen liberalitas maximè principem deceat, vt oſtendit Vatablus cum alijs interpretibus verborum illorum Jſai: c. 32. *Princeps, ea, quæ digna ſunt principe, cogitabit*: ex Hebræo enim idem eſt, principem quæ digna ſunt principe cogitare, ac liberalia, liberalem cogitare; idemque eſt in Hebraicâ linguâ *(Nadib)* ſeu princeps, quod liberalis. Quare, ſi ipſemet DEUS hoc nominis in vetuſtiſſimâ linguâ, regibus imponi voluit, eſt profectò voluntatis eius, vt illi digna ſuo

nomine

nomine præſtent. *Conueniunt* enim *rebus nomina ſæpè ſuis:* dixit quidam, & bene. Alexandrum magnum, inter alia, magnificentiſſimam liberalitatem, tanquam adminiculum feliciſſimi regiminis, narrant adhibuiſſe ſcriptores geſtorum eius, vnde, vt refert Plutarchus in Apophteg: cùm petenti cuidam Anaxarcho philoſopho juſſiſſet dari, quantùm vellet, dixiſſetque theſauri cuſtos, eum petere centum talenta; *rectè,* reſpondit Alexander, *facit, qui eſſe amicum nouit ſibi, qui tantùm poſſit donare, & velit.* De Alexandro Seuero jmperatore ſcriptum legimus, eum ad petendum ſolitum prouocare ſubditos, dicereque: *Quid eſt quòd nihil petis? an me tibi vis debitorem? pete, ne priuatus, de me querare.*

Nouerunt hi, & ſimiles illis, liberales principes, ſe 53. beneficentiâ ſuâ, aliquam quidem facere jacturam bonorum, verùm eam abundè compenſari, propenſâ in ſe, fideique eorum voluntate, quibus benefecerint; multòque eſſe melius, atque ad conſeruationem ſui, reique publicæ conſultius, pauciores poſſidendo theſauros, ijs præeſſe, è quibus ſint plurimi liberalitate deuincti, quàm ditiſſimum, paucos habere beneficentiæ memores. Certè fugienti Dauid à facie Abſalonis, nihil profuêre theſauri Jerozolimis relicti, tota fuit & vnica poſt DEUM ſpes in ijs quos antea liberalitate, & beneficijs obligatos tenebat. Vt ergo hi audierunt à Rege 2. Reg: 15. *Surgite, fugiamus:* reſponderunt: *omnia quæcunq; præceperit Dominus noſter Rex, libenter exequemur ſerui tui.* Jnter hos, narrat hiſtoria de quodam Ethai Gethæo, qui paulò ante ad regem venerat; magnam tamen eius humanitatem, & liberalitatem expertus, non dubitauit ſequi fugientem, & ſe fortunæ, quæcunque futura eſſet, committere, neque à ſuo propoſito etiam ſuadente Rege, paſſus eſt ſe abduci. Cùm enim illi dixiſſet Rex: *Cur venis nobiſcum? reuertere, & habita cum Rege, peregrinus es, heri veniſti, & hodie compelleris nobiſcum egredi? Re-*

uertere, & dominus faciet tecum miſericordiam, & veritatem, quia oſtendiſti gratiam, & fidem. Ad hæc Ethai: *Viuit Dominus, & viuit Dominus meus Rex, quoniam in quocunque loco fueris Domine mi Rex, ſiue in morte, ſiue in vitâ, ibi erit ſeruus tuus.* Tales erant plurimi & prorſus omnes, qui ſecuti Dauid ſuperato Abſalone, ſedem illi, ſceptrumque reſtituerunt Regium: tantùm eſt principibus, in liberalitate præſidij.

54. Jllud quoque ijſdem conſiderandum eſt, ipſos, & Dei (*per quem Reges regnant*, Prouerb; 8.) nutu, ac voluntate, & populi conſenſu, cæteris debere, non honore tantùm, ſed opibus etiam eminere, ob tres fines. Primus eſt, vt habeant, vnde pro dignitate, ſe, amplamque alant familiam, quæ ad cuſtodiam corporis, & ornamentum ſeruiat perſonæ publicæ. Secundus eſt, ſecuritas & defenſio Reipublicæ, ad quam, numerus militum, ſtipendio conducendorum, eſt neceſſarius. Tertius, magnificentiæ declarationem continet, cùm enim hæc propria ſit magnatum virtus, debent habere amplas opes, quæ illius ſuggerant copioſam materiam.

Atque huius rei gratiâ, duplicis generis bona principibus gubernanda traduntur: quædam communia, ad juſtè diſtribuendum: alia priuata, ad oſtendendam magnificam liberalitatem, quam Rex Regum & Dominus Dominantium Chriſtus, ſuis, in orbe terrarum politicè regendo, vicarijs ſuadet, teſte Sancto Paulo Act: 20. *Ipſe*, inquit, *dixit: Beatius eſt magis dare, quàm accipere:* Et optimè ſanè dixit. Nam eſſe communicatiuum, proprium eſt Dei, nihil ab vllo accipientis, ſed omnia dantis. nimirum omnia etiam habentis. Quare ſi principes Dei referunt ſimilitudinem in regendo, & multa habendo, debent etiam in dando ſimiles eſſe. Jam ergo, quemadmodum ſi quis duos priores in vſu opum fines negligat, negligit partes muneris ſui, ita & in hoc tertio omiſſo, non abſque notâ, culpâque erit. Cauẽda igi-

Digitized by Google

da igitur tenacitas, & quædam vilitas anguſti animi, quæ, & priuata recondit, & communia parcè, tardè, grauiter, & quaſi coactè, diſtribuit.

Non minùs cauenda mutatio, atque inconſtantia promiſſorum, nam & hæc juſtitiam diſtributiuam aut tollit, aut inficit: tollit, ſi non ſtetur promiſſis; inficit, ſi non tantum detur, nec eo modo, ac tempore, quemadmodum promiſſum eſt. Et quidem crebrâ experientiâ paſſim jam compertum, vulgatumque eſt, Magnates ſolere eſſe promiſſorum immemores; id quod ex varijs prouenit cauſis, interdum ex complexionis fluidâ, & velut fæmineâ, ac proinde mutationi obnoxiâ, (qualis ſolet eſſe in juuenibus) conſtitutione, aut certè ex cholericâ, aut igneâ, quæ quia leuis, & præceps eſt, mutatur facilè. Poteſt etiam idem euenire, ex mentis perturbatione, quam efficit potûs calidioris copia; quæ potiſſimum cauſa habet locum in ijs regionibus, in quibus compotatio atque ebrietas, eſt familiaris. Nam, *fæcūdi calices quem non fecere diſertum?* inquit Poeta: multa tum dicuntur, multa promittuntur, quæ ſobrius retractat. Sunt & aliæ nonnullæ cauſæ eiuſdem in promiſſis inconſtantiæ. 55.

Cæterùm, ſicut ſapiens dominatur aſtris, ita has cauſas moderari debet principis prudentia, vt nihil officiant veritati, ſeu fidelitati promiſſorum.

Quantùm hæc virtus ſoluendi promiſſa commendata debet eſſe, regibus maximè, inprimis Spiritûs ſancti pulchro docemur apophtegmate: Prouerb: 3. *Ne dicas amico tuo: vade, & reuertere: cras dabo tibi, cùm ſtatim poſſis dare.* Vbi monemur cauendam vel ſolam dilationem exequendi promiſsi. Deinde in ſupremo Rege & Domino noſtro, voluit Dauid: Pſalm: 44. eandem virtutem illuſtrem reddere: nam præmiſsâ laude Regni eius, ipſum à fidelitate inprimis extollit. *Regnum tuum, regnum omnium ſæculorum, & dominatio tua in omni generatione: Fidelis Dominus* 56.

minus in omnibus verbis ſuis: &c. Erant ſine numero aliæ virtutes, quas in hoc tanto Monarcha laudare debuiſſet Rex Dauid, verùm ab hac exorſus eſt encomia ipſius; vt nos ad ſeruiendum illi excitaret, certoſque redderet de mercede, quam cuicunque pollicetur, indubitatè, & fideliſſimè ſoluit. Hac fidelitate, qui terreni reges ornati ſunt, facilè trahunt ſubditos ad obſequia, & fidem ſibi præſtandam. Neque enim fieri poteſt, vt is, qui ſuo regimine ſequitur, vel à longè regimen ſupremi, & maximi Regis Chriſti, non aſſequatur ea, quæ optimam eius gubernandi rationem, non ſecus atque vmbra corpus comitantur ſemper. Quin pro certiſſimo debent habere principes mundi, tantò ſe prudentiùs, ac feliciùs dominia ſibi à ſupremâ Chriſti poteſtate cōmiſſa gubernaturos, quãtò virtutib⁹ hactenus explicatis, nēpe miſericordiâ, veritate, & alijs ſe dignis propinquiores illi fuerint, atque ad ipſius cultum, & honorem ſuos omnes retulerint conatus. Sunt plures cauſæ, quæ impediunt debitam diſtributionem, vt acceptio perſonarum, timor offenſæ potentiorum, & ſimiles; in quibus non puto immorandum ne ſim longior. Finiat hoc caput ſuo de hac totâ re teſtimonio celeberrimus, & prudentiſſim⁹ Aragoniæ Rex Alphonſus, quod refert Panormit: libro 2. Apophtegmatum: cùm enim aliquando periti rerum diſputarent in præſentiâ eius de felicitate Regum, Alphonſus, ſuam in hæc verba protulit ſententiam: *Quid tantopere laboratis? num putatis hoc ipſum, quale ſit, pleniùs excogitari poſſe, quàm prodiderit vir diuinæ ſapientiæ Auguſtinus? Reges vtiq; felices Auguſtinus exiſtimat, ſi juſtè imperant, ſi inter linguas ſublimiter orantium, & obſequia, nimis humiliter ſalutantium, non extollantur, ſed ſe homines eſſe meminerint; ſi ſuam poteſtatem ad Dei cultum maximè dilatandum, Maieſtatis eius famulam faciant; ſi malunt cupiditatibus prauis, quàm quibuslibet gentibus imperare, ſi plus amant illud regnum, vbi non timent conſortes; tales Chri-*

ſtianos

Digitized by Google

ſtianos jmperatores & reges dicimus eſſe felices. Hæc ego, concludit Alphonſus, *commentariolis ideo intexui, quòd digna mihi viſa ſint, quæ Reges & principes terrarum, memoriâ teneant, & obſeruent.*

CAPVT IX.

De Prudentiâ Oeconomicâ.

DE œconomiâ, non poſſunt hìc dici illa, quæ ad exactam, abſolutamque eius exiguntur ſcientiam: neque enim id ad explicandam prudentiam œconomicam eſt neceſſarium, ſed ſatis eſt ea adferre, quæ ſi prudentia, quâ de agimus, vniuerſim attendat, facilè comprehendet ſingularia.

Sectio Prima.

Oeconomiæ primum munus cura rei familiaris.

AD œconomiam ergo, duo videntur ſpectare, vt ipſū eius indicat nomen, cura rei domeſticæ, ſeu familiaris, & familiæ, his plura œconomus in domo non reperiet. Quanta verò rei domeſticæ ſolicitudo eſſe debeat, monet Eccleſiaſtes cap: 7. *Mane ſemina ſemen tuum, & veſpere ne ceſſet manus tua, quia neſcis quid magis oriatur, hoc, aut illud, etſi vtrumque ſimul melius erit.* Monitionis huius vis eſt in eo poſita, vt nullo tempore, á congruo illi, ſibique labore. 1.

Digitized by Google

bore is vacet, qui cupit rem familiarem augere, tantamque adipiſci, quantam ſupernâ Dei benedictione poteſt. Non parent monitioni, qui otio, & deſidiâ torpent, diu ſtertunt, citò cubant, neque ipſi cùm poſſint, & pro modo viuendi debeant, manus ad opus applicant, neque alijs, vt fideliter agant, attendunt, neque committunt talibus, qui id muneris vtiliter, ac peritè præſtare ſolent, ſed diſtinentur, totoſque ſe dedunt ijs, quæ ſunt ab ipſorum aliena ſtatu; vel quæ ad tempus, tantùm leuandi animi causâ, aſſumi poſſent, vt eſt venatio, ludus, librorum lectio, & id genus alia.

Sectio Secunda.

Augendæ rei familiaris duos Oeconomus fines habere debet, quorum prior eſt, ſuſtentatio domeſticorum.

2. CÆterùm vigil, attentuſque ſibi, ac memor moniti ex Eccleſiaſtico jam citati Paterfamilias, non parcet curæ, & labori in augendâ re domeſticâ, duos ſibi præfigens fines, à Salomone Prouerb: 31. propoſitos. Mulierem quidem ille hoc loco laudat, ſtrenuè viro in curandâ domo adlaborantem, atque id ſpectantem, quò debet recta, ac prudens dirigi œconomia, cùm tamen idem propoſitum habeat, omnis qui rei familiari attendit, & ad eundem finem, omnes ſuas curas deſtinare debeat, quod Salomon de ſtrenuâ conjuge protulit, alijs meritò accommodari poteſt. Laudes ergo talis mulieris, in fortitudine, ac timore Dei ſitas putat ſapiens: *Mulierem*, inquit, *fortem quis inueniet? procul, & de vltimis finibus pretium eius*: tum enume-

rat

Digitized by Google

rat egregia fortitudinis opera, nempe laborem, & curam, quam coniux ſubdita viro, vt capiti gerere ſolet, exequendo eius voluntatem, & id agendo, quod fæminæ & ad otium vitandum, & ad rem familiarem promouendam poſſunt. Hæc opera, hoſque labores exprimit, cùm dicit Salomon: *Confidit in eâ cor viri ſui, & ſpolijs non indigebit. Quæſiuit lanam, & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum, manum ſuam miſit ad fortia, & digiti eius apprehenderunt fuſum.* Cùm verò ad fortitudinem muliebrem acceſſerit etiam timor Dei, ac probitas vitæ, talem ille fæminam, etſi pauperem, ac minùs decoram, ſpecie, præfert omnibus ditiſſimis, & formoſiſſimis: *Multæ,* inquit ibidem, *filiæ cõgregauerunt diuitias, tu ſupergreſſa es vniuerſas: fallax gratia, & vana eſt pulchritudo, mulier timens Dominum ipſa laudabitur.* Si eiuſmodi mulier judicio Dei præferenda eſt cæteris, profectò (vt id obiter & ex occaſione hìc dicatur) deficiunt à prudẽtiâ œconomicâ, neq; rectè ſuis reb' proſpiciũt, qui ducturi vxorem, formam, & opes attendunt maximè, quos, vt idem ſapiens à noxio errore auerteret, & oſtenderet multùm decipi, quòd diuites, & pulchras duntaxat ambiant, non dubitauit eodem libro Prouerbiorum 11. dicere: *Circulus aureus in naribus ſuis, mulier pulchra, & fatua:* nam elegans forma, veſtes ſplendidæ, dos ampla, tantùm imprudentem ornât fæminam, quantùm torques aureus collo ſuis inſertus, in ſordido cubantis luto. Accedit huc, quòd mutatâ morbo, ætate, aut etiam ipſo continuæ conſuetudinis faſtidio (cùm nihil in humanis ſemper æquè placeat) mulierum pulchritudine, conſumptis quoque, quæ cum illis ſunt acceptæ diuitijs, mutari, ac extingui quoque in illas maritorum amorem neceſſe eſt, & eius loco ſuccedere, odia, ſimultates, jurgia, incontinentias, inſidias vitæ, diuortia, & grauiſſima alia vitæ conjugalis incommoda. Non nego quæri poſſe formam, decus & venuſtatem, dotem quoque

& opes; illud quod alliciat, hoc quod leuiora reddat connubij onera, ſed, & forma virtutem commendare debet, nam vt rectè quidam. *Gratior eſt pulchro veniens è corpore virtus*, & opes, comes vxoris, non ipſa reputanda vxor.

3. Verùm ſiue matrimonio juncti, ſiue quicunque alij œconomiæ dediti, audiant à Salomone, vel potius à Spiritu Sancto, vnum è duobus curandæ rei familiaris, laborumq́; præfixum ſibi finem Prouerbi: illo c. 31. *Facta eſt*, inquit, *quaſi nauis inſtitoris de longè portans panem ſuum, & de nocte ſurrexit, deditq́; prædam domeſticis ſuis, & cibaria ancillis ſuis, conſiderauit agrum, & emit eum, de fructu manuum ſuarum plantauit vineam.* Domeſticorum quos quiſque habet congruam ſuſtentationem ſpectare inprimis debent patresfamilias, & ad illam referre curam, ac ſtudium operandi, vendẽdi, emendi, & ſimilia agendi; qua in re prudentia œconomica extrema vitare debet, tanquam ſemper virtuti inimica. Extremum eſt, parcè & ſordidè dare neceſſaria, cùm aliter fieri poſſit: extremum quoque eſt, adeo numeroſam, adeoque ſplendidam alere familiam, vt illi ſuſtentandæ non ſufficiat res familiaris: quod quidem in quibuſdam minùs rectè ordinatis communitatibus, ac prouincijs, eſt pluſquam frequens. Emancipati enim, mox vt in hæreditatis poſſeſſionem venerint, greges ducunt poſt ſe famulorum, in quos tantum expendunt, quantum non ſuppeditant reditus annui. In lauta deinde conuiuia, in ſplendorem veſtium, in equos, canes, & cæteros pompæ mundanæ apparatus, qua ita certatur, vt plebeius, velit eſſe par nobili, nobilis Senatori, ſemperque augeatur certamen, ne vel maior patiatur ſe ſuperari, vel minor videatur non poſſe aſſequi maiorem: in hæc, inquam, cùm ſua non ſuppetunt, non ſua quæruntur: contrahitur æs alienum, oppignorantur, venduntur bona: frequens tandem eſt, vt domini à ſuis famulis ſtipem petant. Solenne verò talibus, paucos admodum reperiri, qui non debitores ſint, amplâ ſubſtantiâ, opibuſque præpro-

Digitized by Google

properè decoctis. Bene in quendam luſit Cato ſenior, vt ſcribit in vitâ eius Plutarchus, qui vicinos mari agros, ad luxum vendidit: *Miror*, inquit, *hunc plus poſſe, quàm ipſum mare, quod enim illud vix paulatim alluebat, ille facilè deuorauit.*

Tanti in œconomia erroris, ac diſpendij, potiſſima videtur refundi debere cauſa, in reſpublicas minùs benè ordinatas: ſi enim lege, vel conſuetudine firmâ, præſcriberetur modus, ac ratio familiæ cuiuſuis generis hominibus congrua, ſi ad hæc eſſet viarum ſecuritas, latrociniorum inſolentiæ, atque inuadendi audaciæ rigida caſtigatio, non remaneret vlla immoderatæ in famulantium greges expenſæ neceſſitas, præter luxum, & prodigalitatem, quæ nec ita latè per omnes ſerpit, & facilè ad moderationem reduceretur, deficiente copioſiùs effundendi nummos illâ neceſſitate, quam non difficulter magnam quiſque ſibi finget, nullâ cohibitus lege, vſuque recepto. Sed ſi nulla eſt lex moderatè alendæ familiæ, quiſque eam ſibi, ſuâ prudentiâ, condere poterit. Atque hoc eſt vnum quod paterfamilias attendere debet, domeſticorum videlicet cura, & debita prouidentia.

Sectio Tertia.

Secundum, quod in augenda re familiari attenditur, eſt Miſericordia in pauperes.

Alterum, quod eodem loco in prouidâ muliere à Salomone commendatur, eſt miſericordia in pauperes: *Manum ſuam*, inquit, *aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperem.* Eleemoſynæ cauſam, modum, & finē

Digitized by Google

& finem præſcribit Tobias Sanctus, præceptum illius imponens filio ſuo, rem domeſticam eidem poſt ſe relinquens Tob: 1. *Ex ſubſtantiâ tuâ fac eleemoſynam, & noli auertere faciem tuam ab vllo paupere: ita enim fiet, vt nec à te auertatur facies Domini. Quomodo, potueris, ita eſto miſericors: ſi multũ tibi fuerit, abundanter tribue, ſi exiguum, etiam exiguum libenter impertiri ſtude: præmium enim bonum tibi theſaurizas in die neceſſitatis, quoniam eleemoſyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.*

4. Cauſam & neceſſitatem faciendæ eleemoſynæ adfert arbitrio Spiritus Sancti, pius ſenex, ipſam rei familiaris ſubſtantiam, (*ex ſubſtantiâ*, inquit, *tuâ fac eleemoſynam*) tanquam ad hoc à bonorum largitore donatam, vt ſit inſtrumentum quoddam amoris ordinati. Dei enim voluntas eſt, vt vbi quis ſibi, & familiæ ad ſe, tanquam quid ſecum vnum, ſpectanti, amore in ſe debito prouidit, eodem deinde moueri debet, vt proximis egentibus ſubveniat. Et quemadmodum, ſi ſibi neceſſaria neget, ac propterea damnum vitæ patiatur, crudelis in ſe, ac impius habendus, ita in alios quoq; talis reputandus, ſi in illos inhumanus fuerit.

Hæc verò eſt Theologorum, cum S. Thoma, 2. 2. quæſtione 32. art: 5. ſententia, eleemoſynam deberi ſub graui, & mortali peccato, quoties duæ adfuerint circumſtantiæ, extrema videlicet, aut etiam grauis admodùm egentis neceſſitas, & eius qui ſubuenire tenetur, facultas, quæ cenſetur tunc adeſſe, quando quis ſibi, ſuæque familiæ conuenienter iam prouidit, & inſuper habet, quod poſſit erogare, tanquam de ſuperfluo. Porro neceſſitas hæc egentis, non ſolum eſt vitæ tuendæ, ſed etiam eius ſine quo grauis eſt, & vix expetenda vita, vt eſt honoris jactura, & quid ſimile.

Jn tali neceſſitate conſtitutus, S. Nicolaus Epiſcopus Mirenſis, eleemoſynâ ſuâ, à jactura pudicitiæ, & diuinâ offenſâ, tres Virgines ſorores liberauit. Quo in euentu, qui non ſuc-

Digitized by Google

ſuccurrit, ſibi putet dictum à S. Ambroſio lib: officiorum. *Paſce fame morientem, ſi non paueris, occidiſti.* Multò verò magis timeat id, quod Matth: 25. legit: *Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis eius. Eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare, ſitiui, & non dediſtis mihi potum, hoſpes eram, & non collegiſtis me, nudus, & non cooperuiſtis me, infirmus, & in carcere, & non me viſitaſtis.*

Jn alio ab hoc iam explicato caſu, qui eleemoſynam negat, conſilium boni operis omittit, præceptum tranſgreditur graue. Et licet hanc eleemoſynæ neceſſitatem, tam ſonantib⁹, & ignem æternum minantibus, Chriſtus impoſuerit verbis, eſt tamen, quod eius paſſim impediat executionem, auaritia nempe, & tenacitas, luxus etiam, ac prodigalitas. Hæ ſunt duæ teſte Salomone Prouerb: 30. filiæ ſanguiſugæ, dicentes, *affer, affer,* raro, vel nunquam, effer: hæc duo excæcant mentem, quam ſemel occuparint, vt nihil putet ſe habere ſuperflui, quod det, omnia verò tanquam apprimè neceſſaria (quæ reuera ſunt vltra omnem neceſſitatem) ſeruet obſtinatè, & vt plura ſeruet, aut prodigè decoquat, iniquè colligit. *Generatio horum* (inquit Salomon ibidem) *pro dentibus gladios habet, & commandit molaribus ſuis, vt comedat inopes de terrâ, & pauperẽ ex hominibus.* Miratur verò idem Eccleſiaſt: capite 4. amplius eum, qui nec habet, cui tanta congreget, aut ſeruet, ſic ergo ibid: *Vnus eſt, & ſecundum non habet, non filium, non fratrem, & tamen non ceſſat laborare, nec ſatiantur oculi eius diuitijs, nec recogitat dicens: cui laboro, & fraudo animam bonis. In hoc quoque vanitas, & afflictio peſſima.* Alij habent cauſam quærendi noua, partaq; tuendi, prolem, ſanguine junctos, caſus, & futura pericula, ſuam etiam ipſorum dignitatem; & pro dignitate cultum, ac viuendi rationem, ſed ſi (quantùm his relinqui debeat aut in gratiam horum recondi, expendiuè) judicium tena- 5.

Digitized by Google

citati, aut auaritiæ, & prodigalitati deferatur nihil vnquā ſuperflui manebit, quo juuetur inops. Jtaque ne hac in re fallatur prudentia œconomica, juuanda eſt conſilio maturo, & pio, ad rectè cognoſcendos neceſſarij, ac ſuperflui terminos: qui verò rogatus, conſilium dabit, normam illius ſecurè poterit à S. Auguſtino petere: hic tomo, 9. libro vnico de diſciplinâ Chriſtianâ, vt oſtenderet, quid pro ſe tenendum, quid dandum indigenti, tria affert, quæ conſilium dirigant.

Sectio Quarta.

Ad Eleemoſynam debitè largiendam, tria conferunt.

6. PRimum eſt verus, realis, non verbalis amor proximi: qui enim alium amat, prout debet, perinde ac ſe, non difficulter reperiet ſuperfluum, quod ſibi, ſi egeret, ab alio dari cuperet. *Volebas*, inquit S. Auguſtinus, *diligere proximum tuum ſicut te ipſum, diuide cum ipſo pecuniam tuā. Sed quid mihi reſpondet benigna auaritia? ſi diuiſero, minus erit, & mihi & illi (idem reſpondebit tenacitas ac prodigalitas) ſed quia diligo eum tanquam me ipſum, opto illi, vt tantùm habeat, vt nec meum minuatur, & mihi ipſe exæquetur. Optas vnde nihil perdas, atq; vtinā hoc verum dicas, timeo enim ne inuideas. Quomodo enim erit ſocialis felicitas tua, quam torquet felicitas aliena? nonne cum cœperit diteſcere vicinus tuus, & ire poſt te, times ne tranſeat te? ſed non loquor de inuidis, loquor illis qui bene optāt amicis, vt habeāt tātùm quātùm, ipſi, ſed nolunt illis dare, ex eo quod habent. Vnde te jactas Chriſtiane? quia optas bene? melior te eſt men-*

Digitized by Google

eſt mendicus, qui tibi plura optat, & nihil habet: bene vis optare, nihil à te accipienti, da aliquid optanti, ſi bonum eſt bonum optare, redde mercedem. Da bene optanti; addo Chriſtus eſt, ipſe à te petijt, qui tibi dedit: Erubeſce, ille diues pauper eſſe voluit (id eſt in multis pauperibus) vt haberes pauperes, quibus dares. Huc vſque S. Auguſt: Quod ſi quis timeat, in ſe miſeriam quam in alio videt, longè facilior, promptiorque erit ad miſerendum: vero ac memoriâ digno comprobat id Diogenes dicto, rogatus enim cur homines cæcis, claudis, & ſimilibus pecuniam offerunt, Philoſopho non item: reſpondit, id, ideo eſſe, quia claudos, & cæcos, fieri ſe poſſe exiſtimant, non autem Philoſophos. Hoc igitur primum, nempe amor, proximi, ſui ipſius amori conformatus, ſyncerè monſtrabit quantùm ſibi ab vno quoque tenendum, quantùm dandum egenti.

Alterum eſt amor noſtri honeſtus & debitus: reputare enim ſecum quiſque debet quod Chriſtus Matth: 19. ſcriptum reliquit: *Facilius eſt camelum per foramen acûs tranſire, quàm diuitē intrare in regnum cœlorum*: idque propterea, quòd diuitiæ ſint quædam onera, & magna, & grauia, ad quæ portanda, niſi adhibeatur comes, qui onus minuat, ægrè per anguſtam portam cœli diues intrabit, quin potius in mediâ viâ preſſus onere ſuccumbet. Dandam ergo eleemoſynā cenſet S. Auguſtinus, tantò ampliorem, quantò quis ad cœlum expeditior eſſe volet, minuſque timere id, quod Saluator Lucæ 6. minatur: *Væ vobis diuitibus, quia habetis conſolationem veſtram: væ vobis, qui ſaturati eſtis, quia eſurietis.* Sed ipſum loquentem audiamus Sanctum Auguſtinum: *Da aliquid fratri tuo, da aliquid comiti tuo, vita iſta via eſt, ſimul ambulatis: ſed fortè dicis: Ego diues, ille pauper eſt, quid eſt, quod dicis? niſi, Ego oneratus, ille leuis? ſarcinam tuam commemoras, pondus tuum laudas, & quod grauius eſt, conſtrinxiſti ad te ſarcinam tuam, ideo non potes porrigere manum: onerate, ligate, quid iactas?* 7.

ſolue

Digitized by Google

ſolue vincula tua, minue ſarcinam tuam, da comiti, & illum adjuuas, & te releuas. Verba S. Auguſtini, ſi ſano expendantur judicio, ſtultitiam arguunt eius, exilemque ſui amorem; propterea quòd ne ad æternam perueniat requiem, vltro ſibi onera accumulet, vt ijs fatigatus, atque oppreſſus, humi hæreat, & intereat miſerè.

8. Tertium duob⁹ jam dictis præſtantius multò ſequitur: vt enim amor proximi, amorque ſui, tantò efficaciùs moueat ad largiendum, amor Chriſti DEI, & Redemptoris pro colophone additur, quo inflammatus vel tantùm Chriſto dabit, quantùm ſibi ſuiſque retinet, nimirum illi, à quò omnia habet, & qui idcirco caduca requirit, vt illa æternis muneret. Suadet ergo Sanctus Doctor, habendum Chriſtum vnum ex ijs, quibus bona debentur: ſi filijs, aut propinquis, vnum ex illis; ſi ſibi condignè tractando, alterum à ſe, & ſic ait: *Inter has voces tuas laudantes ſarcinam tuam, adhuc Chriſtus petit, & non accipit, & obtendis nomen pietatis crudelibus verbis, & dicis: Et quid ſeruo filijs meis? Chriſtum illi oppono, filios ſuos mihi reponit. Ita verò magna juſtitia, vt habeat vnde luxurietur Filius eius, egeat Dominus ſuus? cùm enim vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis, non legiſti, non timuiſti.*

9. Tangit hîc S. Auguſtinus commune, & latiſſimum parentum, auorum, & id genus hominum, malum, qui in tantâ copiâ ſuis, filijs, nepotib⁹, atq; amicis, relinquunt bona vndequaque, & quacunque collecta ratione, vt pijſſimi iſti ſint (quod in juuẽtute perquàm rarum) vel valdè ignari mundanæ vanitatis, ſi non luxurientur. Nam cùm juuenes calidiore conſtent corporis temperamento, calor autẽ ſuaptè vi diſgreget & diſſipet, ſicut è contra, congregat frigus, vt Philoſophi docent, facilè impetu naturæ, & ductu alieno mouentur, ad diſſipandum, profundendum, & quod huic ſemper ferè eſt connexum, luxuriandum, cæteraque patranda mala, quorum omnium inordinatus parentum amor eſt cauſa,

ſa, & origo. Relinquenda ſunt patrimonia ſuccedentibus, ſed duplici à S. Auguſtino adhibitâ cautelâ, vt neque injuria fiat Chriſto, qui inter ſucceſſores cupit eſſe vnus, neq; hi ex abundantiſſimâ rerum copiâ ſumant licentioſè viuendi anſam, & nihil agendi, quo relicta à parentibus conſeruent, augeantque. Hoc quoque tertium pulchrè explanat S. Auguſtinus: *Poſtremò,* (inquit) *numera filios tuos, adde vnum inter illos Dominum tuum: vnum habes, ſit ille ſecundus: duos, ſit ille tertius, nihil horum? Ecce quomodo diligis proximum tuum, quem tibi facis ſocium. ad iſtam perditionem. Auarus es, & pecuniam amas, beatus eſſe vis? DEVM ama. De DEO quid tibi dicit Sapientia Prouerbiorum 2. Ama illum, tanquam pecuniam, indignum eſt, injurioſum eſt, vt ſapientia,* (increatam hanc intelligit S Auguſtinus Chriſtum filium DEI) *comparetur pecuniæ, ſed amor amori comparatur. Video enim ſic vos amare pecuniam, vt jubente amore pecuniæ, labores ſuſcipiatis, mare tranſeatis: habeo vnde eligam quod ametis, ſed non habeo quod addam ad amorem quo amatis, ſic me amate, plus nolo me amari dicit Dominus: improbis loquor, auaris loquor, erubeſcamus ſaltem, confiteamur, & pectora tundamus.* Magni ruboris juſtiſſimam putat cauſam S. Auguſtinus adeo eſſe apud homines vilem bonorum omnium largitorem DEVM, vt cùm jure debeat eſſe, non ſit vel poſtremus inter eos, quibus homines gratiam præſtare ſolent. Hæc ſunt velut tria antidota, quæ auaritiæ, tenacitatiq; & prodigalitati medētur, & ſi rectè adhibeātur, efficiēt, vt cuiuſq; facultates, magnæ, vel exiguæ, & ſibi, ſuiſq; ſufficiāt & ſuperſint egētib⁹.

Explicatâ iam eleemoſynæ cauſâ, ipſâ nempe opum ſubſtantiâ, ad hoc à conditore rerum conceſsâ, vt egentibus ſubueniatur, modum eius dandæ præſcribit loco ſupra adducto S. Tobias, Tobiæ 4. à nullo ſcilicet paupere faciem auertendam, & dandum multum, vel exiguum, pro quantitate bonorum, & poſſeſſionum. Auertunt faciem, qui 10.

Digitized by Google

cùm poſſint pluribus, pauciſſimis miſerentur, cùm ille nulli putet negandam miſericordiam. Auertunt, qui auſtero, minacique vultu, & aſperis, ac exprobrantibus verbis excipiunt pauperes: quemadmodum illi conuertunt faciem, ſimul & cor ad eoſdem, qui ſe benignos, & promptos ad miſerandum offerunt. Deniquè & illi auertunt faciem, qui verbis, & promiſſis paſcunt egeſtatem, non intuentes, conuerſà ad inopiam mente, pioque condolentis ſenſu, neque expendentes præſentem miſeriam, quæ ſimul adeſt, cruciat, & non nouit differre pœnam. *Ne abſtineas,* monet rectè Salomon Prouerb: 3. *benefacere indigenti, quando vtiq́; poſſit manus tua auxiliari, ne dicas: Reuertens redi, & cras dabo, cùm ſtatim poſſis dare, non enim noſti, quid pariet dies ſequens.* Sed illud grande eſt, quòd non auertenti faciem à paupere, pollicetur vir Dei, cùm ait: *Noli auertere faciem tuam ab vllo paupere, ita enim fiet, vt nec à te auertatur facies Domini.* Hoc ipſum eſt quod veritas immutabilis, Chriſtus Dominus promittit Lucæ 6. *Date, & dabitur vobis, menſuram bonam, & confertam: eadem quippè menſurâ, qua menſi fueritis, remetietur vobis.* Et rem, & modum mercedis expreſſum hìc habemus, vt ſi multùm, accitò, prompteque demus, multùm recepturi ſimus, promptiſſimumque ad miſerandum experiamur DEVM: ſic enim paritas conſeruabitur menſuræ, vt qua nos Chriſto in pauperibus metimur, eadem reddatur nobis.

Ac ne quis minùs bene ſecum agi putet, propterea
11 quòd nequeat multum dare, cùm parum habeat, nouerit hic multum, non obiectiuè, ſed ſubiectiuè, ſiue per comparationem ad dantem æſtimandum eſſe. Qnantumcunq; enim quis habeat, multum dat, ſi illud dat, quod reuera eſt ſuperfluum, reliquum quod non poterit, prompto ſupplendo animo. Bene S. Leo ſerm: 4. de jeiunio decimi menſis, *Subinde,* inquit, *æquatur merito, quod diſtat impendio, quia po-*

teſt

teſt par eſſe animus. vbi diſpar eſt cenſus: S. etiam Auguſtinus ſerm: 62. de tempore explicans illa verba, Jſaiæ c. 50. *Frange eſurienti panem tuum*, ita ait: *Non ſic*, inquit, *dixit, vt integrum panem daret, cùm fortè pauper ille, alium non habeet, ſed frange inquit, etiamſi paupertas tanta tibi eſt, vt non habeas, niſi vnum panem, ex ipſo tamen frange. Multum ergo dat, qui id, quo carere citra diſpendium proprium poteſt, largitur miſero.*

Quod ſi quis magna in DEVM ſpe erectus, amoreq; eius incenſus, det, etiam neceſſitatis ſuæ oblitus, quemadmodum fecit illa Vidua Luc: 21. duo dans minuta; hic longè plurimùm dat, quantumuis det exiguum. Jta enim Chriſtus de paupere illâ viduâ: *Verè dico vobis, quia vidua hæc pauper, plus quàm omnes miſit* (qui autem erant illi omnes, exprimit Lucas fuiſſe diuites) datque cauſam cur cæteris plus dediſſet: *Nam omnes hi, ex abundanti ſibi, miſerunt in Dei munera: hæc autem ex eo, quod deeſt illi, omnem victum ſuum, quem habuit, miſit.* Cæterùm quacunque ratione modicum detur, modo eleemoſynæ titulo, illud modicum, multum & magnũ eſſe, apud juſtum bonorum operum æſtimatorem Deum teſtatur S. Auguſtinus tom: 4. libro vno de Dulcitij octo quæſtionibus, quæſtione 4. *Quid*, inquit, *potentiùs, quàm vt Regnum cœlorum, non ſolùm Zachæus emat dimidio rerum ſuarum, ſed vidua duobus minutis, & tantundem ibi vterq; poſſideant. Quid potentiùs, quàm vt idem Regnum & theſauris diuitis, & calice aquæ frigidæ pauperis valeat?* 12.

Sectio Quinta.

Vtilitas eleemoſynæ triplex.

13. Poſtremò finem, atque vtilitatem eleemoſynæ, Tobias triplicem affert: primus eſt, certum Dei auxilium in temporalibus, & varijs præſentis vitæ caſibus. *Præmium* (ſunt verba Tobiæ) *bonum tibi theſaurizas in die neceſſitatis.* Theſaurum hunc aſſerit Salomon ſeruari in abditiſſimo, & tutiſſimo loco, nempe in corde egeni, cuius ſcrutator, & cuſtos idem eſt, qui & conditor, DEVS, Eccleſiaſt: 29. *Conclude eleemoſynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit, ab omni malo, ſuper ſcutum potentis, & ſuper lanceam aduerſus inimicum tuum pugnabit.* Neque hic locus recondita ſeruat duntaxat, auget inſuper, & multiplicat, tanquam fænori data, nempe eius potentiâ, cui augendum committitur, quidquid pauperi datur, Prouerb: 19. *Fænera-tur Domino, qui miſeretur Pauperis, & viciſſitudinem eius reddet ei.* Quantùm verò hoc fænus creſcat, facilè eſt conijcere, tum ex dantis voluntate, tum ex potentiâ accipientis. Et illa quidem ad plurima, & maxima extenditur, quis enim fænerando DEO, nolit copioſiſſimum lucrum? hæc, nimirum diuina potentia, infinita eſt: tantum ergo eſt fænus, quantum homo deſiderare, Deus facere poteſt, & ſuccurrẽdo egenti, & periclitantem protegendo. Jnnumera ſunt exempla, quibus oſtenditur, quàm felix ſit fænoris huius cum DEO ratio. Pulchrũ refert Baronius An: Domini 475. de quodam Ecdicio magni nominis Lugduni Senatore, qui, quòd fame vrgente, tria millia inopum, tamdiu aluerit, quoad ſæuijt malum, vocem eiuſmodi de cœlo meruit audire: *Ecdici, Ecdici, quia hoc feciſti, nunquam tibi, & poſteris tuis panis deerit.* Quis ſibi non optet tale lucrum, vt pro ſemel recipiat ſemper, ſeu nunquam? Jd ita fieri digniſſimum eſt: neque enim DEVS patietur ſe liberalitate ab homine ſuperari. Et ſi interdum fænus hoc non experimur, id fit ideo, quòd aut neceſſitas eius experiendi abſit, aut in melius & æternum commutetur.

Melius

Digitized by Google

Melius porro eſt æternum, id quod ad duas reliquas 14.
eleemoſynæ vtilitates refert vir S. Tobias, dum ait: *Eleemoſyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam jre in tenebras.* Hæc duo Eleemoſynæ maxima commoda, liberatio videlicet à peccato, & à perpetuâ damnatione, nō ita illi tribui debent, vt prætermiſsâ pœnitentiâ, ſolâ eleemoſynâ poſſit quis jmmunis eſſe à reatu grauis culpæ, & pœnæ inferni, ſed ita, vt docet S. Thomas 2. 2. q. 154. art: 2. ad 5. cuius hæc ſunt verba: *Per opera pietatis,* (nempè miſericordiæ, de quibus ibi agebat) *ille qui lubricum carnis patitur* (id eſt luxurioſè viuit) *liberatur à perditione æternâ, in quantum per eiusmodi opera, diſponitur ad hoc, quòd gratiam conſequatur, per quam pœniteat, & inquantum per eiusmodi opera ſatisfacit de lubrico carnis commiſſo: non autem ita, quòd ſi in lubrico carnis perſeuerat, impœnitens vſq; ad mortem, per pietatis opera liberetur* Hæc doctrina habet fundamentum in illâ ſimilitudine à Saluatore Matth: 18. allatâ de Domino, & ſeruo, quorum hic, quia crudelem, & inexorabilem ſe ſuo præſtitit cōſeruo, effecit immanitate ſuâ, vt debitum tantâ à ſe exigeret ſeueritate dominus, quantâ ipſe extorquebat à ſuo compari illud: ita enim Saluator proſequitur dictam ſimilitudinem, itaque eam ad ſuum propoſitum applicat. *Tunc vocauit illum Dominus ſuus, & ait illi: ſerue nequam, omne debitū dimiſi tibi, quoniam rogaſti me, nonne ergo oportuit, & te miſereri conſerui tui, ſicut & ego tui miſertus ſum. Iratus Dominus eius tradidit eum tortoribus, quoad vſq; redderet debitum vniuerſum: ſic & Pater meus cœleſtis faciet vobis: ſi non remiſeritis vnusquiſq; fratri ſuo de cordibus veſtris.* Hac comparatione oſtendit Dominus, miſericordiam exhibitam fratri, flectere diuinam ipſius clementiam ad dimittendum peccati, pœnæque debitum. Et meritò ſanè, cùm enim in fratre, ſeu quouis miſericordiâ egente, ſit ipſe Dominus (quemadmodum Matth: 25. teſtatur: *Quamdiu feciſtis vni ex mini-*

mis fratribus meis, mihi feciſtis) nequaquam immenſa eius bonitas feret, vt miſerenti tibi in miſero, non miſereatur viciſſim, & quidem illâ miſericordiâ, qua ſoli DEO proprium eſt miſereri, & miſerendo ſummam auferre peccati, æternæque damnationis miſeriam.

15. Hæc eadem miſero præſtita miſericordia, in causâ eſt frequenter, vt huius etiam vitæ mortalis pœnæ, juſtè alioquin pro culpis infligendæ, aut differantur, aut condonentur. Notum id erat Nabuchodonoſor regi, quem diuino oraculo grauiter puniendum intellexerat Daniel, quando huiuſmodi conſilium dabat Danielis 4. *Quamobrem Rex conſilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordijs Pauperum, forſitan ignoſcet delictis tuis.*

Narrat Baronius ad Annum Chriſti 414. de Zenone Orientis Jmperatore peruerſo aliàs, ſed benigno in pauperes, de quo, matronæ cuidam honeſtæ, cuius filiâ ille abutebatur, vindictam diuinitus expoſcenti, reſpondit Regina cœlorum: *Iam id facerem, ſed manus eius non permittit.* Tãtùm liberalitas in egenos potuit, in illâ, quæ apud omnipotentem quiduis poteſt. Mira verò lucta, & certamen peccatoris miſericordis, & Matris miſericordiæ, vt hæc vindicare velit, nec tamen poſſit manu inhibente illius. Hæc commoda, haſque vtilitates, & hactenus de eleemoſynâ dicta, noſſe debent œconomi, ſi vnum è duobus officij ſui munus rectè cupiunt explere, debitam rei familiaris habendo curam.

Sectio Sexta.

Oeconomiæ pars altera eſt gubernare familiam.

ALterũ munus eſt ipſam quoque gubernare familiam, in qua duplicis generis inueniuntur homines, ij videlicet, qui in obſequijs ſunt Dominorum, & proles honeſto ſuſcepta matrimonio. Quid porro ſerui debeant dominis ſuis, & hi viciſſim illis, S. Apoſtolus Paulus 6. ad Epheſios ita monet: *Diſcite ſerui obedire dominis carnalibus cum timore, & tremore, in ſimplicitate cordis veſtri, ſicut Chriſto, non ad oculum ſeruientes, quaſi hominibus placentes, ſed vt Chriſti ſerui, facientes voluntatem Dei ex animo: ſcientes, quoniam vnusquiſq; quodcunque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, ſiue ſeruus, ſiue liber.* Obſequium debent ſerui Dominis, non tale quale & jumentum ijſdem præſtat, exequendo id, ad quod vi adigitur, verùm, cum timore, tremore ac ſimplicitate cordis, ſicut Chriſto, quo pacto homo homini obedit, quando poteſtatẽ Chriſti, (quæ vt idem teſtatur Apoſtolus Rom: 13. *non eſt niſi à DEO*) in ijs reueretur, timorem ac reuerentiam vt maioribus, tremorem vt Dominis, ac Judicibus deferendo, & quidem in ſimplicitate cordis, vnum quid & idem, eorum eminentiam cum eminentiâ Chriſti reputando: non duplicando, nec ſeparando illorum poteſtatem, à Poteſtate Chriſti, cùm reuera ſuprema illius ac Diuina poteſtas in ſingulos dominos, tanquam miniſtros, diſtributa, regimen ac monarchiam vnam in rerum naturâ complet. 16.

Monarchiam iſtam Chriſti Regis Domini, & capitis ſupremi, deſcribit Sanctus Paulus Ephes I. *DEVS Domini noſtri IESV Chriſti, Pater gloriæ, det vobis ſpiritum ſapientiæ, vt ſciatis quæ ſit ſupereminens magnitudo virtutis eius in nos, qui credimus ſecundùm operationem potentiæ virtutis eius, quam operatus eſt in Chriſto, illum conſtituens ad dexteram ſuam in cœleſtibus, ſupra omnem principatũ, & poteſtatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur, non ſolùm in hoc ſæculo, ſed etiam in futuro. Et omnia ſubjecit ſub pedibus eius, &* 17.

ipſum

ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius, & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur. Hac illuſtri & magnificâ Spiritûs Sancti Eloquentiâ, ſupremum Dominiũ ac poteſtatem in Chriſto Apoſtolus reſidere, & ex illo velut è capite, in membra, in Angelos videlicet & homines, per quos cœleſtia, & terrena, ſumma, & infima reguntur, deſcendere aſſerit.

Sectio Septima.

Quid debeant Dominis œconomi, famuli, & quacunque ratione eis ſubiecti?

QVicunque igitur cuicunque ſubeſt poteſtati, Chriſtum in illâ agnoſcere, timere, ac tremere in ſimplicitate ſui cordis debet. Hunc ſpiritum ſapientiæ ac ſcientiæ optat omnibus Fidelibus Sanctus Paulus, vt ſciant, cui vel in minimo etiam (vt ſcribit Sanctus Petrus 1. Petri 2.) in diſcolo, debitum obſequij pendunt.

Eadem ſcientia, ei qui alienæ voluntati ſubiectus
18. eſt, apprimè neceſſarium ab Apoſtolo S. Paulo citato loco poſitum monitum reddet, ita acceptum, vt obediendo Dominis carnalibus Dei ex animo faciat voluntatem, neque cuiuſquam, maximâ licet pollentis, authoritate, induci ſe vnquam ſinat ad violanda Dei juſſa: ita enim Chriſti poteſtati jugum excutere tanquam rebellis præſumeret, recepturus ab eo dignam ſuo temerario auſu mercedem, quãtumuis ſe ſeruum, illum appellet Dominum ſuum. Audiet, quicunque talis eſt, hunc Dominum ita ſibi dicentem: *Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in Regnum cœlorum, ſed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis eſt.*

Digitized by Google

eſt. Matth: 7. Atque hoc eſt quod Apoſtolus Paulus vltimò, ponit: *Scientes, inquit, quoniam vnusquiſq́, quodcunque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, ſiue ſeruus, ſiue liber.* Magnam ſanè lætandi ſuggerit materiam id promiſſum, omnibus conditione ſeruis, famulis, & ancillis, vt non putent ſe nihil amplius à Domino ſuo ſupremo Chriſto recepturos, quàm quòd à terrenis referunt ſalarij. Quin potiùs certò ſibi (nimirum fide Catholicâ) perſuadeant, modò id, quod juſſu dominorum faciunt, ſit bonum, hoc eſt conforme Diuinæ voluntati, tantò æſtimandum eſſe pretiò, quantum eſt totum Chriſti ſummi Monarchæ regnum. *Intrabit,* promittit Chriſtus, *in Regnum cœlorum qui facit voluntatem Patris mei:* Matth: 7.

Ne ergo inſultet ſupremus Aulæ Regiæ præfectus, vel apud abiectum Dominum mancipio, quòd ille aurum, gemmas, ſceptrum tractet, hic verrat domum, ſordes efferat: Chriſtus præconi ſuo Paulo promulgandum jubet, non plus ſe ſoluturum diadema capiti regio imponenti, quàm ſordidos tergenti calceos, jmò plus fortè huic, quàm illi, aut tantùm huic, & non illi, ſi illum honorata in ſuperbiam attollant obſequia, hunc abiecta ſeruitus humilem reddat. 19.

Jta ſeruus nutu Domini ad ſeruos, ita Dominus per ſeruum ad ſeruos, Chriſtus per S. Paulum: *Vnuſquiſq́ quodcunq́ fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, ſiue ſeruus, ſiue liber.* Hoc promiſſo, atque hac ſpe ſuam ſortem quiſque ſoletur, quem & ſeruire, & abiectè ſeruire neceſſitas cogit. Sed ne quid ſpei deſit, memor Apoſtoli moniti, ad duo ſeruilem dirigat prudentiam: vt obediat homini tanquam DEO, neque vnquam homini tantùm, & non ſimul DEO.

Digitized by Google

Sectio Octaua.

Quid præſtare debent Domini ijs quibus præſunt œconomicè?

20. IAm quid Domini viciſſim debeant ſeruis, proſequendo monitionem ſuam præcipit Apoſtolus Epheſeos 6. *Et vos Domini eadem facite illis, remittentes minas, ſcientes, quia & illorum & veſter Dominus eſt in cœlis, & perſonarum acceptio non eſt apud eum.* Dominis terrenis cœleſtem proponit S. Paulus, vt ſicut hic largitur præmia condigna ſeruis rectè agentibus, neque vnquam mandat non recta, ita & illi eadem faciant, mercedem cujuſque labori coæquando, & ea præcipiendo quæ Diuinæ non repugnant voluntati.

De mercede operis debitè dandâ ſunt quædam dicta ſupra cap: 8. à num: 9. per aliquot, cùm ageretur de miſericordiâ ijs qui obſequuntur præſtandâ. Addo hîc, debere diligenter aduertere Dominos ne qua fraus injuſtitiaue interueniat. Si enim eadem facere jubentur ſeruis quæ facit Chriſtus, ſicut Chriſtus æquiſſimâ lance labores & præmia trutinat, & vbi tempus ſoluendi venerit, ne ad momentum mercedem detinet: jta & domini cauere debent, ne ſolutionem differant, aut quærant ſtudio, vel leuiſſimas cauſas, negandi illam, ſeu detrahendi aliquid de juſto pretio. Eum qui tali fraude agit non dubitat Eccleſiaſticus æquare injurioſo in ſe, animamque ſuam, Eccleſi: 7. *Non lædas ſeruum in veritate operantem, neq; mercenarium dantem animam ſuam: ſeruus ſenſatus ſit tibi dilectus quaſi anima tua, non defraudes illum libertate neq; inopem derelinquas illum.*

Certè qui animæ vitæque ſuæ negaret jure præſtanda, injuſtus in ſe eſſet, jmmemorque innatæ in ſe propenſionis, ita injuſtus eſt, qui ſeruo pro meritis non rependit. Quod

ſi quid admiſerit ille culpæ, remittendas minas cenſet Apoſtolus, non quidem ita, vt nullæ vnquam infligantur pœnæ, ſed vt illis remiſſio admiſceatur, aut in toto, ſi modica ſit, rariorque culpa, aut in parte, ſi grauis. Ita enim & DEVS citra meritum ſemper punit. Nunquam verò vitio vertendum eſt ſeruo, ſi nolit ea facere quæ cœleſtis prohibet Dominus: in quo iniqui, Deoque rebelles Domini, duplex cômittunt facinus, mala jubendo, & bene parentem peiùs caſtigando.

Perperam etiam obediunt, qui mala exequuntur imperia, mali facti executionem obedientiam attexentes, neque aduertentes, aut aduertere recuſantes negandam eſſe obedientiam ei qui contraria Domini præcipit mandatis. 21.

Vtriq; collaudare meritò debent Naaman 4. Regum c. 5. Principem militiæ Regis Syriæ, qui poſtquam verum DEVM operâ Eliſæi agnouit, ſolicitè ab eo diſcere cupiebat, poſſet, nec ne, id juſſu ſui Regis facere, quod videbatur aduerſari Regi Cœleſti: *Hoc ſolum eſt*, dicebat Eliſæo, *de quo deprecceris Dominum pro ſeruo tuo, quando ingredietur Dominus meus templum Remnon, vt adoret, & ille innitatur ſuper manum meam, ſi adorauero in templo Remnon, adorãte eo in eodem loco, vt ignoſcat mihi Dominus ſeruo tuo pro hac re*. Piâ recès ad DEVM conuerſi intellectâ Eliſæus quæſtione, reſpondit: *Vade in pace*, permittendo id (vt interpretantur hunc ſcripturæ locum Doctores) quod ad obſequium ſpectabat domini, vt innitentem ſubleuaret, non ad idoli cultum, vt illud veneraretur, ſimul etiam approbando fidem, quam quiſque ſupremo Domino debet ſemper integram.

Ab hoc Syriæ Principe diſcant omnes Principes terræ, ſuos ſubditos, ſeruos, atque ancillas exemptos eſſe ab obedientiâ, cui eſt annexa rebellio in DEVM: neque mirentur, ſi interdum Vicarius Chriſti, omniumque Fidelium Paſtor, declarat hanc exemptionem obediendi ijs Dominis 22.

Digitized by Google

ac regibus, qui rebelles, ac ſcelesti in DEUM, jmpia ſuis ſubditis jmponunt mandata. Jd ita fieri poſſe, ac debere docuit Primus inter Vicarios Chriſti S. Petrus Apoſtolus, vt ſcriptum legimus Actorum 5. Cùm enim peruerſi Judæi prohiberent Fidem promulgare Chriſtianam, dicerentque: *Præcipiendo præcepimus vobis ne doceretis in nomine iſto, & ecce repleſtis Ieruſalem doctrinâ veſtrâ, & vultis inducere ſuper nos ſāguinem hominis jſtius*: Reſpondit Petrus, ſe, cæteroſque Apoſtolos ac fideles à tali eximendo præcepto: *Obedire oportet DEO magis, quàm hominibus.* Repertus eſt vnus è Principibus Judæorum, dictus Gamaliel, qui hoc reſponſo motus, ſuaſit alijs deſiſtendum eſſe ab eiuſmodi inhibitione, cauſamque ſui dedit conſilij hanc: *Ne fortè & DEO repugnare inueniamini.* Cæſi quidem tunc ſunt Apoſtoli, ſed tolerantiâ illâ ſuâ, fidelibus normam eiuſmodi viuendi reliquerunt, vt malint caduca ab iniquis Dominis perferre damna, quàm æternis à Rege Regum, & Domino Dominantium juſto Judice Chriſto addici ſupplicijs, eo quòd paruerint terrenis dominis contra cæleſtis voluntatem. Atque hoc eſt quo tanquam epiphonemate, monita ſeruis ac dominis à ſe data concludit S. Paulus, illo loco ad Epheſios 6: *Et vos Domini eadem facite illis, ſcientes quia & illorum, & veſter Dominus eſt in cœlis, & perſonarum acceptio non eſt apud eum.*

Sectio Nona.

Coniuges mutuò in curanda re familiari juuare ſe debent.

Expedi-

EXpeditâ priore familiæ parte à prudente œconomo, curanda ſequitur altera, nempe proles, quæ cùm à Parentibus ſuſcipitur, prius quid ab illis ſibi mutuò ſit præſtandum videre oporteret. Sed quia hac de re commodior agendi locus erit capite ſequente à num: 48. de conjugatorum priuatâ dicetur prudentiâ.

Jllud hìc duntaxat dicendum quód œconomiam potiſſimè concernit, vt vterquè conjugum vnanimi conſpiret ſtudio ad retinendam promouendamque rem familiarem, neque quod quiſque pro ſexûs conditione, ac pro talenti facultate poteſt, aut pudore, aut deſidia omittat: multò verò maximè caueant, ne quod vnus labore & dexteritate colligit, alter prodigè, aut clam, & velut furtiuè diſſipet. Cōcordes in curandâ re familiari conjuges laudat Salomon Prouerb: v.timo: Maritum, quòd cùm nobilis ſit, neque ipſe per ſe operis attendere poſſit, relictâ hac curâ vxori, grauibus Reipublicæ negotijs occupetur: vxorem, quòd nihil negligat quæ ſuarum ſunt partium: *Nobilis*, ergo inquit Salomon, *in portis vir eius, quando ſederit cum ſenatoribus terræ:* qui idem minimè veretur, ne non quærantur augenda, aut parta dilabantur: *Confidit* enim *in eâ cor viri ſui, & ſpolijs non indigebit: reddidit ei bonum, & non malum, omnibus diebus vitæ ſuæ.* Denique talis eſt illa, vt otium fugiat, ſuique muneris opus non erubeſcat: *Quæſiuit* quippe *lanam & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum.* Neque ſolùm ipſa amans eſt laboris, domeſticos quoque ad eundem vrget: *De nocte* enim *ſurrexit, deditq́; prædam domeſticis ſuis, & cibaria ancillis ſuis.* 23.

Quod ſi hos conjuges, qui domeſticæ rei ſunt attenti, laude dignos cenſet Spiritus Sanctus, reprehendendi omnino ſunt, inertes ac remiſsi, qui ſe bene paſcere, multamq; alere familiam norunt, ignari qua ratione ad hoc ſufficiant. 24.

Non ſine causâ DEUS 3. Reg: cap: 4. & 10. & 2. Paralip. cap: 9.

cap: 9. ad laudes prudentiſſimi Regis Salomonis, etiam hoc adjunxit, quòd auctâ in primis in ſuo regno auri, argentiq; copià, redditibus quoque dominiorum quibus imperabat recenſitis, tum deinde certum numerum præfectorum Regiæ aulæ, equorum, ac curruum conſtituerit, & deſignauerit ſingulorum dierum congruam annonam. *Fecit*, refert hiſtoria (nempe Salomon) *vt tanta eſſet abundantia argenti in Ieruſalem, quanta lapidum, erat autem cibus Salomonis per dies ſingulos triginta cori ſimilæ, & ſexaginta cori farinæ, decem boues pingues, & viginti boues paſcuales, & centum arietes, exceptâ venatione ceruorum, caprearum, atq; bubalorum, & auium altilium. Habuit quadraginta millia equorum in ſtabulis, & curruum, equitumq; duodecim millia, conſtituitq; eos in vrbibus quadrigarum, & vbi erat Rex in Ieruſalem neceſſaria menſæ Regis Salomonis cum ingenti curâ præbebant in tempore ſuo, hordeum quoq;, & paleas equorum, & jumentorum deferebant in locum vbi erat Rex, juxta conſtitutum ſibi.* Longè aberrant ab hac œconomiæ prudentià, qui plus quotannis efferunt, quàm inferunt in domum, neque curant quantum auri argentique collegerint, modò expendant plurimùm, faſtu, & luxu præſenti ita decepti, vt futuram non præuideant ſuorum, ſuamque egeſtatem: vel ſi non egeſtatem; multas certè difficultates, ac moleſtias, quas qui euitant, (in hoc quidem de quo agimus conjugum ſtatu) memores eius, quod primis maledictæ terræ cultoribus à vindice DEO in pœnam eſt dictum: Geneſis 3. *In laboribus comedes cunctis diebus vitæ tuæ:* ſudant laborando, atque id quod in ſudore vultûs ſui adepti ſunt, & prouidè recondunt, & diſpenſant moderatè.

Sectio Decima.

Filij

Filij ac Filiæ quid debent Parentibus?

HANC coniugum curam, ac diligentiam ſequi debet alia longè ſtudioſiùs adhibenda in educatione ſuſceptæ prolis. Cuius educationis leges, mutuamque ex vnâ parte parentum, ex aliâ filiorum filiarumq; obligationem, eadem illâ epiſtolâ ad Epheſ: cap: 6. affert Apoſtolus, cùm inquit: *Filij obedite Parentibus veſtris in domino, hoc enim juſtum eſt: Honora Patrem tuum & matrem tuam, quod eſt mandatum primum in promiſſione, vt bene ſit tibi, & ſis longæuus ſuper terram. Et vos parentes nolite ad iracundiam prouocare filios veſtros, ſed educate illos in diſciplinâ, & correptione Domini.*

Duo à filijs (quod idem de filiabus intelligendũ) exi- 25.
git Sanctus Paulus, obedientiam, nempe, & honorem; idque jure optimo, & vt docet S. Thomas 2. 2. q. 101. in corpore, *Homo enim*, inquit ille, *diuerſimodè efficitur alijs debitor, ſecundùm eorum diuerſam excellentiam, & diuerſa beneficia ab ijs ſuſcepta: in vtroq; autem DEVS ſummum obtinet locum, & qui excellentiſſimus eſt, & eſt nobis eſſendi, & gubernationis primum principium. Secundariò verò noſtri eſſe, & gubernationis principia ſunt parentes, & patria, à quibus, & in qua nati, ac nutriti ſumus. Et ideo poſt DEVM eſt homo maximè debitor parentibus, & patriæ. Vnde ſicut ad religionem pertinet, cultum DEO exhibere, ita ad pietatem pertinet exhibere cultum parentibus, & patriæ. In cultu autem parentum includitur cultus omnium conſanguineorum, quia etiam conſanguinei ex hoc dicuntur, quòd ex iiſdem parentibus proceſſerunt: In cultu autem patriæ intelligitur cultus omnium conciuium, & omnium Patriæ amicorum.* In quibus S. Thomæ verbis continetur cauſa, qua obſtricti ſunt filij ad obediendum, & honorandum inprimis parentes, tum conſanguineos, patriam, ac con-

Digitized by Google

conciues, tantò vnumquemque magis, quantò maior excellentia, & maiora elucent in eo beneficia. Quod vt præſtetur juſtum eſſe putat Apoſtolus, per juſtitiam, pietatem intelligendo, quæ eſt quædam pars juſtitiæ. Jtaque debetur Parentibus obedientia, tanquam ijs, qui tribuendo vitam, jus quoddam, & velut dominatum in prolem adipiſcuntur, eâ quadantenus ratione, quâ figulus in vas à ſe effectum dominium obtinet. Quare ſicut vas arbitrio, & voluntate regitur artificis, ita filius filiaue parentum authoritate gubernandi ſunt. Debetur quoque ijſdem honor, neque verò is, ſignis tantùm, & externâ beneuolentiæ exhibitione, ſed opere etiam, atque ope exhibendus eſt, quoties parentes egeſtate premuntur. Rectè Dominus, Matth: 15. Scribas & Phariſæos (qui negabant hunc honorem Parentibus, non pro neceſſitate, ſed pro ſuo libito inopiam eorum ſubleuando) arguit ita in illos inuectus: *DEVS dixit: Honora Patrem, & matrem: & qui maledixerit patri, vel matri, morte morietur. Vos autem dicitis: Quicunq; dixerit Patri vel matri; munus quodcunque eſt ex me, tibi proderit, & non honorificabit patrem ſuum, aut matrem ſuam, & irritum feciſtis mandatum DEI propter traditionem veſtram.* Declarat hìc Dominus, honorem debitum Parentibus eum eſſe, qui cum auxilio & ſuccurſu ſit conjunctus, quoties illi eo opus habent.

26. Et licet honor debeatur parentibus, adhibenda tamen hìc eſt communis Theologorum doctrina cum S. Thoma 2. 2. q. 10. art: 2. aſſerentium, quoties duarum ſimul virtutum, nempe Religionis in DEVM, & pietatis, in parentes exercendarum occurrit opportunitas, aut quod magis vrget neceſſitas, prudentiam ſanam præferre debere religionem pietati, cùm DEVS excellentiâ maieſtatis ſuæ infinitè præſtet parentibus, & longè plura conferat in homines beneficia, quàm quæ ab illis proli exhibentur.

Digitized by Google

tur. Jn huius doctrinæ maius robur adducit S. Thomas Diuum Ambroſium ſuper Luc: cap: 9. & 12. dicentem, *Neceſſitudini generis Diuinæ religionis pietas antefertur.* Et S. Hieronymū in Epiſtola prima: ſcribentem ad Heliodorum: *Per calcatum perge patrem, per calcatam perge matrem, ad vexilla crucis euola. Summum genus pietatis eſt in hac re fuiſſe crudelem.* Quæ doctrina, & teſtimonia Sanctorum Patrum, Doctorumque Eccleſiæ, multò magis tunc habent locum, cùm parentes ſunt in cauſâ, vt filij inducantur ad contraria Diuino cultui patranda. Contra hos claram Chriſtus protulit ſententiam Luc: 14. *Si quis venit ad me, & non odit Patrem ſuum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Quem locum ita interpretatur S. Gregorius Homilia 27. in Euangelia: *Parentes, quos aduerſarios in viâ DEI patimur, odiendo, & fugiendo, neſcire debemus: ſi enim nos prouocant ad peccandum, & abſtrahunt à cultu Diuino, debemus quātùm ad hoc eos deſerere & odiſſe.* Quanquam non in hoc ſolo caſu religio præferenda eſt pietati, quo periculum jmminet offenſæ Diuinæ, ſed tum etiam, cùm agitur, de ſequendis Chriſti cōſilijs. Quod ibidem docet S. Thomas, cùm enim ſibi obieciſſet, quid eſſet agendū, religionē ingreſſuro, ſi parētes obſiſtāt? reſpōdet, deſerēdos eſſe parētes, niſi fortè ſint in eà neceſſitate, vt ſuſtentari niſi per illum nullo modo queant. Jn hoc euentu non tam voluntati renitentiū quàm, egentium neceſſitati, certâ aliquâ, & conuenienti ratione proſpiciendum eſſe: quam præſcribit ibi S. Thomas in reſpōſione ad obiectum argumentum: *Aliud,* inquit, *dicendum eſt de eo, qui eſt adhuc in ſæculo conſtitutus, & aliud de eo, qui eſt iam in religione profeſſus. Ille enim qui eſt in ſæculo conſtitutus, ſi habet Parentes, qui ſine ipſo ſuſtentari non poſſunt, non debet eis relictis religionem intrare, quia trāſgrederetur præceptum de honoratione parentum. Quamuis quidam dicunt, quòd in hoc ca-*

ſu, licitè poſſet eos deſerere, eorum curam DEO cõmittens: ſed ſi quis rectiùs conſideret, eſſet tentare DEVM, cùm habens ex humano conſilio quid ageret, periculo parentes exponeret, ſub ſpe Diuini auxilij. Si verò ſine eo parentes vitam tranſigere poſſent, licitum eſſe ei deſertis Parentibus religionem intrare. Quia filij non tenentur ad ſuſtentationem parentum, niſi cauſâ neceſſitatis. Ille verò qui iam eſt in Religione profeſſus, reputatur iam quaſi mortuus mundo, vnde non debet occaſione ſuſtentationis parentum exire clauſtrum, in quo Chriſto conſepelitur, & ſe iterum ſæcularibus negotijs implicare, tenetur tamen ſaluâ ſui Prælati obedientiâ, & ſuæ religionis ſtatu, pium ſtudium adhibere, qualiter eius parentibus ſubueniatur. Huc vſque S. Thomas, cuius doctrina & clara, & ſolida eſt. Porro extra hunc caſum, vt hunc honorem, atque obedientiam iam explicatam, ſuis parentibus præſtẽt filij, diuino excitantur longioris vitæ promiſſo: propter quod S. Paulus mandatum de parentibus honorandis vocat primum in promiſſione: nullum enim aliud in Decalogo præceſſit cum illâ.

72. Et cùm ſit promiſſum DEI, qui fallere, nec nouit, nec poteſt, certiſſimum eſſe minimè ambigendum, credendumque impleri, vel in manifeſtâ longitudine vitæ, vel in minus quidem diuturnâ, eâ tamen quæ ſuperat temperamẽti complexionem, vel in præſeruatione à ſubitaneis, & violentis mortis caſibus, vel denique in proſperitate huius ſæculi, quæ longam æquat ætatem, quamque DEVS honorantibus parentes pollicitus eſt, vt legimus Deuter: 5. *Honora patrem tuum, & matrem vt longo viuas tempore, & bene ſit tibi in terrâ.* Quin & hoc promiſit DEVS honorantibus parentes, vt ipſi quoque apud magnates ſint in honore & gratia, nam ita legimus Eccleſiaſt: 23. *Memento Patris, & matris tuæ, in medio enim magnatorum conſiſtis, ne fortè obliuiſcatur te DEVS, in conſpectu illorum, & aſſiduitate tuâ infatuatus, improperium patiaris, & maluiſſes non naſci, & diei natiuitatis*

tuæ

tuæ maledicas. Omnia hæc congrua ſunt præmia pietatis in parentes. Qui enim gratos ſe præbent, authoribus, & principio vitæ, ac felicitatis omnis in hac mortalitate, merentur profectò, vt & vitâ diuturnâ, & ſecundis fruantur caſibus. Quemadmodum è contra ingratis, peſſima imprecatur ipſe DEVS. Prouerb: 30. *Oculum qui ſubſannat Patrem, & qui deſpicit partum matris ſuæ, effodiant eum corui de torrentibus, & comedant eum filij aquilæ.*

Plurima ſunt tum in ſacris, tum in profanis Hiſtorijs, Diuinæ vindictæ, de improbis filijs ſumptæ, paradigmata, quæ hîc non recenſentur: recens vnum adducam nuper in Sileſiâ conſpectum, vt retulerunt oculati teſtes. Iuuenis quidam diſſolutus aliàs, hoc etiam ad reliqua addidit facinus, vt parenti colaphum impingere fit auſus, exceſſit tandem è viuis, & in ſacro conditus loco eſt: ſed non ſcelus reconditum cum eo, manus enim illa temeritatis & impietatis miniſtra deſecta à reliquo corpore viſa eſt ſupra humum: & cùm iterum defoſſa eſſet, iterum comparuit, toties à terrâ ejecta eſt, quoties humata fuit, ſuſpenſa demum ad porticum templi, etiam num viſendam ſe præbet, vt ſpectantes moneat debitæ in parentes, & DEI juſſu, & naturæ inſtinctu reuerentiæ. Memor huius debiti parentibus cultûs, refertur à Plutarcho in Laconicis Telecrus, qui etiam aduerſa æquo animo, amantique, à Parentibus excipienda eſſe putauit: & cùm ſemel à quodam didiciſſet, patrem ſibi maledicere, reſpondit: *Niſi dicere ei liceret, nunquam dixiſſet.* Non ita illi dicunt, aguntque, qui pro juſtâ parentum correptione reddunt maledicta, quo maledicto verbera, aut, quod reliqua barbarie ſuperat, necem. 28.

Eiuſdem in Parentes reuerentiæ pium cuſtodem præbuit ſe ſapientiſſimus, & vel ob hanc ipſam feliciſſimus Luſitaniæ Rex Alphonſus, vt refert Panormitanus in Apophtegmatibus Alphonſinis: Cùm enim Ferdinandus eius Pater,

Digitized by Google

lecticâ æger ferretur, ipſe occurrens equo deſilijt, & à Patre monitus, vt cum alijs qui comitabantur regem, equum cõſcenderet, reſpondit: *Alij ô Pater, quid ad ſe attineat, ipſi viderint, ego quidem adduci ne vtiquam poſſum, quin Patrem, & eundem ægrotum, pedibus ſequar.* Quantùm hoc reſponſo deuinxit ſibi Parentẽ, vel hoc argumento eſſe poteſt, quòd illi diadema regni, ſceptrumque poſt ſe dederit, vltro excuſanti ſe, tantumque detrectanti maieſtatis ſplendorem.

Hos imitentur omnes, qui à teneris prudentiam ſibi comparare geſtiunt, qua doceantur parentibus reddere id quod debent.

Sectio Vndecima.

Tria debent præſtare Parentes Proli, & primum eſt, benigna tractatio.

JAM à Parentibus tria viciſſim proli præſtanda eſ-
29. ſe jubet S. Paulus, quorum vnum eſt, vt ad jracundiam non prouocent filios, aut filias, quod fit, cùm plus æquò auſteros ſe illis exhibent: etſi enim ipſe DEVS Eccleſiaſt: 7. ſuadeat, habenti filias, ſeruare corpus illarum, neque oſtendere eis vultũ hilarem, id tamen ita intelligendum eſt, vt nimiæ blanditiæ abſint, maneat verò ſemper paternus amor grauitate conditus. Licet enim eodem loco de filijs dicatur: *Filij tibi ſunt, erudi illos, & curua illos à pueritiâ illorum:* minimè tamen more mancipiorum ſunt tractandi, probanda potiùs indoles, vt ſi ingenui ſunt, leniùs, ſi ſegnes, ac pertinaces, duriùs cum illis agatur.

Prouocat quoque filios non mediocriter ad jram, in-
30. æqualis erga ſe parentum amor: ac beneficentia: non po-

teſt

teſt quidem fieri, neque ad id obligantur parentes, vt pari omnes complectantur affectu, cùm in ſingulis aliæ atque aliæ, minores aut maiores adſint amandi cauſæ. Cuius rei euidens documentum parentibus in ſe reliquit Pater futuri ſæculi Chriſtus Dominus (*Jſaiæ 6.*) de quo toties in Euangelio dilectus eius diſcipulus Joannes teſtatus eſt, quòd ipſum præ reliquis ampliore amore ſit proſecutus: quod ergo ad cautelam parentibus conſulitur, eſt, vt ipſorum amor in vnum, non ſit juſta dolendi, querendi, jurgandique occaſio cæteris. Cùm dilecto, aut dilectæ, fit bene, non negligantur alij, neque reputent vnum eſſe filium, vnamq; filiam, cæteros priuignos, & priuignas: quod ſi fiat, quantùm inde ſequitur mali, didicit ſuo experimento, S. Patriarcha Jacob, etſi fortè minùs in hoc errauerit. Quia enim, vt teſtatur Moyſes Geneſ: 37. *Iſraël diligebat Ioſeph ſuper omnes filios ſuos, eò quòd in ſenectute genuiſſet eum, fecitq́ ei tunicam polymitam*, ſecutum eſt quod mox adjunxit ſcriptura: *Videntes autem fratres eius, quòd à Patre plùs cunctis filijs amaretur, oderunt eum, nec poterant ei, quidquam pacificè loqui.* Odium hoc effecit, vt ſanctum, & innocentem Juuenem, eumq; fratrem, neci tradere decreuerint, niſi ſingulari Diuinâ prouidentiâ, mors in exilium mutata fuiſſet. Facit idem ex eadem causâ conceptum odium multa, jmò plura indigna. noſtris quoque ſæculis, quibus creſcente naturæ corruptione, ſyncerus refrixit amor, proprius autem adeò inualuit, vt verè dixerit S. Paulus, Philip: 2. *Omnes quæ ſua ſunt quærunt.* Jtaque ſiue viuentibus adhuc parentibus, ſiue, quod crebriùs fit, poſt deceſſum eorum, latens in præcordijs, diu diſſimulata erumpit jra, vertiturque in furorem, odia, inſidias, rixas, cædes. Hæc porro fiunt in vindictam incauti parentum amoris. Quæ vt non fiant monet Apoſtolus, ne parentes præpoſtero agendi modo ad jracundiam prouocent filios ſuos.

Digitized by Google

Sectio Duodecima.

Educatio prolis, eſt ſecundum quod Parentes illi debent: & in quo educatio ſita ſit?

31. ALterum, quod ab iiſdem exigit, eſt, vt educent illos in diſciplinà Domini: quæ autem ſit diſciplina Domini, & quid fidelium proles à teneris diſcere debeat, idem Apoſtolus (qui ſibi 1. Corinth: 4. viſcera tribuit paterna, dum ait: *ſi decem millia pædagogorum habeatis in Chriſto, ſed non multos patres, nam in Chriſto IESV, per Euangelium, ego vos genui*) qualem, tanquam optimus & fauentiſſimus parens, inſtitutionem, quæque præcepta proli à ſe in Chriſto progenitæ ſolitus ſit dare, declarat Theſſalon: cap: 4. ita ſcribens: *Rogamus vos, vt veſtrum negotium agatis, & operemini manibus veſtris, ſicut præcepimus vobis.* Vbi cùm negotium diſtinxerit ab opere manuum ad vitam hanc ſuſtentandam conferente; quod aliud negotium intelligere potuit, quàm ſummum omnium, nempe negotium ſalutis, & vitæ æternæ, quo nullum aliud poteſt eſſe magis noſtrum, teſtante Domino Matth: 6. *Quid prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* quaſi voluiſſet Chriſtus dicere, tametſi quis negotiando mundum ſuum faciat, quid id proderit ſi ſe perdat, negotium mundi, negotio poſtponendo ſalutis.

32. Recepta eſt hæc phraſis moduſque loquendi apud S. Paulum. vt per negotium ſalutis intelligat curam, id quod ex 2. Corin: 7. facilè intelligi poteſt: vbi cùm paternè ſe excuſaſſet, quòd Corinthios ſuâ monitione contriſtauerit, ſubjungit ſe gaudere, ſecuto bono triſtitiæ euentu, nempe pœnitentiæ: *Ecce*, inquit, *hoc ipſum ſecundùm DEVM contri-*

ſtari vos, quantam in vobis operatur ſolicitudinem? ſed defenſionem, ſed indignationem, ſed timorem, ſed deſiderium, ſed æmulationem, ſed vindictam: in omnibus exhibuiſtis vos incontaminatos eſſe negotio. Omnia hìc eloquentiâ planè Paulinâ enumerata, curam ſalutis indicant, & vltima illa verba (*incontaminatos negotio*) idem ſonant, quod ſanctos, pios, ſalutis æternæ præ omnibus negotijs ſtudioſos. Hoc igitur, ex ſenſu S. Pauli, omnium negotiorum maximum eſt, cui omnia alia obſecundare debent, & quod, ſi quis rectè peragat, ad ſūmas res gerendas natus, & per antonomaſiam, homo appellandus eſt, teſte Salomone Eccleſiaſt: vltim: *DEVM time, & mandata eius obſerua, hoc eſt enim omnis homo.* Atque hoc vnicum eſt negotium, quod ipſe DEVS in extremo ſuo judicio expendendum ſibi reliquit: *Et cuncta*, teſtatur ibidem Salomon, *quæ fiunt, adducet DEVS in judicium, pro omni errato, ſiue bonum, ſiue malum, illud ſit.* Quapropter licet ſint multæ curæ, plurimaque & diuerſa, quædam vtiliter, alia neceſſariò, in hac mortali vita expedienda negotia, illud tamen ex mente Apoſtoli primò & potiſſimè attendendum, quod maximè noſtrum eſt, & vt incontaminati liberique ab omni culpa ſemper ſimus. Hoc primum filijs commendandum in diſciplina Domini cenſet S. Paulus.

Alterum vt diſcant operari manibus ſuis, non quod omnes mechanicam artem exercere debeant, ſed vt quiſq; illud diſcat illudque agat, ad quod ſuapte naturâ fertur, ſiue vt eo neceſſaria vitæ comparet, ſiue vt pro conditione ſuâ habeat quo occupetur, ſemper nihilominus in his, quemadmodum & in omnibus, negotijs curandum eſt, vt incōtaminati ſint, atque eiuſmodi ſtudia, actioneſque eos detineant, quæ honeſtati & ſaluti minimè repugnent, omnino diſciplina Domini cui à teneris juuenes aſſueſcere debent, pietatem, & laborem continet, illam vt ſaluentur, hunc vt ſuſtententur, vel ſaltem ne torpeant. 33.

Sectio Decimatertia.

Exempla bona Parentum quantùm promouent rectam educationem?

34. ET quidem ad pietatem addiſcendam conferunt in primis, optimi mores, bonaque parentum, & eorum, quibus quis traditur educandus, exempla: quantam verò vim, poteſtatemque habeat exemplum in eos, qui illud conſpiciunt, & quàm acriter ad imitandum trahat, oſtenſum ſupra cap: 7. à num: 2. vſque ad 6. cùm ageretur de Prælatis, inde parentes, & magiſtri morum petant licet, habeantque pro comperto, operam ſe perdere, ſi filios, aut diſcipulos, velint eſſe ſobrios, continentes, veritatis, & candoris amantes, oſores mendacij, ac fraudum, non maledicos, non blaſphemos, non detractores, non loquẽtes fœda, & turpia, non elatos, non audaces, non temerarios, nullis eiuſmodi malorum peſtibus infectos, nihil, inquam, ſciant ſe in ijs effecturos, ſi ipſi ſcateant vitijs, & iam in oculos, iam in aures peſtiferam inſpirent luem: verum omnino eſſe debet Spiritûs Sancti proloquium Pſal: 17. *Cum bono bonus eris, cum peruerſo peruerteris.*

35. Vidit hoc Antiquitas, cauitque diligentiſſimè, ne teneræ ætatis homines, conſortio vterentur malorum, à quibus vel audire turpia poſſent: de qua re præclarè Ariſtoteles 7. Polit: cap: 17. agens per legislatorem de hac ipsâ rectâ inſtitutione apud ſuos Græcos: *Omnino,* inquit, *obſcænitas verborum exterminanda eſt è ciuitate: ex turpiter enim loquendi licentiâ, ſequitur turpe facere: Cùm verò dicere, clarũ eſt, quòd & aſpicere, aut picturas, aut actus deformes, interdixerimus.* Et quia tanta fuit illis temporibus modeſtia, & verecundia ingenuè natorum, ſiue liberorum, quos nunc appel-

appellamus Nobiles, vt ab illis non putauerit Ariſtoteles timendum, ne prauis colloquijs corrumperent juuentutem; à ſeruis ſeu mancipijs cauendum ratus, velut ijs, qui minùs ſibi notam, liberiùs lædunt honeſtatem, contra hos ergo, ita ibidem loquitur: *Interea ætatis, id eſt à quinquennio, non conuerſentur cum ſeruis pueri. Si quis verò dicere, aut facere quidquam prohibitorum deprehenſus fuerit, is ſi liber ſit, ſed nondū in conuentū comeſſatorū* (id eſt publicè cõuiuãtiū) *dignatus aſſumi, honore prohibeatur, & verberibus caſtigetur, ſed ſi ſit maioris ætatis, ſeruili infamiâ afficiatur.* Jdem Philoſophus lib: 2. œconomiæ cap: 2. probi exempli neceſſitatem, finemq; oſtendit: *Educati*, inquit, *liberi rectè à parentibus, per ſanctos & juſtos mores, boni meritò euadent; contra ſi fiat, meritò ſentient detrimentum: niſi enim parentes exemplum vitæ præſtent filijs, euidenter excuſationis cauſam erga ſe illis relinquent, ac timendum eſt, ne contempti à filijs, quaſi non benè vixerint, in ſenectute deſerantur.*

Aliam affert eiuſdem rei cauſam, atque vtilitatem magiſter Ariſtotelis Plato lib: de legibus, dignam quæ expendatur. *Debent*, inquit, *parentes filios educare, curantes vt filij ſummo odio vitia proſequantur, eaq; horreant, aliqua enim peccata ſunt, quæ nunquam aut rariſſimè patrantur, quia ſummus à lacte horror contra ea jmbibit⁹ eſt, vt patrē interimere, ſacra contaminare.* Sic Plato. Quod ſi verum eſt, vt certè veriſſimum, idemque vult illud Poëtæ dictum: *Quo ſemel eſt jmbuta recens ſeruabit odorem teſta diu*, maximè curandum eſt parentibus, vt ſtatim ab infantiâ, etiam tum cùm tenera ætas ad huc eſt imbecilla ad percipiendam de honeſtate morum, vitiorumque turpitudine doctrinam, exemplis, & inuitetur ad bonum, & retrahatur à malo, nihilque videat, nihil audiat, quod meminiſſe, aut didiciſſe obfuturum ſit. Hoc non alio fine moti Laconij clade duce Ægide acceptâ, cûm Antipater obſidum loco poſceret quinquaginta pueros, ne- 36.

Digitized by Google

quaquam poſtulatis paruère, ſenum, aut mulierum duplum offerentes: & cùm Antipater minis adigeret, hoc reſponſum accepit: *ſi difficiliora morte jmperas, facilius erit nobis mori.*

Timebant iſti ſuis pueris, ne ſi alibi non videnda cernerent, & perciperent non audienda; haud ij redirent quos expectaret Patria. Ad hoc propoſitum refert Plutarchus, in vitâ Themiſtoclis, eum ipſum tum cùm luxu, & compotationibus diffluerct, non magiſtrorum de mutandâ vitâ audiuiſſe præcepta, ſed Miltiadis victoriam apud Marathonem fortè fortunâ intellexiſſe, quæ res adeò permouit juuenem, vt præteritæ vitæ nuntium omnino remiſerit, atque interrogantibus vnde id eueniſſet, dicere ſolebat: *Non ſinit dormire me, aut ſocordem eſſe, trophæum Miltiadis:* ita juuenes facilè ducuntur alienis factis, in quæ à teneris impingunt.

57. Jnter alias hæc fuit non poſtrema cauſa, adeò ſeueræ de Sodomæ ac Gomorræ incolis ſumptæ vindictæ Geneſ. 18. quòd manifeſtis, & execrandis ſuis ſceleribus, ita totam illam profanauerint regionē, vt melioris frugis nulla vnquam ſpes ſuperfuerit, cùm ſemper exempla parentum, ſenumq; fæda, ad paria facinora, juniores incitarent. Duo reperti ſunt parentes Loth & eius coniux, duæque illorum filiæ, quæ ab hac peſte, ac corruptelâ erant immunes, & propter hoc ipſum, à ſæuâ Dei jrâ omnes protecti ſunt.

Non leuem quoque ſimili de causâ Dei vindictam ſuſtinuit, dilectus alioquin Dei ſeruus & amicus Dauid, ſed quæ fragilitas eſt hominum, non ſemper retinens ſerui, atque amici integram fidem. Hic ergo quia à DEO datus fuit Rex, paſtor, & pater toti Jſraël, omnes, in primis verò ſuā prolem, regere, paſcere, & ad debitam pietatem inſtituere debuit, non legibus tantùm, & juſtis mandatis, ſed etiam rectè factis, probiſque exemplis: verùm immemor muneris ſui, commiſit nota illa aliquot ſcelera, audijtque mox minas

minas diuinæ vltionis, per Nathan Prophetam 2. Reg: 13. *Hæc dicit Dominus, ecce ego ſuſcitabo ſuper te malum de domo tuâ, & tollam vxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, non recedet gladius de domo tuâ vſq; in ſempiternum.* Redijt quidem ad meliorem frugem his auditis, pœnitentiâque facti effecit, vt minueretur pœna: nam idem Propheta certum de vitâ reddidit: *Non morieris:* mortem Patris, in mortem filij ex adulterio ſuſcepti, diuinâ voluntate commutando, exēpli tamen peſtiferi lues, longiùs vagata eſt, atque ab ipſius Dauid filijs juſtum, DEO vindice, ſumpſit exordium. Breui enim Ammon ſorori Thamar intulit inceſtum 2. Reg: 13. non multò poſt alter filius Abſalon auſus eſt patrare, quod eodem libro cap: 16. narrat hiſtoria: *Tetenderunt Abſalon tabernaculum in ſolario, ingreſſusq; eſt ad concubinas Patris ſui corā vniuerſo Iſrael.*

Didicit ſuâ propriâ experientiâ, etſi jam pœnitens David, ſe meritò ita Dei permiſſu punitum, non ſolùm quia atteſtante Spiritu Sancto Sap: 11: *Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur,* ſed etiam quia in caſſum parentes meliora à liberis exigunt facta, quàm ſunt propria illorum, quibus & magiſtros ſe præbent, vt diſcant, & duces, vt audeant ſimilia. 38.

Sectio Decimaquarta.

Quænam doctrina inſtillanda eſt juuenibus?

QVapropter qui cupit, prout debet, rectè inſtituere filios, à probitate vitæ boniſque exemplis initium ſumat oportet.

Progrediendo deinde, adjungat doctrinam pietatis, 39.

 ſeu

ſeu vt eam vocat S. Paulus Epheſ: 6. *diſciplinam Domini*, quæ à peritis magiſtris tradenda eſt. Doctrinam eiuſmodi cõmendat ipſemet DEVS Eccleſi: 30. *Qui docet filium laudabitur in illo, & in medio domeſticorum in illo gloriabitur*: affertur & fructus eiuſmodi doctrinæ, paulo poſt: *Mortuus eſt Pater eius, & quaſi non eſſet mortuus, ſimilem enim ſibi reliquit poſt ſe: in vitâ ſuâ vidit, & lætatus eſt in illo, in obitu ſuo non eſt contriſtatus, nec confuſus eſt coram inimicis, reliquit enim defenſorem domûs contra inimicos, & amicis reddentem gratiam.* Hæc ſunt encomia ore Diuino prolata, hæc emolumenta parentibus promiſſa, qui docent liberos. Quid porrò in diſciplina Domini docere debeant, oſtendit S. Auguſtinus libro vnico de beatà vità, vbi poſtquam probauit hominis paſtum eſſe ſcientiam, atque eruditionem (experimur enim doctiſſimos viros obliuiſci interdum ſui inter veſcendum, aut certè intentiùs ad ea quæ mente voluunt quàm ad cibum attendere) colligit, mentem, animumque perinde ſaginari, creſcere, atque augeri ſcientià, ac corpus cibis: quare ſicut corpus ab infantià nutriri debet, vt ad debitam perueniat quantitatem, ita animus, ſimul ac ſenſibus ad percipiendum vti poterit, paſcendus eſt, quò pertingat ad eam magnitudinem quam quiſque aſſequi poteſt.

Jam ſcientia, qua paſta mens augetur, & velut ab infantili, ad maiorem procedit ætatem, illam putat eſſe S. Auguſtinus, quæ honeſtatis, virtûtumque parit notitiam, atque amorem, & ſic ſcribit: *Nonne concedetis hominum doctiſſimorum animos, multò eſſe, quàm imperitorum pleniores, & maiores? qui verò nullis diſciplinis eruditi ſunt, nihilq́; bonarum artium hauſerunt, jeiunos, & quaſi famelicos eſſe, etſi ſint pleni vitijs, ac nequitia, hæc ipſa ſunt ſterilitas, & quaſi fames animorum. Nam quemadmodum corpus detracto cibo plerumq́; morbis, atque ſcabie repletur, quæ in eo vitia judicant famem, ita & illorum animi pleni ſunt morbis, quibus ſua jeiunia confitentur.* Pergit deinde

inde probando famem, & jeiunia deficientis animæ eſſe vitia, quæ in illâ generantur, ſubtracta notitiâ virtutum: *Ipſam*, inquit, *nequitiam vitiorum omnium matrem, ex eo quòd nec quidquam ſit, id eſt, ex eo quòd nihil ſit, veteres dictã eſſe voluerunt, cui contraria virtus, frugalitas nominatur. Vt igitur hæc à fruge, id eſt à fructu, propter quandam animorum fæcunditatem, ita illa à ſterilitate, hoc eſt à nihilo, nequitia nominata eſt· nihil eſt enim quod fluit, quod liqueſcit, quod perit, ideò tales homines perditos dicimus.*

Ex hoc S. Auguſtini diſcurſu inferendum eſt, doctrinã juuenibus mandato DEI tradendam, non eſſe illam, quâ probi atque improbi perinde imbui poſſunt, cuiuſmodi ſunt artes liberales, jmò & ipſa omnium ſcientiarum Regina Theologia, qua abuti quis poteſt, non ſecus atque alia re quapiam de ſe indifferente: hæ enim ſcientiæ, etſi non ſunt virtuti ac honeſtati contrariæ; non conferunt tamen illam, niſi alia comitem ſe adjunxerit, nempe prudentia, aut etiam ſola fuerit, nullâ aliâ ſcientiâ aſſociata. Jlla ergo doctrina, illaque diſciplina cum lacte ſimul inſtillanda eſt paruulis, quam, Eccleſ: 1. deſcriptã habemus, cum præcellentiſſimis, quarum eſt fæcundiſſima radix, ſuis fructibus: *Plenitudo* (inquit Eccleſiaſticus) *ſapientiæ eſt timere DEVM, & plenitudo à fructibus illius: omnem domum illius implebit à generationibus, & receptacula à theſauris illius: Corona ſapientiæ timor Domini replens pacem & ſalutis fructum.* A tribus veluti effectibus deſcribitur hæc ſcientia, à dulcedine fructuum, à theſauri copiâ, & gloriâ, qualis eſt maximâ coronâ & diademate inſignitorum. 40.

Quo apertè à Spiritu Sancto ſignificatur, inprimis, eum qui huiuſmodi aſſecutus eſt ſcientiam ſummis, quæ hîc haberi poſſunt, quæq; hominem decent, frui voluptatibus, opibus, ac gloriâ, in jucundiſſimâ animæ pace, & ſpe æternæ ſalutis. Inſinuatur deinde ſcientiam hanc nõ eſſe aliud quàm 41.

Digitized by Google

notitiam Creatoris Dei ſupremi Domini, talem, quæ parit ſanctum ipſius timorem, quæque dictat mandata tanti Domini præferenda eſſe omni terrenæ dulcedini, ac voluptati, theſauris, ac coronis, quoties hæc haberi non poſſunt citra offenſam Dei. Itaque hac ſcientià præditus, eſt ditiſſimus, jucundiſſimus, glorioſiſſimus, quæ omnia præſtant virtutes, non futuræ aliàs, niſi timor Dei ad illas mentem, voluntatemque impulerit. An enim quis à luxuriâ, v. g. cædibus, & injurijs per caſtitatem juſtitiamque ſibi temperaret, niſi timeret eum quem nihil latet; *Et qui*, vt teſtatur Eccleſiaſtes: c. vlt: *Cuncta quæ fiunt, adducet in judicium pro omni errato, ſiue bonum, ſiue malum illud ſit.* Scientiam hanc S. Auguſtinus lib: 2. de Ordin: c. 8. Diſciplinâ vocans, ita explicat: *Diſciplina*, inquit, *ipſa Dei lex eſt, quæ apud DEVM fixa, & inconcuſſa ſemper manens, in ſapientes animas quaſi tranſſcribitur, vt tantò ſe ſciant viuere meliùs, tantoq́; ſublimiùs, quantò & perfectiùs eam contemplantur intelligendo, & viuendo cuſtodiunt diligentiùs.* Hæc igitur diſciplina, eos qui illam noſſe deſiderant, ſimul geminum ordinem ſequi jubet, cuius vna pars vitæ, altera eruditionis eſt. Eiuſmodi ſcientiam ſeu diſciplinam, optimus Parens S. Tobias tradebat filio ſuo Tob: 4. ita illũ inſtruens: *Omnibus diebus vitæ tuæ, in mente habeto DEVM, & caue ne aliquando peccato conſentias, & prætermittas præcepta Domini Dei noſtri.* Timoris verò Domini veluti fundamento vitæ humanæ præiacto, commendat deinde virtutes, eleemoſynam, miſericordiam, temperantiam, & ſimiles.

Sectio Decimaquinta.

Societas IESV commendatur à Concilio Tridentino ob ſtudium inſtituendæ juuentutis.

Digitized by Google

EAdem doctrinâ vt imbuant pij teneram ætatem Magiſtri, Concilium Tridentinum Seſſ: 23. c. 18. de Reform: decreuit, ſeriò omnibus Epiſcopis iniungens, vt in Diœceſibus ſuis ſcholas erigi omnino curent. Videbant nimirum Patres in hac æcumenicâ Synodo congregati magnam morum corruptelam in Chriſtianum orbē inuectam, literarum item, Deique ignorantiam maximam. 42.

Hæc zizania de agro Chriſti non aliâ ratione a Spiritu Sācto edocti putârunt commodiùs euelli poſſe, quàm rectâ juuenum inſtitutione, qui quales ipſi fuerint, tales deinde poſt ſe relinquunt.

Quo nomine ijdem Patres in eodem Concilio Jnſtitutum SOCIETATIS IESV mirè commendant, vt refert Franciſcus Sacchinus Libro Hiſtoriæ Societatis 7. num: 4. inter alia hæc ſcribens: *Cùm Sancta Synodus inſtituenda juuenū Seminaria cenſuiſſet ad idoneos miniſtros Eccleſiæ formandos: nemo prope fuit, quin huiuſmodi Prouinciā Societati in ſua quiſq; Diœceſi animo deſtinaret, & permulti Collegia eā ob rē poſtularūt.* Quin ipſamet Collegia Societatis venerandi illi Patres, non niſi præſtantia quædā juuandæ Eccleſiæ Seminaria eſſe pronunciantes, eo nomine ab conferendis in Seminaria inſtituenda pecunijs, declarārut immunem, quanquam id neceſſe non putauerunt ipſis Concilij actis nominatim interſeri. Paſſa quidē eſt à nonnullis, neque leuis judicij, hominibus Societas, huiuſmodi ſui inſtituti rationem improbantibus, atque oſtendentibus, puerorum eruditionem grauitati religioſæ contrariam eſſe: ſed habuit inſignes propoſiti ſui defenſores, ac primum omnium Saluatorem mundi, qui diſcipulos ſuos tum adhuc rerum ad ſalutem conferentium minùs gnaros, & ne parentes paruulos illi offerrent, prohibentes monuit his verbis, Lucæ 18: *Sinite pueros venire ad me, & nolite vitare eos: talium eſt enim Regnum Dei: Amen dico vobis, quicunq; non acceperit regnum Dei ſicut puer, non intrabit in illud.* 43.

Puer

Puer non accipit regnum Dei quòd puer ſit: ſic enim omnes, & gentilium liberi, à regno cœleſti non excluderentur, contra quàm ex fide habemus Catholicâ: verùm ille puer accipit regnum Dei, qui doctrinâ imbutus Chriſtianâ, didicit noſſe, & agere id, quod Chriſtus Matth: 6. docet: *Quærite primùm regnum Dei, & juſtitiam eius.* Atque hanc tantæ rei notitiam, & eius conſequendæ viam, ac rationem eâ ſimplicitate, quam à teneris annis aggreſſus eſt teneat conſtanter, ad finem vſque vitæ. Hoc tali Patrono ac defenſore (quem deinde ſecuti ſunt doctiſſimi ac Sanctiſſimi Patres, & totum à Spiritu S. coactum Concilium) fulta Societas pueros ſuſcepit, literis, pietate, & doctrinâ Chriſtianâ inſtituendos, adeoque hanc ipſam doctrinam Chriſtianam commendatam ſuis habet hominibus, vt omnes, qui vltima in illâ vota Religionis emittunt, hoc epiphonemate formulam vouendi concludant Conſtit: par: 5. c. 4. *Promitto peculiarem curam circa puerorum eruditionem, juxta formam viuendi in literis Apoſtolicis SOCIETATIS IESV, & Conſtitutionibus contentam.*

44. Laborioſa, fateor, eſt hæc puerorum, juuenumque inſtitutio, vt norunt, qui in hoc munere pro virili deſudādo, non modicam valetudinis, vitæque ſentiunt jacturam, quæ mouit Fundatorem noſtrum S. Ignatium, vt ſtatutos decerneret dies, quibus illi, qui ſtudio literarum, & doctrinæ ſunt addicti, vacarent ab illo, vireſque, intento ac continuo attritas conatu, nonnihil recrearent: ſuâ quippe experientià didicerat ab initio fundati ordinis S. Pater, eos, qui huic labori erant ab obedientià mancipati, in dies magis ac magis deficere, marceſcere, palleſcere, tabe, cacochymiâ, catarrhis, ſimilibuſque morbis confici, & demū plurimos, ac vtiliſſimos Religioni atque Eccleſiæ immaturè mori. Hac de cauſâ, & ceſſationem à ſtudijs iam dictam inuexit, & carnium vſum permiſit ſuis, ex medicorum Ro-

mæ

mæ habito conſilio, qui judicàrunt nequaquam poſſe conſiſtere tantos labores, cum alià victus ratione, niſi Jgnatius ſuorum domicilia Xenodochia mallet eſſe.

Eadem erudiendi occupatio præter laborem, habet ſuas non modicas nec paucas difficultates, quorum duæ in naturâ, præſertim iam corruptâ, inſunt, diuerſa videlicet corporum temperies, animorum item ſagacitas, & libertas. Ex priore capite ſequitur tarditas ad diſcendum, proteruia, obſtinatio, procacitas, rebellio, & ſimilia. Ex poſteriore, tot modi euadendi, ac ſubterfugiendi diſciplinam, quot mens humana concipere poteſt, & libertas proſequi. Et ſi tantò maiorem experimur difficultatem in capiendis, domandisque auibus, ac belluis, quantò ſunt ſagiciores ſenſu; quæ, & quot artes adhibendæ ſunt, ad tractandos juuenum animos, diſciplinâque ac pietate perdomandos, quorum ſagacitas ita ſuperat ſenſum, vt ſpiritus corpus, id eſt immenſis paſſibus. Hoc expendebat ſapientiſſimus Salomon, quando Prouerb: 30. faſſus eſt: *Tria ſunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro, viam aquilæ in cœlo, viam colubri ſuper petram, viam nauis in medio mari, & viam viri in adoleſcentiâ.* Et licet tanta ſit difficultas, tantuſque labor exercēdi & erudiendi juuenes, ſuperat tamen vtrumque Societas, Dei, & ſalutis proximorum amore, erecta ſpe præmij illius Danielis 12: *Qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti: & qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* 45.

Quanquam etiam hic non caret ſuo refrigerio laborioſus ſudor. Et teſtimonijs ſcriptorum, & memoriâ hominum adhuc ſuperſtitum conſtat, quanta fuerit, non ita pridem, in multis terræ partibus, ignorantia rerum diuinarum, & ipſarum etiam literarum. Cùm ergo intelligēdi vis, ſuprema ſit in homine dignitas, ac poteſtas, cui regere corpus, ipſamque animam, & cætera omnia ab illâ cōceſſū 45.

ceſſum eſt ſapientiâ, quæ cæteras ad ſimilitudinem, ſuam creat, quæque ita de ſe & de illis teſtatur Prouerb: 8. *Per me Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt: per me Principes jmperant, & potentes decernunt juſtitiam.* Quæ verba intelligentiam in homine hoc eſſe oſtendunt, quod eſt in Regno, vel Republicâ Rex, aut Princeps. Hinc neceſſe eſt ſequi, vt quemadmodum ſi Rex ſe vitijs dedat, ſubditos ſimiles effici compertum eſt, vt ille probat verſus:

Regis ad exemplum totus componitur orbis:

Jta ſi intelligendi vis & facultas, ſit tenebris ignorantiæ viciata, reliquas omnes potentias hominis, ſuo quoque malo, hoc eſt vitijs ſcatere oportet. Has tenebras & hæc vitia, nempe hæreſes, jmpudicam vitam, non in vulgo tantùm, ſed & in Clero, vſuras item, varias in contractibus fraudes, & rei Diuinæ, Sacramentorumque, præſertim Exomologeſis, & Euchariſtiæ magnum neglectum, plurimaque huiuſmodi mala, reperit Societas in multis locis.

47. Ad quæ depellenda, vſa quidem eſt medijs ſibi vſitatis; ſed nullum ita efficax didicit ſuâ experientiâ, atque eſt juuentutis pia inſtitutio, cùm vt ſupra aduertimus id omninò maturi ſeneſque ſanctè retineant, quod in pueritia, atque adoleſcentiâ jmbiberunt. Ergo hanc inſtitutionem, breui ſecuta eſt tanta morum mutatio, vt hæretici alicubi pauciſſimi remanſerint, alibi nulli: vita impura, quà matrimonio, quà continentiâ, caſtitateque correcta, ſublati malè lucrandi doli, inductus Sacramentorum creber & pius vſus. Quibus omnibus illud eſt Dei ope effectum, vt quàmplurimi in orbe terrarum Chriſtianæ vocationis memores, dignam illâ inſtituerint vitam, quæ in præcipuâ fidelium parte (Clerum intelligo) inprimis enituit. Templa Sacerdotibus pijs, doctis, & numeroſis condecorata, Clauſtra, etiam quæ olim vix aliquot & ægrè quidem retinebant-

bant perſonas, poſtmodum tot religioſis repleta, quot iam ægrè alere poſſunt, alijs, atque alijs è ſcholis, Collegijſque Societatis; ingreſſum petentibus. Hos, qui ſunt inter fideles velut capita, facilè ſecuti ſunt alij, honeſtatem morum, & vitæ æternæ amorem, caducis præferentes, ijſque dediti, quorum ſingula in ſpecie referre longum eſſet, & prope immenſum, per omnia diſcurrendo Chriſtiana regna.

Jn noſtrâ Poloniâ ſunt, qui ſuperſtites adhuc, magni nominis viri, & Senatoriâ inſigniti dignitate, pro certo affirmant, ante quadraginta annos non fuiſſe tertiam Catholicorum partem in numero eorum, qui ſunt à conſilijs Regis Senatores, quorum tamen multitudo ad 144 excurrit. Jnter hos ſi nunc quæras, aliquot ægrè reperies à verâ fide alienos. Ex hoc facilè eſt de cæteris conijcere, quot tunc erant, vel nunc ſunt hæretici, qui, vt plurimum maioribus ſe accommodant, ſecuriùs eis tanquam ſapientioribus aſſentiendo, & quà timore, quà adulatione illis ſe conformando. Tanta Eccleſiæ vtilitas, à piâ juuentutis orta inſtitutione, magnum affert leuamen laborum & difficultatum, quas ferre neceſſe eſt Magiſtros pietatis, & literarum. Eidem vtilitati qui non fauent, hæreſi, aut licentiore viuendi ratione ab illâ averſi, à Societate quoque auertuntur, eiuſque inſtitutum, atque hoſce labores inſectantur, honeſtas interdum ad ſpeciem præſeferendo inimicitiæ cauſas, ſed in re ipsâ aliud non eſt, quàm quòd hoſtis Eccleſiæ Chriſti Dæmon, inuideat ei tantum ex rectâ educatione conſequens bonum. Verùm vt ille, qui ſe vnum, & verè Matthæi 23. prædicat Magiſtrum Chriſtus, nunquam ceſſit malignis Satanæ conatibus, ita & qui voluntate ipſius ſimili docendi labori intendunt, debitam conſtantiam tantiſper tenere debent, dum expectatur dies, qua, quid, quis, quoue egerit fine, clarè patebit, & qua *Dominus illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, & tunc laus* 48.

erit vnicuiq; à Deo. 1. Cor 4. Jnterim illud cordi infixum maneat, quod idem Dominus Joannis 16. ſuos ſolatur: *In mundo preſſuram habebitis, ſed confidite, ego vici mundum.*

49. Ad propoſitum redeundo, addam hic præclari viri factum, judiciumque, quod ille ſecutus, filium ſuum, ſtatim, ac noſſe vel leuiter diſcenda cœperat, literis & pietate formandum curauit, conquiſitis per orbem terrarum ijs qui id digne poſſent præſtare. Hic erat Theodoſius Jmperator Orientis, vt ſcribit Baronius Anno Domini 383. qui rogauit Gratianum Jmperatorem Occidentis, aliquem inſtitutorem filio ſuo Arcadio: Gratianus jmpetratum à Sancto Damaſo Pontifice Arſenium Diaconum, virum literis, & pietate conſpicuum miſit, cui tradidit Theodoſius filium octennem, illis vſus verbis: *Tu huic filio eris magis Pater, quàm ego.* Et dum quadam vice vidit Arſenium dantem præcepta filio, ſtare coram ipſo, reprehendit factum, moxque filium aſſurgere, ipſum ſedere fecit. Multa ſunt in hoc facto Jmperatoris laudanda, ſed illud vel maximè, quòd Arſenio potiores, quàm ſibi Patris tribuerit partes. Cùm enim parentes, corporibus, & animis liberorum prouidere debeant, qui ſolùm prius agunt, alendo ſcilicet, & vt ſe deinceps ipſi alant, bona opeſque relinquendo, minus præſtant quàm ij, qui animam ſcientiâ, hactenus iam explicatâ, inſtruunt. Hi ergo potiùs parentes, hoc quidem reſpectu, quàm illi dicendi: qui verò vtrumque faciunt, vt ſolent Parentes pij, præceptum Apoſtoli Pauli de diſciplinâ Domini liberis tradendâ, plenè exequuntur.

Sectio Decimaſexta.

Filij Filiaque formari debent à Parentibus vt operentur manibus ſuis.

Digitized by Google

VErùm præter pietatem jubentur Parentes eniti, vt filij filiæque operentur manibus ſuis, ſiue vt agãt aliquid, quo vel otium vitent, vel lucrentur ſibi victum. Rem hanc jmponit Apoſtolus liberis, quam olim DEUS primis noſtris parentibus injunxerat: Geneſis enim 2. legimus: *Tulit DEVS hominem, & poſuit eum in paradiſo voluptatis, vt operaretur, & cuſtodiret illum.*

Non egebat quidem, benedicta illa, & fæcundiſſima paradiſi regio, labore humano, vt fructus ederet, cùm nõ niſi poſt violatam obedientiam dictum ſit Adæ, Geneſ: 3. *Maledicta terra in labore tuo, in laboribus comedes ex eâ, cunctis diebus vitæ tuæ*: nihilominus labor hic futurus erat Dei iuſſu, quo videlicet egebat homo, ad leuandum etiam inter delicias tædium, & ad vitandam malitiam, quam vt teſtatur Eccleſiaſt: cap: 33. *Otioſitas multam docet.* Fortè Mater noſtra Eua non didiciſſet malitiam violandi Dei mandatum, neque marito eius dediſſet anſam, ſi tum cùm ſerpens otiantem aggreſſus eſt, aliquid fuiſſet in paradiſo operata. 50.

Sciuit hac in re prudentior poſteritas & otij tantum detrimentum, & operationis vtilitates, Deique, vt homines operarentur, voluntatem, quare ſemper adhibuit ſtudium, vt illud procul à domibus, familijs, & communitatibus arceret. Teſtes ſunt primi fratres duo, primorum in mundo parentum filij, Cain, & Abel, in primâ paucorum hominum ſocietate, de priore teſtatur Scriptura Geneſ: 4. *Fuit Cain agricola*: de poſteriore: *Fuit Abel paſtor ouium.* Vbi deinde multiplicati ſunt homines, idem operandi ſtudium à maioribus ſuis acceptum retinuerunt, ſuiſque tradiderunt poſteris: à Jabel qui fuit Pater habitantium in tentorijs (procul dubio à ſe contextis) atque paſtorum, à Tubal, qui fuit pater canentium cytharâ, & organo; à Thubalcain, qui fuit malleator, & faber in cuncta opera æris, & ferri, & in hunc modum de plurimis alijs ſcriptum legimus. Ab

his autem Filij, iuueneſque didicerunt operari manibus ſuis, non enim myſterio vacat, quòd inuentores eiuſmodi operarum patres ſunt dicti, quo videtur innui, primos artium Magiſtros, & ſuos eaſdem docuiſſe liberos, & alienos. quorum rectè Patres dicuntur, eò quòd in qualibet arte peritos effecerint, & quaſi genuerint tales.

Poſterioribus ſæculis, idem operandi conatus, perſeuerauit in locis, in quibus prudentia viguit œconomica, aut politica: quanquam ſuccedente infidelium ignorantiâ, quæ fuerit de hac re, ab ipſo hominis conditi exordio, voluntas Dei, clàm fuit, ipſe tamen inſtinctus naturæ edocuit laborandi neceſſitatem.

51. Quapropter Ariſtoteles 3. Polit: c. 10. inter alia, quæ ad Reipublicæ conſeruationem faciunt, ponit artes varias, & inter eas mechanicas & 7. Polit: c. 17. præſcribens modũ educandi ab ipſis incunabulis pueros, in primis vult vt infans aſſueſcat frigori: quemadmodum in Galliæ quadam parte infans natus, gelido amni immergebatur, quo corpus ad incommoda, & laborem, vel iam inde indureſceret: tũ deinde ad quintum annum aſſignandam putat aliquam exercitationẽ corporis, vt pigritia vitetur; permittendos interdum ludos, narrationeſque fabellarum, & ſimilia, ſed hæc talia eſſe debent, quæ ſint imitationes ſeriò deinceps agendorum, vbi ad ſeptimum peruenerint annum applicãdos eſſe cenſet ad diſciplinas, arteſque varias.

Apud Romanos non diſſimilis fuit educandi liberos modus, eo tempore quo eorum florebat Reſpublica. Jllud præterea ſeueriùs lege latâ obſeruabant, vt adoleſcentes poſt decimum annum expletum, literis vel opificijs iam deſignati, in compitis, ac plateis non vagarentur otioſi: quodſi quis hanc legem tranſgreſſus, aliquid mali commiſiſſet conniuentiâ Parentum, & hi, & ipſi plectebantur iuſtâ pœnâ. Hoc etiam ad excitandum otij odium, labo-

reſq;

Digitized by Google

reſque adhibebant commendandos, vt quicunque in publicum prodiret, inſigne ſuæ artis, aut muneris, opificijue, quod in Republica gerebat, debuerit præferre, niſi maluiſſet vt ſtultus à pueris excipi, & à Cenſore publicis addici operis. Plura eiuſmodi legi poſſunt in epiſtola M. Aurelij Jmperatoris Romani ad Pollionem, relatâ in Horologio Principum.

Qui idem Jmperator in epiſtolâ illâ deflet præſentem ſui jmperij ſtatum, inter alias ob hanc cauſam, quòd illâ, de certâ cuiuſque agendi munere, collapſâ lege, inuecta fuerit turpiſſimorum & Reipublicæ nocentiſſimorum facinorum licentia: cùm enim humanum cor perſimile ſit fæcundæ terræ, quæ ſi bonum ſemen exculta excipiat, vtile edit germen, ſin moueatur tantùm, & identidem vomere ſubigatur, nullos quidem illa producet fructus, quòd nullam ſuſceperit ſementem, id tamen commodi dabit, quòd nihil inutilium ferat herbarum, latura plurimas, ſi immota maneret. Ad eum planè modum cum humanâ agi putandum mente, etſi enim labor, atque occupatio, ſiue artis, ſiue induſtriæ naturalis, non ſit de genere earum actionum, quæ dicuntur effectus, & opera virtutum, ſed ſint de ſe à Theologis vocata, indifferentia ad virtutem, & ad vitium, neque virtutis merentur nomen, niſi ad eius dirigantur finem, vt docet S. Thomas 1. 2. q. 18. art: 1. & 9: illud tamen commodi præſtant, quòd ad ea mens hominis applicata (cùm pluribus intenta eſſe nequeat) minùs virium, ac poteſtatis habet, ad patranda mala: vbi è contra labor exulat, otium regnat, & torpor, virtutum eſt certa quædam & indubitata fames, ac ſterilitas, & quod magis eſt perniciofum, ſuccedunt flagitia, quæ S. Paulus Rom: 13. tribuit illis, qui non norunt diem, ſed noctem, nempe deſidiâ, & otio, velut graui ſopore oppreſsi. Tales ergo, inquit Apoſtolus, aſſiduè verſantur, *in commeſſationibus, ebrietatibus, in* 52.

cubili-

cubilibus, in impudicitijs, in contentione, & æmulatione.

53. Et cùm ad luxũ, ad contentiones cum potentioribus, & ad æmulationem ſplendoris locupletiorem, nihil otioſi, laboriſque oſores ſibi ſuggerant; vbi dilapidauerint propria, alienis viuere cogentur. Expetunt hi bella, militiæq; dant nomina, vt defenſionis Patriæ tecti laruâ, ſpolient liberiùs quos poſſunt. Quod ſi ſit pax publica; priuatam illi oderunt, quærunt anſas litium, domos inuadunt & prædia, latrocinantur in vijs, & compitis, cædibus & incendijs implent ea in quibus morantur loca. Neque ſolùm homines abiecti, & viles id faciunt, ſed claris etiam oriundi natalibus: & ſi timeant ne pro his dignè plectantur, eò ſe conferunt, vbi hæc omnia impunè patrent. Eò tandem venit, & tanta infert damna eorum petulantia, qui quòd nolint manibus operari, vt habeant vnde viuant, luxuriæ, & rapinis ſe deuouent. Quamobrem regna eiuſmodi in quibus rapinæ iam dictæ vigent S. Auguſtinus, 4. De Ciuit. c. 4. vocat latrocinia, *Remotâ,* inquit ille, *juſtitiâ, quid ſunt Regna niſi magna latrocinia; quia latrocinia quid ſunt niſi parua regna.* Eleganter & veraciter, Alexandro Magno quidam pirata comprehenſus reſpondit, cùm ab eo quæreretur, quid ſibi vt mare haberet infeſtum ? ille liberà voce, *Quid tibi,* inquit, *vt orbem terrarum? ſed ego quia exiguo nauigio facio, vocor latro, quia tu magnâ claſſe, Imperator.*

His latrocinijs atque tot facinoribus, obuiam eunt parẽtes, qui liberos à pueritiâ ijs aſſuefaciunt laboribus, quorũ continuus vſus, ipſis, & Patriæ ſit vtilis. Tales parentes, & eorum liberos prædicat Eccleſiaſticus c. 38 tribuendo illis ſapientiam, ſiue, de qua hîc agimus, œconomicam prudentiam, & imprimis à præcipuâ, quæ eſt occupatio mentis, ita inchoat: *Sapientia Scribæ in tempore vacuitatis, & qui minoratur actu, ſapientiam percipiet.* Recenſet deinde varios externos actus, & occupationes: *Qui tenet aratrum, &*

qui

Digitized by Google

qui ſtimulo boues agitat, cor ſuum dabit ad verſandum ſulcos: Sic omnis faber, & architectus, qui noctem tanquam diem tranſigit, qui ſculpit ſignacula ſculptilia. Sic faber ferrarius, ſedens juxta incudem, & conſiderans opus ferri. Sic figulus ſedens ad opus ſuum, conuertens pedibus ſuis rotam, qui in ſolicitudine poſitus eſt ſemper propter opus ſuum. Omnes hi in manibus ſuis ſperauerunt, & vnuſquiſq́; in arte ſua ſapiens eſt, ſine his omnibus non ædificatur ciuitas. Ad hanc communitatis vtilitatem, additur & præſtantior alia, ſcilicet mandatorum Dei cuſtodia, quam ſic occupati faciliùs retinent. Ita ergo caput illud finitur: *Creaturam æui confirmabunt* (ſuggerente nimirum arte ad vitam neceſſaria) *& deprecatio illorum in operatione artis, accommodantes animam ſuam, & conquirentes in lege Altiſſimi.*

Legerunt has à Spiritu S. decantatas artium, & laborum laudes magni Eccleſiaſticæ & ciuilis dignitatis viri, atque vt ipſi quoque his encomijs digni eſſent, & vt junioribus in ſe relinquerent documentum, quanquam grauibus regiminis curis eſſent diſtenti, quando tamen ab illis vacare poterant, laborem interponebant, ne otium quietos occuparet. Atque vt recentiora tantùm attingamus, de Alphonſo Aragoniæ Rege, Panormitanus refert in ſuis Apophtegm: lib:2. quòd abſente cuſtode regiæ bibliothecæ ſeram forcipe excuſſerit, hoc cernens quidam Presbyter Matthæus Siculus: *Tu ne,* inquit, *id Rex magne manibus proprijs?* cui Rex, *Quæſo vir Sancte, nunquid DEVS nequicquam manus Regibus dedit.* Meminerat, vt apparet hic Rex à S. Paulo ſcriptum 1. Theſſa: 4: *Operamini manibus veſtris.* 54.

Baronius quoque Tom: 3. Anno Dom: 325. narrat de Spiridione Epiſcopo, qui inter alios Concilio Nicæno primo interfuit; hic liber quandoque à curâ Epiſcopali, habuit in more paſcere gregem, id quod DEUS ſibi acceptum miraculo comprobauit. Dum enim vice quadam, dimiſſis 55.

per paſcua ouibus, ipſe orationi ſe daret, fures accurrerant inſidiaturi gregi; ſed occultà vi ligati, tam diu in vno hæſerunt loco, quoad Spiridion ſuperuenit, & monitos priùs, quòd furtim ſurripere potiùs, quàm precibus impetrare maluiſſent, oratione à vinculis ſoluit, donatoſque agno dimiſit. Hac ratione Gregorius magnus, Pontificias curas leuare ſolitus erat, vt in vitâ eius ſcribitur: accitos quippe pueros, muſicam, cantumque docebat, maximè vt in templo concinnè modulari diſcerent, memor muſicæ aliquot vtilitatum, quas Ariſtoteles 8. Politicorum cap: 5. refert.

56. Prima eſt honeſta voluptas, animi recreandi gratiâ, cui juuenes addicti, aſſueſcunt non quærere poſt labores in rebus inhoneſtis ſolatia. Secunda eſt ratio fallendi otij, quia enim non ſemper ſerijs, & laborioſis intenti eſſe poſſumus, vt rectè otiemur muſica ſuâ præſtat ſuauitate. Tertia eſt vtilitas adjumentum virtutis, dum enim honeſtos pioſque audimus cantus, iam ad amorem honeſtatis, iam ad imitationem, iam ad alios mouemur ſanctos affectus. Hæc eadem in Muſicâ commendans ipſe Spiritus S. Eccleſi: 37. ſic præcipit: *Non impedias muſicam*. Sunt plurima alia, quibus honeſtè quiſque diſtineri poteſt, vtiliter etiam ſibi atq; alijs: quod vt impigrè faciat à teneris diligenter formari debet. Atque hæc eſt cura, & potiſſima pars prudentiæ œconomicæ, quæ vt perfecta ſit, domum ac domeſticos regere debet, quemadmudum toto hoc capite, ſatis opinor dictum eſt.

CAPVT X.

De Prudentia ſingulari & cuique propria.

Priua-

Digitized by Google

PRIVATAM ſingulorum prudentiam, ſatis copioſè deſcribit, & hiſce pulcherrimis depingit coloribus Salomon, Prouerb: 3: *Beatus homo qui affluit prudentiâ: melior eſt acquiſitio eius negotiatione argenti, & auri, primi & puriſſimi fructus eius. Pretioſior eſt cunctis opibus, & omnia quæ deſiderantur huic non valent comparari, longitudo dierum in dexterâ eius, & in ſiniſtrâ eius diuitiæ, & gloria. Viæ eius viæ pulchræ, & omnes ſemitæ illius pacificæ: Signum vitæ eſt his qui apprehenderint eam, & qui tenuerit eam beatus.* Præfert Sapiens acquiſitionem prudentiæ, ſiue lumen illud, ac directionem, quam illa præbet ad honeſtè operandum, opibus, gloriæ, vitæ longæ, & omnibus, quæ in hac mortalitate poſſunt deſiderari. Addit & duo præclara eius ornamenta, pulchritudinem & pacem. Denique finem & effectum, denunciat eſſe vitam ac beatitudinē. Quod nihil eſt aliud dicere, quàm prudentiam eſſe inſtar Magiſtræ, quæ cæteras virtutes morales doceat vſum opum, gloriæ, & ſimilium appetitui arridentium, ſine qua doctrinâ, tanta erit differentia, inter vſum earundem rerum, & inter prudentem vſum, quanta inter ſapientem magiſtrum, & rudem diſcipulum, inter virtutem, & vitium, inter honeſtatem, & turpitudinem, inter corpora belluaſque, & inter mentem, atque intelligentiam. Propterea rectè ſubjungit illas prudentiæ laudes. Verè enim prudentes, ſunt illuſtres, pulchritudine omnium pulcherrimâ, nempe honeſtatis, iidem quoque perfruuntur pace maximâ, inter capitales hoſtes, carnem, & ſpiritum, demum vitam ac felicitatem habent, quam præſtat honeſtas vt cap: 1. & 2. ſupra explicatum eſt.

Ex his facilè eſt venire in notitiam prudentiæ ſingularis; eſt enim magiſtra & Dux vnicuique vt temperatè, juſtè, ac fortiter viuat, quemadmodum debet, pro ſtatu & conditionē ſuâ, vt illuſtris ſit, pacemque conſequatur animi inter-

 nam,

nam, ac vitam cum felicitate æternam. Et licet magiſtra hæc prudentia, virtutes morales, veluti diſcipulas ſibi aſſociatas habeat, vt tamen in vnâ ſcholâ, non eodem ſunt diſcipuli omnes conſpicui profectu: ita quoque in vno prudente homine, non ejuſdem ſunt omnes virtutes excellentiæ, ſed vna aliam ſuperat, pro cuiuſque, qui exercetur illis, vſu, & ſtudio. Hoc porro varium eſt, & multiplex, pro diuerſitate conditionis hominum.

2. Illud hic certò & indubitatè tenendum, prudentiam in quocunque ea reperitur, ad quaſuis cuiuis neceſſarias virtutes, ſufficiens atque opportunum præferre lumen, tantòque efficacitate ac dexteritate regendi hominem maius, quantò reliquæ virtutes, ſecutæ illud, fiunt præclariores. Quod egregiè elucidauit Seneca epiſt. 86. vſus tali ſorite: *Qui prudens eſt, & temperans eſt, qui temperans eſt, & conſtans eſt; qui conſtans eſt, & imperturbatus eſt, qui imperturbatus eſt, ſine triſtitiâ eſt; qui ſine triſtitiâ eſt, beatus eſt: Ergo prudens beatus eſt, & prudentia ad beatam vitam, ſatis eſt.* A prudentia exorſus per temperantiam, ad beatitudinem peruenit, ad quam ſimili conſecutionis lege perueniendum eſt, per juſtitiam, fortitudinem, & quamcunque aliam virtutem. Qui enim fortis eſt perinde ac temperans, conſtās erit, imperturbatus, ſine triſtitiâ, & tandem beatus.

Sectio Prima.

Nihil obeſt virtuti ſi ſentiantur animi contrarij motus.

3. Obiter verò hic adnotandum eſt, quod ad perturbationem, triſtitiamque attinet, non ita prudentem imper

imperturbatum, & ſine triſtitiâ eſſe, vt nihil motionis in appetitu ſentiat (hoc enim Stoicorum fuit commentum, ad virtutem apathiam quandam exigentium, quod infra, cap: 11. num: 6. & cap: 12: à num: 5. cùm ſermo de continentiâ erit, oſtendetur falſum) ſed ita, vt id quod ſentitur, non ſit nimium, neque deuians à rationis præſcripto. Hoc igitur cenſet à prudentiâ præſtari Seneca, vt non obſtante vllo perturbationis motu, quamuis virtutem habeat qui prudens eſt, duplci idem confirmans ſimilitudine. *Quemadmodum enim Phidias* (inſignis olim ſculptor) *non tantùm ex ebore, ſed ex quauis vili materia, ſimulachra, quæ quis volebat, conficiebat, ſic ſapiens virtutem, ſi licebit, in diuitijs, explicabit; ſin minus, in paupertate: ſi poterit in Patriâ; ſin minus, in exilio.* & cætera, *quamcunque fortunam acceperit, aliquid ex illa memorabile efficiet.* Alteram deſumpſit ſimilitudinem, à domitoribus ferarum. *Nam ſi ſæuiſſima animalia docēt pati jugum, Leonibus magiſter manum inſertat, tygrim ſuus cuſtos, Elephantem minimus Æthiops jubet ſubſidere in genua, & ambulare per funem, ſic ſapiens eſt artifex domandi mala; dolor, egeſtas, ignominia, carcer, quæcunq; horrenda, cùm ad hunc peruenere, manſueta ſunt.*

Hæ ſimilitudines ad morale hoc punctum, in quo verſamur, declarandum, aptiſſimè explicant duo præcipua prudentiæ munia, quorum vnum eſt, domare animi impotentes motus, quantumuis ſint ferociſſimi, & immanibus perſimiles belluis; alterum ex illis ipſis iam manſuefactis pulcherrimas, & excellentiſſimas effingere formas ſpecieſque virtutum, quæ inſtar gratiſſimarum imaginum oculos moueant, ac recreent intuentium. Neque putat Seneca, vllum dandum excuſationi locum, quòd perturbationes mentis, nequeant ob ſuam vehementiam jugo regi prudētiæ. Si enim ferociſſimæ beſtiæ cicurantur tandem ab homine, cur idem homo ſibi non imperet, ſi modo velit? & 4.

nunc præſertim, quando de copioſo gratiæ adjumento ſcriptum ad Philipen. 2. legimus: *Omnia poſſum in eo qui me confortat.* Quod ſi quis etſi gnarus huiuſce confortationis, nihilominus prætexat ſe non poſſe cohibere motus potentes, verendum ei ne in judicij die à Seneca, & ſimilibus confuſus erubeſcat, nam hos à ſe ſiſtendos ſpondet Saluator. Luc. 11: *Viri Niniuitæ ſurgent in judicio cum generatione hac, & condemnabunt illam.* Vnum tamen, videlicet mora excuſare meritò poteſt, non quidem à virtute, ſed à celeri eius, maximè in perfectiore gradu poſſeſſione, tempore enim ſedatur vt feræ, ita & motus animi, neque exigendum hodie, quod craſtina eſt allatura dies, cùm nemo repente ſit optimus, ſicut nec peſſimus: Rectè ille.

Gutta cauat lapidem, non vi, ſed ſæpe cadendo.

Cùm itaque quid poſſit in vnoquoque prudentia ſciamus, videndum eſt, quid debeat? vt ita propria, & ſingularis cuiuſque probè intelligatur. Ac ne in incertum vagemur quatuor genera hominum attingemus, celebriora in Eccleſiâ, ſiue Fidelium cœtu, prudentiam vnicuique debitam aſſignando: primum eſt Clericorum, ſecundum Deo per vota dicatorum; tertium Cælibum, quartum conjugum. Si qui ſunt alij, ab his quoquo modo differentes, non tam genus diuerſum faciunt, ſtabile ac perpetuum, quàm certa quadam occupationis ratione & ferè ad tempus tantùm certum diſtinentur, pro ſuâ vel Reipublicæ vtilitate, quales ſunt aulici, milites, ac mercatores, de quibus etiam dicendum erit, reliqui omnes in commune monendi, ne longitudo ſit moleſta.

Digitized by Google

Sectio Secunda.

Quæ ſit Clericorum Prudentia?

CLericos, quos primo loco poſuimus, ipſum nomen indicare videtur, qua prudẽtiâ inſignes eſſe debeant: Clerus enim ex Græco ſortem ſignificat, quare Clerici in Eccleſiâ ſunt eiuſmodi homines qui Chriſto ſorte quadam obtigerunt, non illâ communi, qua omnes homines, ſanguine eius immenſè pretioſo redempti, in hæreditatem ſunt à Patre oblati. Pſal: 2. *Poſtula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam, terminos terræ:* ſed eâ qua olim DEUS in lege veteri, tribum Leui, ſibi delegit, cauſamque electionis hanc dedit, Num: 3. *Ego tuli Leuitas à Filijs Iſraël, pro omni primogenito in filijs Iſraël, eruntque Leuitæ mei.*

Non conſtat de voluntate Chriſti Clericos in nouâ 1.
lege pro primogenitis ipſi offerendos, illud eſt certum, eos ab ipſo electos, & in duos diſtributos ordines: prior fuit Apoſtolorum, & Epiſcoporum: Diſcipulorũ & Sacerdotum poſterior. Ita enim Marcus Euangeliſta cap: 3. ſcribit: *Et aſcendens in montem vocauit ad ſe quos voluit ipſe, & venerunt ad eum, & fecit vt eſſent duodecim cum illo.* Hos vocatos & factos duodecim S. Lucas cap. 6. dicit electos in diſcipulos ſeu Sacerdotes, & Apoſtolos. Quàm verò ſit vtraque electio hæc præſtans, primus Apoſtolorum Petrus, in epiſt: ſua 1 c. 2: declarat, cùm inquit: *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis, vt virtutes annuntietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen ſuũ.*

Quæ verba poſſunt quidem omnibus, in Chriſtum credẽtibus applicari, ſed Clericis maximè, & potiſſimè, tanquã ijs quos ex fidelibus peculiari quadam ratione ſibi Chriſtus dele-

dele-

delegit, vt anunciens virtutes eius vbique terrarum. Et quemadmodum de Leuitis, hanc amoris & beneuolentiæ, teſte Moyſe, edidit DEUS vocem: *Erunt Leuitæ mei*: ita Clerici de ſe putent à Chriſto dictum, erunt Clerici mei, cùm perinde Apoſtolo Petro ſit credendum, atque olim Moyſi, ſupremis poſt DEUM veteri & nouâ lege capitibus.

Ergo Clerici ſunt primò genus electum, quæ duo verba, magnam, imò maximam eorum continēt dignitatem, ſi aduertamus electionem ſemper eſſe eius quod præſtantius eſt, deteriora enim negliguntur, non eliguntur. Augetur hæc dignitas infinitâ electoris ſapientiâ, ac potentiâ, qui nec falli poteſt minora maioribus præferendo, & ſi quid in electo defuerit, imò cùm ſemper deſit, (*quid enim*, inquit Paulus vnus ex electis, *habes quod non accepiſti*, 1. Cor: 4.) ſemper inopiam ſupplet. Creſcit eadem dignitas fine, ad quem dirigitur electio; nempe, vt annuncient virtutes, atque immenſa præconia DEI trini, & vnius, omniumque admirabiliſſimum redemptionis humanæ opus, atque illud toties re ipſa, ac cum ipſo DEI Filio in terris peragant, quoties eundem DEO PATRI, pro ſalute mundi totius offerunt. Denique electio hæc extollit clericalem dignitatem, ſi enim DEUS ſummum ſuum in genus humanum teſtatus eſt amorem mittendo vnigenitum ad denunciandam ſuam voluntatem, & perficiendam ſaluandorum redemptionem, Joan: 3I: *Sic DEUS dilexit mundum vt Filium ſuum vnigenitum daret:* quantus erit eiuſdem vnigeniti in clericos amor, quos ad ſimilia deſtinat, vt & prædicent DEI voluntatem, & ſaluti redemptorum conſulant? Hac de causâ Conſaluatorem quodammodo, ac ſocium operum CHRISTI, nominat ſe Paulus, 2. Corinth: 5. vbi ſic ait: *Omnia ex DEO qui nos reconciliauit ſibi per Chriſtum, & dedit nobis miniſterium reconciliationis.* Miniſterium hoc ſibi tribuit Chriſtus Matth: 20: *Filius hominis venit miniſtrare, & dare animam ſuam redemptionem*

Digitized by Google

nem pro multis: tantæ dignitatis eſt electio clericorum.

Vocantur ijdem, *Regale Sacerdotium*, magno, quod iam completum eſt, myſterio: Sacerdotes enim nouæ legis docet S. Auguſtinus Tom. 4. in Quæſtionibus Euangelicis, q. 40 præfiguratos fuiſſe per Sacerdotes legis veteris, & vnctionem horum, illorum vnctionem ſignificare, præſtãtiorem tamen multò: ſemper enim præſtantior eſt res ſuo ſigno, & figurâ. Aaron ſiquidem, & ſucceſſores eius, in Sacerdotes tantùm, non in reges vngebantur, cùm ſacerdotes noſtri vtramque vnctione conſequantur dignitatem, quorum Princeps CHRISTUS, & Sacerdos, & Rex fuit. Neque verò ex eo quòd deſit ſplendor externus ac mūdanus; neganda eſt Clericis regia eminentia, quum pari de causâ ipſi Saluatori detrahenda eſſet, qui veriſſimum ſe Regem proteſtatus eſt, Joan: 18. Etſi non de hoc mundo, hoc eſt, non eâ ſpecie, atque apparentiâ, quam principes huius mundi præſeferunt.

Quapropter vt regalis huius excellentia ſacerdotis fi- 8.
dem nullius ſuperaret, voluit DEUS ſacerdotes veteres portentum quoddam eſſe, ita per Zach: c. 3. & ſupremum, & inferiores alloquendo ſacerdotes: *Audi IESV Sacerdos magne, tu & amici tui, qui habitant coram te, quia viri portendentes ſunt.* Mox vmbræ ſubnectit lucem, & quid illi portendant docet: *Ecce enim ego adducam ſeruum meum Orientem:* qui quis ſit, & quanta ſociorum eius dignitas, in eodem Propheta c. 6. explicatur. *Et ſumes* (præcipit Prophetæ DEUS) *aurum & argentum, & facies coronas, & pones in capite IESV ſacerdotis magni, & loqueris ad eum: Ecce vir Oriens nomen eius, & ipſe extruet templum Domini, & ipſe portabit gloriam, & ſedebit, & dominabitur ſuper ſolio ſuo, & erit Sacerdos ſuper ſolio ſuo.* Ac ne quis putaret ſolum hunc ſeruum & ſupremum Pontificẽ Chriſtum nimirum, in ſolio regio ac ſacerdotali ſeſſurum, ſocium illius nominat, neque vnum:

Et Conſilium pacis erit (inquit) *inter illos duos*, inter Chriſtum videlicet, & alios minores ſacerdotes amicos eius, quibus & coronas regias tribuit: *Et coronæ*, inquit, *Helem*, *& Tobiæ*, *& Idaiæ*, *Hem filio Sophoniæ*, *memoriale in templo Domini.*

9. Facilè has coronas regias concedet is ſacerdotibus, & quidem longè pretioſiores coronis regum mundi huius, qui aduertet in illis poteſtatem, atque authoritatem Regis Regum CHRISTI ad judicandum, non quidem terram, & terrenos (vt faciunt reges huius ſæculi) ſed Cœlum, & ad cœlum deſtinatos. Superat hæc poteſtas omnem aliorum regum poteſtatem, nullus enim ex his dat litigantibus regna, aut cum corpore animam punit. Sacerdotes ſoli, amici illius magni ſerui, & ſacerdotis regnum dant, & quidē Cœleſte ac ſempiternum, animas quoque non corpora tantùm ad inferos deſtinant, Matth: 18. *Quæcunq; alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo. &c.* Hic ſeruus magnus Rex, & Sacerdos JESUS, amicique eius, carentes ſplendore regio de hoc mundo, quanto fulgere debeant ſplendore de mundo alio, cœleſti, ac diuino, duobus ſequentibus exprimitur verbis: *Gens Sancta.*

10. Et de ipſo quidem Sacerdote maximo, nulla eſt dubitatio, eum eſſe Sanctiſſimum; ita enim ille de ſe Joan: 6. *Quem Pater ſanctificauit, & miſit in mundum.* Miſſio in mundum effecit in Patre, vt ſanctificaret Chriſtum duplici ſanctitate, vnionis ſcilicet hypoſtaticæ, & gratiarum, donorumque Spiritûs Sancti copioſiſſimorum, vt de plenitudine ſanctitatis eius acciperemus omnes: Joan: 1. Simili tamen de causâ cæteri quoque Sacerdotes ſancti eſſe debent, non quemadmodum ille, (maximus enim omnium & diuinitatis & ſanctitatis communione vnus eſt Sacerdos) ſed tāquam primi poſt illum dignitate atque amicitiâ eius, & in mundum ab ipſo miſſi, ſicut ille à Patre miſſus eſt, vt Joā: 20. legimus: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.*

Nulli

Digitized by Google

Nulli hîc opinor veniet in mentem id, cui quidem perperam aſſentire velit vt putet Patrem liberalem fuiſſe in miſſum à ſe Filium, Filium in miſſos à ſe non item, illum hauſiſſe plenitudinem donorum, de qua omnes accipiant, hos nihil ſortiri quod cæteris impertiant fidelibus. Procul hæc cogitatio erit ab illo, qui morem Chriſti probè mouerit eum eſſe, vt hoc quiſque in Eccleſiâ eius ſit ſanctior, quò in eadem dignior eſt. Ac propterea, omnium conſtans eſt doctrina Theologorum cum S. Thoma 2: 2. q. 184. art: 7. & 8. Epiſcopos debere eſſe primos perfectione Sanctitatis, nimirum Capita Eccleſiæ, poſt hos Sacerdotes, tanquã illis proximos; aliosque inferiorum ordinum ſacrorum clericos; tum demum religioſæ vitæ ſectatores; qui ordinis gradum non ſunt conſecuti, ſed vel ad illum diſponuntur, vel eo, defectu quopiam, indigni ſunt, ſeu indignos ſe ipſi reputant. 11

Sectio Tertia.

Perfectiores ſunt Epiſcopi Religioſis.

DESUMPTA eſt hæc doctrina ex S. Thoma loco iam citato, qui Epiſcopos cum religioſis conferendo ſic ait: a. 7: *Dicendum, quòd ſicut Auguſtinus dicit 12. ſuper Geneſim ad literam, ſemper agens præſtantius eſt patiente, in genere autem perfectionis ſecundùm Dionyſium, Epiſcopi ſe habent vt perfectiores, religioſi autem vt perfecti, quorum primum pertinet ad actionem, alterum autem ad paſſionem.* Vnde manifeſtum eſt: quòd ſtatus perfectionis, potior eſt in Epiſcopis, quàm in religioſis. In quo autem ſit iſta Epiſcoporum perfectio, eadem q. art: 5. declarat, explicando 12.

Digitized by Google

vnam perfectionis illorum partem: *Epiſcopi*, inquit, *obligant ſe, paſtorale aſſumentes officiũ, ad quod pertinet vt animã ſuam ponat paſtor pro ouibus ſuis, ſicut dicitur. Ioan: 10.* Jn articulo etiam 6. affert alteram Epiſcopalis perfectionis partem, quòd obligentur ad perpetuam animarum curam, quæ duo Epiſcoporum ſtatum præſtantiorem demonſtrant ſtatu religioſo. Primum ex eo, quòd illi Apoſtolis ſuccedant, & quẽadmodum hi omnibus fidelibus, etiam religioſis, ſalutem, ac perfectionem communicare debebant, poſtpoſità quoque (ſi aliter fieri non poſſet) proprià vità, ita & ſucceſſores eorum Epiſcopi: quare meritò illis poteſtas agendi attribuitur. Tum etiam ex eo præfert Epiſcopos religioſis, quòd hi non ſe obligent ad curam animarum, quemadmodum illi, & quidem ita vt non liceat eam deſerere, abſque licentià ſummi PONTIFICIS, vt eodem art: 6. docet S. Thom: cum alijs Theologis. Cùm ergo melius ſit non ſibi ſolùm, ſed alijs etiam prodeſſe, (bonum enim quò magis eſt communicatiuum ſui, eò eſt maius & perfectius) hoc ipſo in perfectiore ſunt Epiſcopi ſtatu, quia ad curam obligantur animarum, quàm religioſi, qui ſibi vacant ex proprià obligatione, alijs ex ſuperabundante quadam charitate. Et licet nonnulli religioſi curam aſſumunt animarum, vt CANONICI regulares, ea tamen, vt benè docet S. Thomas eadem q. art: 8. & alijs, eſt particularis: in Epiſcopis autem vel vniuerſaliſſima, qualis eſt Pontificis Summi, vel ſaltem, vt in cæteris Epiſcopis, vniuerſalior quàm eſt in religioſis, & præſertim conjuncta cum illà præſtanti dignitate, quòd Epiſcopi agentis vim nacti ſint, ad communicandam cuiuis Chriſtianam perfectionem, & quidem cum obligatione perpetuà muneris paſtoralis.

13. Quanquam illud hìc aduertendum eſt, quòd eadem Quæſt: art: 4. docet S. Thom: religioſorum ſtatum minùs quidem eſſe perfectum Epiſcoporum ſtatu, propter rationes

nes præmiſſas, fieri tamen ſæpe poſſe, vt reipsâ, & coram DEO, perfectior ſit aliquis religioſus, quàm aliquis Epiſcopus, aut Sacerdos. Cùm enim perfectio Chriſtiana, vt ibidem explicatur art: 2. ſit in charitate Dei, & proximi poſita, quando videlicet nullum admittitur letale peccatum illi contrarium, neque vlli datur locus cupiditatis, quæ impediat motum ipſius in Deum, ac proximum, quemadmodum impedit, aut diuitiarum, aut honoris, aut alicuius ſenſualis oblectationis immoderata appetentia: ſiquis religioſus totum hoc exactiùs ſeruat, quàm Epiſcopus quiſpiam, ille perfectior hoc erit. Cæterùm quæ hactenus de maiore perfectione Epiſcoporum dicta ſunt, ſtatum eorum, ac dignitatem oſtendunt in Eccleſiâ, non animi internam diſpoſitionem ſoli DEO notam.

Sectio Quarta.

Quomodo Sacerdotes præemineant Religioſis? & quid de Diaconis, & Subdiaconis cenſendum?

IAM conferendo S. Thom: eoſdem religioſos cum Sacerdotibus ſolis, ita art: 8. loquitur: *Si religioſus ordine careat, ſic manifeſtum eſt, excellere præeminentiam ordinis,* 14.
quantùm ad dignitatem, quia per ſacrum ordinem aliquis deputatur ad digniſſima miniſteria, quibus ipſi Chriſto ſeruitur in SACRAMENTO altaris, ad quod requiritur maior ſanctitas interna, quàm requirat etiam religionis ſtatus: quia ſicut Dionyſ: dicit c. 6. Eccleſ: Hierarchiæ: Monaſticus ordo debet ſequi Sacerdotales ordines, & ad eorum imitationem in diuina aſcendere. Vnde

grauius peccat cæteris paribus clericus in ſacris ordinibus conſtitutus, ſi aliquid contrarium ſanctitati agat, quàm aliquis religioſus, qui non habet ordinem ſacrum, quamuis Laicus religioſus teneatur ad obſeruantias regulares. Hæc S. Thom: qui licet cum ſolis ſacerdotibus expreſsè conferat religioſos, eoſque his præferat, tamen videtur inſinuare, etiam Diaconos & Subdiaconos (etſi non illâ, qua ſacerdotes ratione) præferendos religioſis, ſiquidem & hi ordinantur ad miniſtrandum Chriſto in SACRAMENTO altaris, & ratione ſui ordinis, tenentur ad maiorem ſanctitatem, quàm religioſi laici, qui cum ordinis & dignitatis in Eccleſiâ gradum non ſunt conſecuti. Vnde clarè dicit art: 8. ad 4. *In hoc autem quòd religioſi Laici aſſumuntur in clericatum, & ad ſacros ordines, manifeſtè promouentur ad melius.* Rectè ſacrorum ordinis meminit duntaxat, Clerici enim in minoribus conſtituti, cùm nõ ita prœſtantia peragant miniſteria in Sacramento altaris, atque ordinati in maioribus, & hæc quæ agunt Clerici minores, poſſunt à non ordinatis in defectu eorum expediri, meritò putat S. Thom: non præferendos religioſis, cùm nõ deſtinentur ad tantam ſanctitatem, ex vi ordinum minorum, ad quantam obligantur Clerici maiores.

15. Ex hac doctrinâ S. Thomæ inferri optimè poteſt, Epiſcopos & clericos ad Sacros ordines promotos, maiore ornari ſanctitate in ipsâ ordinatione, quàm religioſos primo in religionem ingreſſu. Huius illati non eſt illa ratio, quòd ſacri ordines ex opere operato conferant gratiam, cùm ſint vnum è ſeptem Sacramentis, id autem non præſtat religio, in qua pia opera ex opere operantis conferunt gratiam: non hæc inquam eſt ratio, fieri enim poteſt, vt quis maiorem ſortiatur Dei gratiam ex opere operantis, dignè ad illam ſe diſponendo, quàm alter ex opere operato, quod apud Theologos certum eſt. Ratio ergo huius eſt, ipſa dignitas ordinum, quæ quoniam ſuperat religionis ſtatum, excellenti-

orem

Digitized by Google

orem gratiæ gradum ſibi vendicat; id tamen totum cæteris paribus eſt intelligendum. Nam ſi abſolutè loquendo poteſt euenire, vt religioſus ſit perfectior Epiſcopo, aut Sacerdote, vt dictum eſt ſupra n. 13. poteſt etiam cum maiore gratiâ ingredi religionem, quàm Epiſcopus aut Sacerdos ſuſcipere ordines.

Sectio Quinta.

Qua de cauſa Clerici debeant eſſe eximiè perfecti?

HUIUS porrò tantæ in clericis perfectionis, & ſanctitatis non aliam puto eſſe cauſã, quàm quòd à Chriſto mittantur, & per miſſionem ſortiantur eam ſanctitatem, quæ cuique ordinis clericalis gradui ſit conformis, & quàm quilibet ordinatus conſeruare, atque augere debeat, ordinis proprij actus ſanctè exercendo.

Præfiguratum id eſt in Iſaia c. 6. qui viderat Dominũ ſedentem ſuper ſolium excelſum, & eleuatum, audierat itẽ 16.
inire conſilium de mittendo eo, qui eius mandata, ac voluntatem deferret ad populum Hebræum, ac dicere: *Quem mittam? Et quis ibit nobis?* Perplexus ac mente hærens Iſaias, iam DEO ſe offerre volebat, iam ſuæ indignitatis, peccatorumque conſcius, non audebat, gemebatque, hæc intra ſe voluens: *Væ mihi, quia vir pollutus labijs ego ſum.* Sed vbi volauit vnus de Seraphim, tenens forcipe calculum de altari ſublatum, & tetigit os eius, ac dixit: *Ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur:* mox ad omnia paratum ſe ſenſit, Deoque ſe obtulit, audacter illi reſpondens: *Ecce ego, mitte me. &c:* Aduertant, & benè trutinent clerici, atque ex his Sacerdotes, & Epiſcopi po-

p potiſſimè (qui ad idem mittuntur ad quod & Jſaias) ſe nō ſine causâ mundari à Seraphinis, ſummis in cœleſti Hierarchiâ, dignitate, ac ſanctitate ſpiritibus, ſunt enim etiam ipſi præcipua ſummaque pars hierarchiæ Chriſti in terris adhuc conſtitutæ, transferendæ tandem eò, vbi Chriſtus caput illius & Angelorum regnat in æternum: id quod aſſerit D. Thom: 1. p. q 108. art: 1. cum antiquiſſimo Patre Di: onys: lib. de Eccleſiaſtica Hierarchia. tenetque in cœlo demum ex Angelis, & hominibus conſtituendam vnam Hierarchiam, quæ ſupremo Principi ſuberit Chriſto DEO, ita de ſe teſtanti Matth: 28 *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terrâ.* Jtaque à Seraphin purgantur Clerici, non à Cherubin, aut Thronis, aut Dominationibus, alijsque inferiorum ordinum ſpiritibus, vt nouerint ſe à Chriſto electos ad conſequendam Seraphicam eminentiam, hoc eſt tantam in Eccleſiaſticâ Hierarchia debere æmulari ſanctitatē, quantâ illi fulgent, qui in ſupernâ hierarchiâ ſunt primi. Quin, quod admirabilius, atque longè excellentius eſt, videntur poſſe, & debere aſpirare Clerici ad maiorem ſanctitatis gradum, quàm eſt Seraphicus, quod ex hac ipsâ Jſaiæ viſione colligitur. Neque enim ab aliquo Seraphin mundantur, vt factum eſt cum Jſaia, & per figuram: ſed à Creatore illorū, ſuo autem redemptore JESU Chriſto, Principe Chriſtianæ Hierarchiæ, ſimul & Sacerdote ſupremo, qui ſuo ſanctiſſimo Sanguine à peccatis, & ab omni impuritate mundat, & à ſe miſſis, non per Seraphim, ſed ipſe dicit, Joan: 15. *Ego elegi vos, & poſui, vt eatis, & fructum afferatis,* ſcilicet ſuæ aliorumque ſanctitatis. Quis verò dubitat copioſiùs ex fonte, quàm ex fluentis accipi illas gratiarum aquas, quas Apocal: 21. Chriſtus ſe daturum ſuis amicis, ac ſecum epulantibus promiſit: *Ego ſitienti dabo de fonte aquæ vitæ gratis.* Gens omnino, & quidem præclarè, ſancta debet eſſe ordo clericorum, & ſi quis immundum ſe ſentit, aut minùs mundatum,

neque

neque haurit de hoc immenſo fonte aquas, tantæ puritatis, ac ſanctitatis, degener ab hac gente habendus.

Sectio Sexta.

Quæ indicia ſint eximiæ in Clericis perfectionis?

FAcilè porro aſſequi poteſt, ex ſignis quibuſdam, degeneret, nec ne: quæ ſigna videntur poſtremis illis expreſſa à S. Petro verbis: *Populus acquiſitionis*. Cùm enim Clerici peculiari quadam ratione ad Dei pertineant dominiũ, quemadmodum & Leuitæ, quod iam ex ſuperioribus conſtat, debet id indicio patere aliquo, vt & Chriſtus Dominus meritò dicat, Clerici ſunt mei, & cæteri fideles non iniquè ferant, hanc tam amicam, & beneuolam appellationem, illis, non ſibi dari. 17.

In his indicijs clericorum videtur Dominus morem imitari antiquum, etiam num à quibusdam obſeruari ſolitum, qui jumentis imprimunt ſua ſtemmata, ad dignoſcendum aliena. Simile quid fiebat lege diuinâ etiam cum mancipijs hominum, vt legimus Exod: 21 *Si emeris*, inquit DEUS, *ſeruum Hebræum, ſex annis ſeruiet tibi, in ſeptimo egredietur liber gratis: quod ſi dixerit, diligo dominum meum, non egrediar liber, offeret eum dominus dijs, perforabitq́ aurem eius ſubulâ*. Hunc, inquam, imitatur morem CHRISTUS, non cum ſeruis. ſed amicis ſuis clericis, imprimit, non ferro pũgente, ſed benignà manu, inprimis characterem ordinis (iuxta Catholicum omnium Theologorum cum D. Thoma dogma 3. p. q. 63.) quo à reliquis diſcernãtur fidelib⁹, ſui amici, & tanquã duces illorũ, patresq; ac paſtores agnoſcãtur. Hoc præclaro à Chriſto inſignitos ſtemmate, prædi-

Digitized by Google

cabat S. Paulus. 1. Cor: 12. *Quoſdam poſuit DEVS in Eccleſiâ primùm Apoſtolos:* eoſdem idem patres agnoſcebat, 1. Cor: 4. *Si decem millia pędagogorum habeatis in Chriſto, ſed non multos patres: nam in Chriſto IESV per Euangelium ego vos genui.* Denique his Chriſtus munus paſcendi tribuit, Joan: 21: *Paſce oues meas.* Et S. Petrus cæteris ſe minoribus idem injungit 1. Pet: 5. *Paſcite qui in vobis eſt gregem DEI.* Qui hoc Chriſti ſigno carent, quantumuis ſe Epiſcopos, patres, ac paſtores velint dici, vt ſunt hæretici ordinis Sacramentum reſpuentes, degenerant à gente illâ ſanctâ, regalique & vero ſacerdotio, neque Epiſcopi, aut Sacerdotes, aut Patres ac paſtores, ſed plebeij, ſalutis capitales hoſtes, ac lupi habēdi. Clerici ſemel hoc receptum ſtigma nunquam quidem deperdunt, poſſunt tamen illo abuti, atque ita à ſanctâ degenerare gente, nec vocari *acquiſitionis populus.*

18. Eſt ergo alia nota, quæ clericum inter amicos Chriſti omnimodè reponit, Caſtitas videlicet, puritasque, quæ quid ſit in corpore notum eſt, nempe vt etiam matrimonium, nedum omnem reſpuat carnis turpitudinem: mentis puritas, culpas quaſuis, præſertim mortales horret: ſanctis porro adeò debet illuſtris eſſe operationibus, vt illud Chriſti, cuiuis clerico meritò ſeruiat Matth: 5. *Vos eſtis lux mundi*, ſplendens nimirum in diuinis, atque hominum oculis, ſolique perſimilis, non vnum aliquem mundi angulū, ſed totum illuminanti terrarum orbem.

Hæc caſtitas corporis, cui nihil maculæ, ac ſordium aſperſum ſit, hæc tanta ac talis mentis puritas, cui nihil deſit, quod quidem Epiſcopū, Sacerdotem, Diaconum, Subdiaconum, aliosque miniſtros eorum deceat, quæ ſe linguâ, & opere magno audientium, & videntium bono prodat, quam omnes mirentur, prædicent, imitentur, quæ ita aliorum fidelium ſuperet perfectionem, quemadmodum lux ſolis ſuperat lumen lunæ, & aliorum luminarium: hæc, inquam

quam, caſtitas, & puritas eſt inſigne gentis ſanctæ, nimirũ & operans, & indicans maximam clericorum ſanctitatem, ac perfectionem.

Tantam ſanctitatem & tantam puritatem exigi ab hominibus Chriſto, per Sacramentum ordinis conſecratis, nõ nimiam exiſtimabit, neq; putabit per exaggerationis quandam figuram, hæc de perfectione, ac ſanctitate eorum dici, qui mentem ad duo ſedulò aduertat, quæ hujusmodi viris diuinitùs à DEO ſunt conceſſa. Primum eſt vicinitas, & quædam conſuetudo, ac familiaritas cum DEO incarnato, quæ quantò maior eſt, tantò maiorem operatur ſanctitatem gratiæ, gloriæ, vitæque æternæ: hanc vicinitatem, & ſimul id, quod illam ſolet conſequi, accuratâ expendendam trutinâ commendabat Chriſtus diſcipulis ſuis Matth: 13 *Veſtri*, inquit, *beati oculi, quia vident, & aures quia audiunt. Amen quippe dico vobis, quia multi Prophetæ, & juſti cupierunt videre, quæ videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt.* Beatiores multis juſtis, & quidem Prophetis ipſis, hoc eſt, amplioribus gratiæ & ſanctitatis donis (nec enim apud DEUM, alia eſt maior hac beatitudo) præditos diſcipulos ſuos affirmauit Dominus, eò quòd ad ſenſum etiam eſſent præſentes vicini illi: contra verò Prophetæ abſentes, & remoti. 19.

Hac eadem de causâ beatiſſima Virgo MARIA, prima eſt inter omnes creaturas puras (humanam naturam DEO vnitam excipio, quam inter puras creaturas non numero) ſummæque ſanctitatis, eò quòd proxima ſit incarnato DEI FILIO Matris dignitate. Ex eadem fluit origine, vt Sanctus Joſeph Sponſus Virginis, & nutritius Chriſti, Baptiſta Joannes præcurſor Chriſti, Apoſtoli, ac Euangeliſtæ, ſint cæteris ſanctitate illuſtriores, nimirum obſequijs, ac officijs viciniores DEO in carne. Proximi his ſunt ad ordines ſacros promoti, qui etſi iam non vident, ne- 20

que audiunt, in mortali hac vitâ DEUM incarnatum, habent tamen poteſtatem qua ſuperant omnes angelicos ſpiritus, eundem ſiſtendi veriſſimè & realiſſimè in terris, neq; hâc præſentiâ Chriſti in altari, quidquam habet præſtantius illa prior, niſi quòd illa ſenſus, & fidem pauerit, hæc paſcat ſolam fidem. Quia ergo ſacerdotes noſtri, tantùm (vt ſic liceat dicere) in DEUM poſſunt incarnatũ, quia tantùm illi vicini, ac familiares ſunt, quantùm is eſſet vicinus, ac familiaris, qui amicum quocunque, ac quandocunq; vellet, ſibi præſentem faceret, quid mirum ſi (vt ſupra vidimus) promoti ad ordines, dicantur amici Chriſti. Zachariæ cap: 3. Nulli etiam mirum videri debet, tantâ eoſdem in Eccleſiaſticâ Hierarchiâ debere fulgere ſanctitate, quantâ in Cœleſti fulgent Seraphim, aut etiam maiori, cùm plus, quàm illi in DEUM poſſint, & à maiori quàm ſunt Seraphim, nempe à Chriſto illuminentur, magisque ei, ratione iam explicatâ ſint vicini.

21. Eſt & âlia tantæ in Clericis puritatis cauſa, par robore efficaci præcedenti, aut certè non multò inferior, nimirum vita, & mors æterna, illam dandi, ab hac eripiendi, nacti ſunt jus & facultatem à Chriſto Epiſcopi & Sacerdotes, quando ſibi audierunt dictum Joan: 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Et Matth: 16. *Tibi dabo claues Regni cœlorum. &c.* Hac etiam poteſtatis dignitate, ſicut & priore, inferiores ſunt quicunque Angeli, nulli enim horum dictum eſt: *Quorum remiſeritis peccata: &c.* Et quoniam ordinata charitas à ſe ipſo incipit, profectò, qui alijs beatam vitam (quæ eſt conſummata, & finalis in regno cœlorum ſanctitas) donant, ipſi eam, & quidem abundantiùs, vt inquit Chriſtus Joan: 10. habeant ab eodem oportet.

Quare pijſſimè tenendum eſt, de authore ordinatæ charitatis, Saluatore DEO, hanc eſſe eius voluntatem, vt qui alijs

js communicăt ſanctitatem, ipſi ſint longè ſanctiores, & ad hoc conſequendum, habeant ab illò præſcripta aptiora media, gratijsque præueniantur copioſioribus. Videtur id ſignificaſſe Dominus Luc: 8. nam cùm Apoſtoli interrogaſſent illum, cur in parabolis de cœleſti regno ad plebem loqueretur, reſpondit: *Vobis datum eſt noſſe myſterium regni DEI, cæteris autem in parabolis.* Prætulit ergo Chriſtus plebi eos, qui ipſi collaturi erant regnum Dei, in hoc, quòd maiora cœleſtia dona illis ſint diuinitùs conceſſa: hinc eſt vt multi è populo ad quos tum verba faciebat, videntes non viderint, & audientes non intellexerint myſteria regni, & vitæ æternæ.

Apertiùs ſuam hanc voluntatem teſtatus eſt CHRISTUS, quando vt legimus Joan: 21: munus paſtoris S. Petro collaturus, ab eodem percontatus eſt, diligeret nec ne illum plùs cæteris? voluit tali facto Dominus certum indubitatũque eſſe, vt qui oues Chriſti ad paſcua vitæ beatæ ſint deducturi, maiorem illis charitatem, ac (quod ex ea ſequitur) maiorem habeant ſanctitatem.

Hæc ſunt duo, quæ oſtendunt clericos, ad magnam ordinatos eſſe ſanctitatem, & præcipuam in Hierarchiâ Eccleſiaſticâ, quam ſi non aſſequuntur, prudentiæ imputent deficienti, lumenque ſubtrahenti, hìc & ſequentibus libris declarandæ. Qui enim ſanctus eſt, aut eſſe velit, vt debet, regitur prudentiâ, quæ cenſet ita viuendum, vt viuere debet is, qui inter fideles, aut ſummus, aut inter ſummos eſt habendus. Ac quemadmodum ſunt poteſtatis & eminentiæ gradus in Eccleſiâ Chriſti, primùm Pontificis ſummi, tum eorum qui ipſi propinquiores ſunt, ſiue ijdem Cardinalitiâ jlluſtres ſint dignitate, ſiue non, vt ſunt Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi, Epiſcopi, vsque ad infimos clericos: ita & perfectionis Chriſtianæ, puritatisque ac ſanctitatis deberet eſſe ordo, ac differentia, vt ſic & æterna Dei

electio ſuum finem ſortiatur, & Hierarchiæ Eccleſiaſticæ à Chriſto inſtitutæ, retineatur ſua præſtantia.

22. Non aliam fuiſſe ab æterno Clericorum electionem teſtatus eſt DEUS, etſi in figura Ezechiel: 44. vbi poſtquam definiuit modum, ac rationem viuendi Leuitarum, & ſacerdotum perfectiorem alijs, concludit demum: *Non erit autem eis hæreditas, ego hæreditas eorum, ego poſſeſſio eorum.* Leuitis ac Sacerdotibus veteris legis, DEUS erat poſſeſſio, eo quòd (vt ibidem eſt ſcriptum) victimæ, primitiua, & ea omnia, quæ DEO à populo offerebantur, & in eius quaſi tranſibant dominium, ipſis cederent. Qua re non obſcurè innuit DEUS, Clericos & Sacerdotes nouæ legis in eâ apud ſe æſtimatione eſſe, vt cùm alij fideles ad DEUM (tanquam ad vltimum finem, ac poſſeſſionem ſuam) per ſacerdotes perueniant, donaque Spiritûs Sancti, ac ſanctitatem nanciſcantur, Sacerdotes hæc eadem, atque adeò ipſum DEUM à DEO citra medium ſortiantur, tantò copioſiùs, quantò & dignitate, & iure quodam hæreditario illi ſunt in Hierarchiâ Eccleſiaſticâ propinquiores: meritò ergo DEUS, ſe hæreditatem, ac poſſeſſionem talium nominat. Poſſeſſionem hanc, omnibus pleniſſimam diuitijs, ac theſauris, prudentia reperit, tuetur, conſeruat, & auget: diſſipat verò perditque imprudentia: quod affirmat Spiritus Sanctus Prouerb: 21. *Theſaurus deſiderabilis, & oleũ in habitaculo iuſti, & imprudens homo diſſipabit illud.* Verè theſaurus deſiderabilis, DEUS, & vnctio Spiritûs Sancti, oleum. Hæc duo vncti à DEO, hæredeſque ipſius, Clerici inquam, in oculis prudentiæ ſemper habeant, hanc nouerint ſuam electione diuinâ ſortem, vt DEO, doniſque eius (cœleſti poſſeſſione) præ cæteris cumulatiſſimè ditati, fidelibus quoque de eodem theſauro, atque oleo largè ſubueniant, neque deſint vnquam huic ſuo duplici muneri, cùm nunquam deſit, quod in hac beatiſſimâ poſſeſſione, & deſiderari, & augeri ampliùs poſſit.

Sectio 7.

Sectio Septima.

Quanta debeat eſſe perfectio Religioſorum?

SEquuntur religioſi, de quorum prudentiâ agendum: per religioſos autem intelliguntur homines vtriusque ſexûs DEO, per tria Paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ dedicati vota. Inſtitutum horum, eſt quidem in Hierarchiâ eccleſiaſticâ inferius clericorum gradu, vt hoc capite oſtenſum eſt, ſupra à n. 12. poteſt tamen (quod etiã eſt dictum n. 13.) conatu, ac ſtudio perfectionis Chriſtianæ id effici, vt quemadmodum nonnulli è Sanctis inter Cherubinos, aut Seraphinos computantur, pareſque illis, aut etiã maiores, meritis, & gloriâ fiunt (quod de glorioſiſſimâ Deiparâ indubitatè prædicat Eccleſia; cùm illud canit: *Exaltata eſt Sancta DEI Genitrix ſuper choros Angelorum.*) Jta è religioſis aliqui ſint ſanctitate ſuperiores clericis, quantumuis non initiati ordinibus.

Qua autem prudentiâ regi debeant, vt labori non parcant, ſtudioque religioſarum virtutum; DEUS, & magiſter eorum Chriſtus Matth: 19. docuit, quando cuidam adoleſcenti, quid faciendo vitam æternam conſequi poſſet indaganti, ita reſpondit: *Si vis perfectus eſſe, vade & vende quæ habes, & veni ſequere me.* Vtrumque hoc *Vade, & veni:* explanat Dominus, primùm eodem loco: quid nimirum ſit vendere, ea, quæ quis habeat: *Omnis,* inquit, *qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſororem, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Alterum Matth: 16. *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam.* Hæc explanatio Domini, ſi rectè intelligatur, plus non continet, quàm vt perfectionis amatores, nihil inpri- 23.

mis

Digitized by Google

mis eorum habeant, quæ mundus pertinaciter poſſidendo innumeros æternis addicit ſupplicijs; & quæ S. Joan: 1. ſuâ Epiſtolâ c. 2. ad tria reducit genera: *Omne quod eſt in mundo, aut eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ.* Jſta relinquunt ſtudioſi perfectionis, non quòd putent omnes alios (qui vel carni honeſto obſequuntur matrimonio, propinquorumque gaudent ſocietate, vel juſtè poſſident terrena, clariq; ſunt in mundo abſque ſuperbiæ typho) non poſſe eſſe ſaluos, aut perfectos: ſed quòd cōſilium Chriſti ſecuti, periculoſa hæc æſtiment, & frequentius ſaluti ac perfectioni inimica, vt docet S. Thom: 2. 2. q. 184. art. 2. 3: 4. Jtaque his ſpoliati, alterum jungere debēt, nempe abnegationem perturbationum mentis inſignem, per inſignem virtutis moderationem. Quia verò vterq; hic labor, nimirum & relinquendi omnia, & ſe abnegandi arduus eſt, leuamen adhibendum crucis, ac tolerantiæ, quæ illa præſtandi vires præbet. Singula hæc paulò fuſiùs explicanda: vt probè intelligatur, quò ferri debeat religioſorū prudentia.

Sectio Octaua.

Quæ ſint relinquenda religioſis, inter quæ ſunt poſſeſſiones?

ET quidem in relinquendis omnibus, numerantur primò terrenæ poſſeſſiones, quæ per votum paupertatis
24. perfectè reſignantur, ſi nihil, vt proprium priuatim teneatur, etſi in communi habeantur bona, ſiue mobilia, ſiue jmmobilia, quæ à ſuperiore ſubditis pro neceſſitate cuiuſq; ac viuendi modo, ad vſum, non ad dominium concedun-

Digitized by Google

duntur. Perfectam hanc appello reſignationem, ſi finem ad quem illa dirigitur ſpectemus, quanquam ſit rigidior illa, cùm nihil ſtabile, aut etiam mobile in communi poſſideatur. Nam cùm perfectionis chriſtianæ finis, ſit amor DEI, amori omnium bonorum quoque terreſtrium dominans: qui jure atque affectu proprietatis priuatæ, & (vt ſic dicam) perſonalis, ſe abdicat, nihil in ſe, ſeu in ſuâ perſonâ (hac quidem ex parte) habet impedimenti, quòd remoretur diuinum amorem, quantumuis in communitate ſit jus ad bona. Jam cùm quælibet religioſa communitas, non ratione ſui præciſè, ſed in ſingulis perſonis, ad perfectionē obligetur amoris diuini, hinc eſt, vt licet vna communitas rigidiorem (dicamus etiam rigore perfectiorem) colat paupertatem, quàm alia, ad perfectionem tamen Chriſtianam ſatis eſt, cuicūque in quacunque communitate, nihil proprium priuatim poſſidere. Neque verò neceſſe eſt, dicere, rigidiora omnia aptiora eſſe media ad finem perfectionis Chriſtianæ, alioquin perfectior eſſet, perfectiuſque Deum amaret Sanctus Baptiſta, quàm Chriſtus Dominus, ſiquidem vt eſt Matth: 11. *Venit Ioannes non manducans, neque bibens, at Filius hominis venit manducans & bibens.* Jtaque laus & ſufficientia paupertatis in perfecto religioſo, eſt jus proprium abdicare, numquam illud repetere, & ipſo in vſu neceſſariorum vitæ, eâ cōtentum eſſe parſimoniâ, quam cuique ſuus, præſcribit ordo, neque enim vbique par poteſt eſſe vtendi modus, cùm non eſt vbique par inſtituti ratio.

Sectio Nona.

Quæ vnicuique ad perfectionem conferant?

Digitized by Google

25\. VErùm, ne quis putet minùs prudenter eos facere, qui cùm poſſint laxiore paupertate, eundem perfectionis chriſtianæ conſequi gradum, quem alter conſequitur non ita laxâ: hic ſciat oportet, conſilia de abdicandis bonis, de mortificanda carne, de iejunijs, vigilijs, & ſimilibus, eſſe media, & inſtrumenta perfectionis, non ipſā perfectionem: quæ in amore DEI ſita eſt, vt de caritate lib: 2. dicetur. Cùm verò hæc inſtrumenta ſint multa numero, & diuerſitate, variàque efficacitate, neque poſſunt ab vno omnia vſurpari, quicunque perfectionem aſſequi cupit, ea deligere debet, quæ ſibi non alijs aptiora videntur, ad perfectionis propoſitum finem: cùm fieri poſſit, vt eadem res vni ad certum finem proſit, obſit alteri, eo quòd non eadem vterque ſit diſpoſitus ratione, neque ijſdem gaudeat talētis, & viribus tum corporis, tum animi. Non aliud voluit Dominus, illâ ſuâ parabolâ Matth: 25. exprimere, de Domino talenta inter ſeruos diſtribuente, & vni dante quinq;, alij duo, alij vnum, vnicuique ſecundùm propriam virtutē. Hanc virtutem ille à Deo ſibi conceſſam ſentit, qui eius ſancto motus inſtinctu amplectitur rigidam paupertatem, eidē innititur virtuti, qui non ita aſperam putat ſibi ad finem perfectionis conducere. Idem Iudicium eſt de omnibus alijs medijs, & inſtrumentis perfectionis chriſtianæ, quæ pro ſuâ diuerſitate, atque efficacitate, diuerſos in Eccleſiâ peperêre religionum ordines.

26\. Quodſi non diſpoſitionis modò, & virtutis cuiuſque, ſed vocationis etiam officiorum atque occupationum habeatur ratio, multò magis id, quod diximus, verum erit: hinc eſt, vt Fundator noſtræ SOCIETATIS, in tres partes domos eiuſdem fuerit partitus, in Collegia, Domos Nouitiorum, & Domos Profeſſorum. Collegijs permiſit bona immobilia, eò quòd in illis ſtudia tractentur, quæ non compatiuntur ſecum continuam mendicationem, citra damnum, in ijs, qui literis dant operam. Hanc ob cauſam in nobiliſ-

iſſimis Academijs ſunt fundata, Seminaria, & domicilia, quæ alicubi vocantur pauperum burſæ, vt ij qui literis vacant, nec ſe ipſos poſſunt alere præ inopiâ, habeant quo viuant, ex alienâ liberalitate, nec precariò quæſtu impediantur ab aſſiduâ contentione mentis, aut literis prorſus dicãt vale fame adacti: verum enim eſt illud, etſi ſimplex prouerbium, *Iejunus venter non ſtudet libenter.* Simili ratione motus S. Ignatius Nouitiorum domibus conceſſit immobilia bona, neque enim ij, qui tùnc primùm reliquêre mundum, poſſent in illo, quærendo victum, ita verſari, vt abeſſet periculum virtutum, ac ſpiritûs, quem nec dum plenè adepti eſſent. In domibus profeſſis, quotidiana viget mendicatio, vbi nec ſtudia tractantur, & illi, qui in ijs manent, cenſentur vt veterani Chriſti milites ſolidis armati virtutibus, quibus à periculis, ex conſuetudine hominum tuti eſſe poſſint. Nihil ergo bonorum immobilium poſſidere queunt, nec pro domo, nec pro templis, quia tamen inſiſtunt juuãdæ proximorum ſaluti, prædicationibus, doctrinâ chriſtianâ, Sacramentorum, Euchariſtiæ, & Exomologeſis adminiſtratione, ægrorum & incarceratorum viſitatione, ſupplicijs afficiendorum curâ, diſſidentium reconciliatione, & ſimilibus: voluit Sanctus Pater ad rigidam adeò paupertatẽ nos ſtringere, vt eſt illa, quam religioſi choro duntaxat attenti ſanctè profitentur, ea, quæ vno die emendicant, ad aliquot tantum dies conſeruando: hæc quippe talis paupertas, cum tot tamque diuerſis proximo vtilibus curis ac laboribus, non ita poſſet commodè ſtare, atque cum vnâ chori, & cantûs in templo deuotione.

Ex his illud certum, & indubitatum eſt apud Sanctos Patres & Theologos; media ad perfectionem tantò eſſe efficaciora, quantò cuique attentis viribus, vocatione propriâ, & alijs id genus circumſtantijs, ſunt magis opportuna, & conducentia ad amandum DEUM, & proximum. Clarè id docet S. Auguſtinus, quem citat S. Thom. 2. 2. q. 184. art.

Digitized by Google

3. *Vnde*, (inquit S. Thomas) *Auguſtinus dicit in Enchiridio c. 121. Quandoq; mandat DEVS, ex quibus vnum eſt (non mœchaberis) & quæcunq; non jubentur ſed ſpeciali conſilio monentur, ex quibus vnum eſt: Bonum eſt homini mulierem non tangere, tunc rectè fiunt, cùm referuntur ad diligendum DEVM, & proximum propter DEVM, & in hoc ſæculo, & futuro. Et inde eſt quòd in Collationibus Patrum. Coll: 1. c. 7. dicit Abbas Moyſes: Iejunia, vigiliæ, meditatio ſcripturarum, nuditas, ac priuatio omnium facultatum, non perfectio, ſed perfectionis inſtrumenta ſunt, quia non in ipſis cōſiſtit diſciplinæ illius finis, ſed per illa peruenitur ad finem, & ſupra præmiſit, quod ad perfectionem charitatis, iſtis gradibus aſcendere nitimur.* Huc vſque S. Thom. Ex quo manifeſtum eſſe debet varios paupertatis rigores, non eſſe perfectionem, ſed eius media, quæ quiſque aſſumit vt opportuna ſibi, omnes verò paupertatem debitè colere religioſam, qui ſe priuant omni proprietatis jure, neque illud reaſſumunt vnquam.

Cæterum reaſſumptio juris, dominijq; ſemel abdica-
27. ti, aut certè vſus, neglectâ authoritate eius qui habet concedendi poteſtatem, quantùm diſpliceat DEO, miraculosà comprobatum eſt pœnâ in Ananiâ, & vxore eius Saphira. Actor: 5. Digna ſunt verba, quæ expendantur à S. Petro ſiue contra voti, ſiue ſaltem propoſiti violatores prolata. *Anania,* inquit Apoſtolus, *cur tentauit Sathanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto, & fraudare de pretio agri? Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tuâ erat poteſtate, quare poſuiſti in corde tuo hanc rem, non es mentitus hominibus ſed DEO:* audiens autem Ananias hæc verba, cecidit & expirauit, idem cum Saphirà actum eſt Non ſemper paupertatis tranſgreſſores morte repentinà puniuntur, ſed inde inferre non licet, non ita nunc, vt antea offendi DEUM violatione voti, cùm ſemper grauis fiat illi injuria, ſubtractione rei ſibi oblatæ, ſemelque pro ſemper moneat Spiritus Sanctus Eccleſ: 5. *Si quid vouiſti DEO, ne moreris reddere, diſplicet enim illi infidelis & ſtulta promiſſio, multoq; melius eſt non vouere, quàm poſt votum promiſſa*

non

Digitized by Google

non reddere. Rectè infidelem promiſſionem ſtultam vocat. Quid enim ſtultiùs, quàm DEO velle vim facere, quaſi vel non poſſit vindicare, vel ludibrio velit exponi. Magnum etiam vitæ ſpiritualis damnum votifragus pati neceſſe eſt, vt non immeritò, paupertas murus religionum à peritis dicatur, vt enim ſublato aut effracto muro, via patet hoſtibus ad vrbes, arceſque, ita fracto hoc voto, perfectio religioſa multimodè periclitatur. Adeuntur crebrò propinqui, & cognati, ſemel pro Chriſto relicti, quæruntur amicitiæ religioſæ ſimplicitati diſſonæ, multa fiunt abſconditè, & clā ſuperiore, non ſeruatur clauſtrum, violatur obedientia, cōmunia ſilent, curantur priuata, fit demum vt ſicut hoſte in vrbem irrūpente diripiuntur omnia, ſic totus diſſipetur ſpiritus. Tot malorum eſt cauſa voti huius neglectus, ad quem quia diſponit abundantior, id eſt præter congruam neceſſitatem, rerum affluentia, quantumuis hæc nihil lædat votum, prudenter S. Auguſtinus Tom: 1. in Regulis ad ſeruos DEI, ſuadet debitam parſimoniam, docetque eò beatiorem eſſe religioſum, quò paucioribus eget, & quando æger eſt, plura illi & delicatiora danda, eo quòd tunc miſer & egens ſit: *Cùm verò.* inquit, *priſtinas vires recuperauerit, redeat ad feliciorem conſuetudinem ſuam, quæ famulos Dei tantò amplius decet, quantò minus indigent.* Et paulò inferius: *Illes æſtiment ditiores, qui in ſuſtinendâ parcitate fuerint fortiores, melius eſt enim minus egere, quàm plus habere.* Hoc primum eſt, quod relinquere debent cum mundo Chriſti ſectatores.

Sectio Decima.

Relinquenda eſt à Religioſis carnis voluptas.

Digitized by Google

28. SEcundo loco, relinquendã, cenſet prudentia religioſa, Dei ſeruis voluptatem carnis, non prohibitam ſolùm omnibus etiam voto caſtitatis non obſtrictis: ſed quamuis indecentem illecebram caſtitati omnimodæ, & voto inſuper firmatæ vel minimè repugnantem. Hanc virtutem à creatione mundi ignotam, & veluti in terris defoſſam, Filius DEI in carne noſtrâ generi humano manifeſtam fecit, Matth: 19. palam de illa ita locutus: *Sunt Eunuchi, qui ſe ipſos caſtrauerunt propter regnum cælorum, qui poteſt capere capiat:* & ſicut primus fuit eius prædicator, ita primus, cum ſociâ Matre cultor & Magiſter. Hæc eſt maxima laus caſtitatis non prius innotuiſſe mundo, quam hôc nobile, & omni creaturâ præſtantius par hominum. Felix illius colendæ claret initium, felix omnino: nam vt ante nulli, vel rariſſimi fuerunt eius amatores, ita poſt adeò erant multi in ſexu vtroque, vt veriti fuerint non pauci, ne deficiente prole, genus quoque deficeret humanum. Ita poſtremum hoc ſeculũ præteritorum ſuppleuit damna, & gratia ſuperauit naturã: atque vt tantò ſecurior Deoque gratior pulcherrimæ huius honeſtatis eſſet amor, creberrimè & à plurimis voto firmatur conſtantia. Præmiſſa fuit olim prophetia tanti in Eccleſiâ Chriſti ornamenti nuncia, per Iſaiam c. 56. *Hæc dicit Dominus Eunuchis, qui cuſtodierint Sabbatha mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum. Dabo eis in Domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à Filijs & Filiabus, nomen ſempiternum dabo eis, quod non peribit.*

29 Sua hîc recenſentur præſtare Eunuchi, qui ſe in corde caſtrant propter Regnum cœlorum. Cuſtodiunt illi Sabbatha Domini quieſcendo ab opere, quod ad propagandum genus humanum erat ab illo ordinatum, & durante hac neceſſitate durauit quoque ſpes, ac expectatio eiuſdem Domini hominem Saluaturi, ceſſante verò illâ, ſpes in rem cõmutata, venit factus homo DEVS, & ſabbathum hoc in Virgineâ ſuâ ſanctificauit carne, ſuumque ab illâ nuncupauit, &

cele-

Digitized by Google

celebrandum tanquam ſuum commendauit. *Qui,* (inquit) *cuſtodierint Sabbatha mea*. Judæorum illud vetus ſabbathũ jam deſijt, hoc nullo terminabitur fine, quemadmodum & Chriſtus Virgo æternus eſt, prohibebat illud opera ſeruilia, hoc liberat ab eà ſeruitute carnis, cui ſubdi neceſſe eſt omnes, de quibus ſcribit S. Paulus 1. Cor: 7 *Si acceperis vxorẽ non peccaſti, & ſi nupſerit virgo non peccauit: tribulationem tamẽ carnis habebunt hujuſmodi.* Denique vt is qui nunc coleret Sabbathum Judæorum, Judæus eſſet cenſendus, ita à cultu Sabbathi Chriſti, ſingulari quadam prærogatiua Chriſtian⁹ vocandus eſt.

Alterum quod præſtant ijdem Eunuchi, eſt, vt eligant quæ Chriſtus vult, non tantùm quæ præcipit, caſtitatem enim amplectuntur, morem gerentes conſulenti, & ſui cordis arcanum ſuggerenti placitum. 30.

Poſtremò ijdem tenent fædus Chriſti, quod tunc ineunt, cùm ſe perpetuæ caſtitatis voto æterno eius obligant patri. Hæc præſtantibus Eunuchis pollicetur Dominus in in domo ſuâ locum illum certè, Matth: 19. *Amen dico vobis, quòd vos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione cùm ſederit Filius hominis in ſede Majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos, ſuper ſedes duodecĩ Iudicantes duodecim tribus Iſrael.* Et illum quem vidit Joannes Apocalip: 14. *Hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, Virgines enim ſunt. Hi ſequuntur Agnum quocunq; ierit.* Feliciſſimus locus ſequi Chriſtum, ſedere cum Chriſto, & eſſe vicinum Chriſto. Præter locum, habebunt caſti & nomen præ cæteris Filijs & Filiabus, idque ſempiternum, gloriam ſcilicet ab alijs ſanctis diſtinctam: ſempiternum hoc erit decus, quemadmodum & caſtitas æterna erit ibi: *vbi nõ nubẽt neq; nubentur,* Matth: 22. ſed erunt ſicut Spiritus Angelici, & ipſe Spirituum conditor DEUS. 31.

Tot ac tantæ Angelicæ & diuinæ iſtius virtutis prærogatiuæ, ſequentibus DEUM incarnatum, jure quodam debentur: quemadmodum enim Chriſtus carnem ſuam, ſpi- 32.

ritui

ritui ſuo Diuino ſimilem, quodam modo fecit, eo quòd in carne, à carnis operatione fuerit alienus, & vti dicam ſibi DEO perſimilis, ac veluti idem, (nam ab eodem carnis actu, & humanitas & Diuinitas eius abſtinet) ita ſimili quoq; Spiritualis puritatis gaudent excellentiâ, qui caſtum Chriſtum ſequendo, ſimileſque illi efficiuntur, ac digni qui ſint vicini ipſi, & loco, & nomine: ita quidem, vt nullus ex Filijs & Filiabus eſt vicinus, qui nō hac ratione ſequitur Chriſtum. Hæc ſi attentè conſideret prudentia hominis per caſtitatem DEO dicati, duo firma ſtatuet, alterum agendas eſſe magnas Chriſto grates, qui pari beneficio ſuam carnem, & ſe ſequentem dignatur ſeruum: alterum ſedulo curandū conatu vt hoc diuinum donum è cœlo cum Chriſto delatū, cœlo intactum illibatumque ſeruetur.

33. Magnum dixi adhibendum conatum, reuerâ enim ardua eſt hæc virtus. Primò ex eo, quòd vt S. Thom: 2. 2 q. 16. art 3. docet: Venerea voluptas maxima ſit omnium, quæ caro ſenſibus atque appetitu percipere poteſt, etſi primi duo hominum contra omnem illecebram carnis, innocentiâ muniti, guſtu ſunt ſuperati, quantum periculum eſt, ne tactus longè potentior ſuperet eos, quos etiam fomes voluptatis ſemper accenſus vrit.

Secundò quòd caſtitas multos, & potentiſſimos habeat hoſtes: eſt Dæmonis ſuggeſtio, aut interdum incuborum ſuccuborumque cooperatio, eſt hominum vtriuſque ſexūs exemplum, perſuaſio, præſentia, conſuetudo, familiaritas, eſt demum ipſe homo ſibi, vt inquit Mich: c. 7. domeſticus maximè inimicus, qui ſiue videat, ſiue audiat, ſiue odoretur, ſiue guſtet, ſiue tangat, ſiue vtatur mente, aut phantaſiâ, ſiue vigilet, ſiue quieſcat, ſiue poſtremò nihil faciat, ſed tantùm viuat in carne ac cuiuſcunque ſit ætatis, experientiæ, virtutis, perfectionis, ſanctitatis ſemper poteſt ac debet timere ſeipſum tanquam capitalem hoſtem caſtitatis.

34. Hoc videtur in causâ fuiſſe, cur non niſi poſt aduentū

Chri-

Digitized by Google

Chriſti, virtus hæc mundo ſe conſpicandam præbuit, præuidebat enim quaſi ſe à tot hoſtibus omnino ſuperatum jri, cõtra quos expectabat ſuppetias à Duce è cœlo miſſo, Chriſto, copiam videlicet gratiæ, hoc aureo ſæculo, vnà cum illo fluentis deriuatam.

35. Hac abundantiâ gratiæ, cauta religioſi prudentia, nixa, horrebit omne, quod vel continet, vel ſapit impuritatem, neque feret, plus potuiſſe aliquando, aut poſſe etiamnum in quibuſdam naturam, quàm gratiam, hoc eſt plures & longè faciliùs putabit caſtos fieri poſſe à tantâ, quanta jà eſt abundantia gratiæ, quàm à naturâ ſine vllo, aut modico gratiæ auxilio. Aldrouandus in libro de naturâ & moribus auium ſcribit Porphirionem quandam auem adeo eſſe jmpuritatis inimicam, vt deprehenſo ſagaciter mulieris adulterio ſuſpendat ſe, ſcorto etiam conſpecto expiret. Alexander magnus in epiſtola ad Parmenionem, (vt in vita ejus referunt Plutarchus, Curtius, alijque Hiſtorici) ita in hac materiâ ſcribit: *Ego tantùm abeſt vt viderim Darij vxorem, vt ne ſermones quidem de elegantiâ ejus referentium admiſerim.* Eidem Parmenioni injunxit, vt aliquot milites, ob vim fœminis illatam, tanquam beſtias ad hominum perniciem natas, ſupplicio tolleret. Multò maius odium contra impura quæque concitabit gratia in pectore Religioſi, quàm fuit hoc à ſolâ naturâ in volatili irrationali, & à modicâ gratiâ in Ethnico, neque enim viribus naturæ arduam virtutem cõſequi potuiſſet, vt tenent Theologi explicantes S Thomã 1. 2. q. 109. art: 4. Eadem gratia ſagaciſſimam ſuggeret cautelam, qua vitentur vel modicè periculoſa in cogitando, loquendo, agendo, fugiendoque eos, quos Chriſtus ſequentibus ſe ſuaſit relinquendos, nempe Patrem, Matrem, fratres, propinquos, amicos, cæteroſque, qui vel palam virtutem hanc impugnant, vel aſtutiâ mundi, honeſta præſeferendo, blandè propinant venenum. Denique gratia

tia Chriſti dabit (petentibus videlicet & acceptantibus) religioſæ vitæ cultorib⁹, prudẽtiã eam, quæ præcipiat accuratiſſimè ſeruanda omnia in quouis ordine ad tuendam inuiolatè caſtitatem, præſcripta, quæque judicet, tam eſſe nunc cum tot donis & efficacibus adjumentis difficile labi, uotoq; vim inferre, quàm fuit difficile ſæculis ante Chriſtum præteritis caſtum eſſe, facile verò carni gerere morem. Hoc videtur promiſſum Eunuchis Iſai illo, c. 16. *Adducam eos in montem ſanctum meum: & lætificabo eos* (jucundiſſimâ videlicet caſtè viuendi facilitate) *in domo orationis meæ* (Clauſtrorum nempe religioſorum,) *holocauſta eorum* (carnalis ſcilicet voluptatis, caſtitate perdomitæ, & quaſi mactatæ) *& victimæ eorum placebunt mihi ſuper altari meo*: quod Altare non incongruè ſolida conſtansque intelligi poteſt mortificatio carnis, ſenſuum & appetituum, in tali quippe altari mactatur voluptas, vt licet in carne ſentiatur, conſenſum tamen minimè referat. Sunt innumeræ aliæ laudes præclaræ hujus virtutis quæ recenſebuntur infra cap: 15.

Sectio Decima.

Abnegandum eſt Religioſis judicium voluntasque propria.

36. SUpereſt vt de eo dicatur quod tertio loco Saluator ſuis ſeruis ſuadet relinquendum, id verò vt præcedentibus duobus præſtantius eſt, ita factu longè difficillimum. Diuitiæ, ac mundi opes ſunt & externæ nobis, & materiæ concretæ: voluptas ſenſûs inferiorem partem afficit hominis, hoc tertium omnem materiam ſenſumque excedit, & in eo reſidet, quod eſt in homine ſummum, in intelligẽdi nimirum, & volendi potentiâ. Pro-

Digitized by Google

Proprium igitur judicium & ſua propria voluntas, tertio loco per obedientiæ votũ relinquenda ſunt ſequenti Chriſtum, qui teſtante S. Bernardo, adeò illi fuit addictus, *vt ne perderet obedientiam perdidit vitam, factus nimirum obediens vſq; ad mortem, mortem autem crucis.* Philip: 2.

Sectio Vndecima.

Obedientiæ inſignis præſtantia.

DUO autem ſunt quæ hujus virtutis & dignitatem cõmendant & augent difficultatem. Primum jam tactum eſt ex parte, quòd illa non ſenſum, aut appetitum, corporiſque aliquam partem exigat, ſed ſupremas hominis facultates. Et licet aliæ quoque virtutes morales intellectu ac voluntate egeant, (neque enim virtus poteſt eſſe, niſi hæ duæ potentiæ, quâ cognoſcendo, quâ appetendo ſpiritualem honeſtatis rationem, ad eam aliquomodo concurrant, vt ſupra c. 1. dictum eſt) peculiari tamen ratione vtramqne hanc facultatem obedientia ſibi vẽdicat.

Jd colligo ex S. Thoma 2. 2. q. 104. art: 3. vbi ita lo- 37
quitur: *Inter virtutes morales, tanto aliqua potior eſt, quantò aliquis magis aliquid contemnit, vt DEO inhæreat. Sunt autem tria genera bonorum humanorum, quæ homo poteſt contemnere propter Deum, quorum infimum, ſunt exteriora bona, medium autem ſunt bona corporis, ſupremum autem, ſunt bona animi, inter quæ quodammodo eſt præcipua voluntas, in quantùm ſcilicet per voluntatem omnibus alijs bonis homo vtitur. Et ideo per ſe loquẽdo, laudabilior eſt obedientiæ virtus, quæ propter Deum contẽnit propriam voluntatem, quàm aliæ virtutes morales, quæ propter Deum aliqua alia contemnunt.* Ex quibus verbis duo ha-

bentur: vnum, obedientiam præcellere omnibus virtutibus moralibus, eo quòd contemnat maiora quàm ſunt ea, quæ aliæ virtutes contemnunt, & eadem ſunt maxima bona quæ in humanis haberi poſſint. Alterum, cauſam huius excellentiæ eſſe propriæ voluntatis contemptum. Cùm verò ad hunc contemptum plurimùm cõferat, & omino neceſſarius ſit judicij proprij contemptus (neque enim voluntas præcipienti parebit, ſe ipſum contemnendo niſi judiciũ cenſeat parendum, ſe etiam ipſum per contemptum quendam jubenti ſubijciendo) hinc eſt, vt tam intellectùs, quàm voluntas, ita ſeruiant obedientiæ, vt debet obiectum, ſeruire, ac referri ad proprium habitum. Quare Jgnatius Fũdator Societatis noſtræ, qui in obedientiæ virtute ſummam perfectionis Religioſæ poſitam eſſe voluit, tria ad illam requirit 3. parte Conſtitutionum c. 1. §. 23. ſunt hæc illius verba: *Expedit inprimis ad profectum, & valdè neceſſarium eſt, vt omnes perfectæ obedientiæ ſe dedant, ſuperiorem quicunq; ille ſit, loco Chriſti Domini agnoſcentes, & internâ reuerentiâ, & amore eum proſequentes, nec ſolùm in executione externâ eorum, quæ injungit, integrè, promptè, fortiter, & cum humilitate debitâ, ſine excuſationibus obedient, licet difficilia & ſecundùm ſenſualitatem repugnantia jubeat, verùm etiam conentur interius, reſignationem, & veram abnegationem propriæ voluntatis, & judicij habere.*

18. Cùm ergo tam excellens ſit hæc virtus, difficillimam quoque neceſſe eſt eſſe, pulchra enim ſemper ſunt difficilia vt dicebant veteres. Quapropter reperti ſunt nonnulli ex Ethnicis, qui diuitias contempſerunt, fuerũt etiam virgines caſtitate, ſaltem quoad externum actum illuſtres, qui ſponte jugum obedientiæ ſuſceperit, non legimus vllum: jmò & nunc inter aſcetas, ac religioſæ vitæ cultores, multò facilius eſt inuenire, qui rigidæ paupertatis & caſtitatis integræ ſint obſeruantes, quàm qui judicium, ac voluntatem propriam exactè abnegent.

Cuius

Digitized by Google

Cujus rei cauſa afferri poteſt ex S. Bernardo ſerm: de præcepto & diſpenſatione, quòd illæ virtutes certam, ac definitam materiam homini præſcribant debitè vſurpandam, vel abdicandam, paupertas nimirum, opes, caſtitas, voluptatem carnis, at obedientia, ad omnia latiſſimè ſe extendit, ſiue quæ in homine ſunt, ſiue quæ extra ipſum, ſiue parua & facilia, ſiue magna & difficilia illa ſint. Quemadmódum autem plures ſunt, qui vno quopiam talento naturæ pollent, quàm qui ad multa ſint & magna nati, ita inter virtutes facilior eſt adeptu illa, quæ determinatam ſibi vendicat operandi materiam, eamque nobilitate inferiorem quā quæ latè & per multa ſe diffundit, altioresque & nobiliores moderatur operationes. Talis eſt obedientia teſte S. Bernardo: *Perfecta,* inquit ille *obedientia legē neſcit, terminis non arctatur, nec contenta anguſtijs profeſſionis, longiori voluntate fertur in latitudinem caritatis, & ad omne quod injungitur ſpontaneo vigore liberalis alacriſq; animi motu, non conſiderans in infinitam libertatem extenditur.*

Alterum vnde huius virtutis metienda eſt præſtantia, 39
Chriſti continetur teſtimonio, qui Joan: 14. tale protulit elogium obedientiæ: *Si quis diligit me ſermonem meum ſeruabit* Summam Chriſtianæ pietatis perfectionem in amore Dei, ſitam omnes nouimus, Domino Matth. 22. atteſtante: *Hoc eſt maximum, & primum mandatum.* Si igitur is qui ſermonem eius ſeruat, ſiue ipſo præcipiente, ſiue homine, ipſius loco (nam & hos tanquam ſe audiendos mandat Dominus Luc: 10 *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit*) ſi, inquam, is qui obedit Deo diligit eundem & maximum ac primnm impìet mandatum, maximam & primā poſt dilectionem Dei neceſſe eſt eſſe obedientiam, tanquā proximum ad illā conſequendam medium, ſicut ad attingēdam metam, brauiumque accipiendū curſus, tanquam proximum medium jure cenſetur, cætera, vt pedes, ſpatium

per

per quod curritur, tanquam remotiora habentur. Facile cōijcere poſſumus cur tantū tribuerit obedientiæ author, & Magiſter illius Chriſtus, cùm enim omnibus mandatis eius aliud non præcipiatur quàm virtutum honeſtæ actiones, atque adeo ipſe etiam bonitatis eius diuinus amor, profectò obediens omnes virtutes, & reginam illarum Dei dilectionē aſſequetur ominò, cùm hoc ſit eius ſtudium, hic labor & finis, præceptum exequi, & in præcepto contentam omnē conſequi honeſtatem. Quare licet non neceſſe eſt effici, vt is, qui in religione pauper aut caſtus eſt, ſit etiam obediens, quod paulò ſuperius n. 37. eſt dictum, à contrario tamen, perfectè obediens, & pauper, & caſtus, & humilis, & mitis, & temperans, & deuotus, vno verbo omnium virtutum erit amator, ſi enim vel vnam oderit, aut neglexerit, ſermonem Chriſti non ſeruat, neque erit vere obediens. Hoc eſt quod S. Gregorius deprædicat in obedientiâ vltimo moralium c. 12. *Obedientia ſola virtus eſt quæ cæteras, virtutes mēti inſerit, inſertasq́ꝫ cuſtodit.* Quod dictum interpretatur S. Tom: 2 2. q. 104. art: 3. ad 2. *Ad obedientiam*, inquit, *pertinent omnes actus virtutum, prout ſunt in præcepto, aut*, vt art: 5. ad 3. docet: *pro vt ſunt in conſilio.* Jn quantùm ergo actus virtutum, operantur cauſaliter, vel diſpoſitiue ad earū generationem, & conſeruationem, in tantum dicitur quòd obedientia omnes virtutes menti inſerit, & cuſtodit.

40. Accedit & illud, quod ad maiorem obedientiæ ſpectat commendationem, quodque eam adeò vniuerſalem eſſe, lateque oſtendit per omnia diffundi, vt non ſolùm omnium aliarum virtutum actiones, ſint ipſius materia atque obiectum, ſed etiam id, quod in ſua ſpecie indifferens eſt, vt laborare, quieſcere, edere, abſtinere, currere, ſedere, jacere, dormire, & ſexcenta huiuſmodi, quæ cùm vt talia, nullius ſunt materia virtutis moralis, obedientia ea amplectitur, ſuâque condecorat honeſtate, & ad ſuum tanquam

pro-

proximum refert finem, in quo alijs præcellit virtutibus moralibus. Virtutes enim aliæ pauca admodum indifferentia ad ſuam trahunt honeſtatem, tanquam proximum, finem, vt temperantia vſum cibi & potûs, fortitudo laborẽ in pugnâ, ac dolorem, & ſic de alijs virtutibus quæ habent definitas materias: *Obedientia*: inquit S. Thom: 2. 2. q. 104. art: 5. ad 3 *quid vis aſſumit, modo culpæ ſit expers, ſiue illud præcipiatur, ſiue quod perfectius eſt, conſulatur ſolùm, in quo aſſimilatur charitati diuinæ. Hæc enim vt legimus* Jn Cor: 13 *eſt benigna, patiens, non agit perperam, omnia ſuſtinet, quiduis non honeſtum modo, ſed etiam indifferens, ad DEVM referre poteſt.*

Hac de cauſa S. Tom: Quæſtione proximè citatâ, articulo tertio in corpore, præfert obedientiam omnibus virtutibus moralibus, eo quòd nulla, ita vicina ſit atque eſt illa charitati, neque putat, vllam eſſe aliam virtutem, cui ſit obedientia inferior, præter tres Theologicas, propterea quod hæ in vltimum finem DEUM proximè ferantur, cùm obedientia remotius, ac velut famula illarum mediũ-que, eidem deſeruiat fini. Docet inſuper, omne meritum, ſi- 41'
cut à charitate tanquam à fundamento eius, ita ab obedientiâ quoque pendere, tanqam ab illâ quæ eſt proxima Charitati, & cum ſine aliqua aliarum virtutum, poſſit eſſe Charitas, vt ſine virginitate. V. G. ad quam non omnes tenẽtur, aut ſine alia quapiam, à ſolâ obedientiâ nequit ſeperari. Aſſerit demum, nihil DEO placere poſſe, pæſertim vt æternam promereatur vitam, niſi proficiſcatur ab obedientiâ: *Quæcunque*, inqnit, *alia virtutum opera ex hoc meritoria ſunt apud DEVM, quòd fiant vt obediatur voluntati Diuinæ. Nam ſi quis etiam Martyrium ſuſtineret, vel omnia pauperibus errogaret, niſi hæc ordinaret ad impletionem Diuinæ voluntatis, quod rectè ad obedientiam pertinet, meritoria eſſe non poſſent, ſicut, nec ſi fierent ſine charitate, quæ ſine obedientiâ eſſe non poteſt.*

Ex his clarè patet quid de hac præſtantiſſima virtutũ prudentia religioſa ſentire debeat, & quantùm in ea conſequendâ cenſeat laborandum, quandoquidem eius præſentia, omnium aliarum virtutum, quæcunque neceſſariæ aut congruæ ſunt, poſſeſſionem præbet.

42. Et cùm ſupra n. 23. in conſilio Chriſti Matth: 19. & 16. alterum quod relictis omnibus facere debeant regilioſi, vidimus eſſe abnegationem appetitionum, & propriarum voluntatum per contrarias illis virtutes, tantò obedientia in maiori habenda eſt pretio, magiſque colenda, quantò ad omnes prorſus virtutes (quas DEUS aut homo vices eius gerens præcipit, vel conſulit) eſt medium certiùs, atque efficacius. Quemadmodum enim nulla eſt virtutum quæ à DEO vel homine eius voluntatem declarante non præcipiatur, aut conſulatur, ita nulla eſſe poteſt quæ non accepta feratur obedientiæ.

Huic virtuti qui addictiſſimus eſt, experietur in ſe quod Salomon: Prouerb: 21. *Vir obediens loquetur victorias*, nam virili, hoc eſt magno & conſtanti, animo aggredietur ſuas affectiones, nec deſiſtet, quoad plenam de ijs referat victoriam per egregias & ſibi (in quocunque ordine aſcetico ſe exercenti) congruas virtutes. Erit qui pro qualitate ſui ſancti inſtituti rigorem conſectatur paupertatis, pauperrimus, qui pſalmodiæ choroue alligatus eſt, attentiſſimus, & deuotiſſimus: qui jejunijs, vigilijs, & caſtigationi corporis deditus eſt, vigilantiſſimus, ac obſeruantiſſimus, qui proximorum ſaluti ac perfectioni vacat, Zelantiſſimus & indefeſſus: omnino qui perfectè obediens eſt, omnium virtutum, quà propriarum ſibi, quà cæteris communium, erit arca & ditiſſimum repoſitorium.

Sectio 12.

Digitized by Google

Sectio Duodecima.

Quæ ſit Crux Religioſorum?

HAbebit tandem & illud, quod ſequacibus ſuis præcepit Saluator Matth: illo c. 16. ad omnia iam explicata addendum, tanquam id, quo deficiente reliqua conſiſtere nequeant, vt nempe tollat crucem ſuam. Quanta verò hæc ſit crux, & quot laborum dolorumque ferax, explicat S. Auguſtinus Tom: 1. in epiſt: 89. vbi comparat, imò præfert vitam religioſam Martyrio, propterea, quòd Martyres, vt conſequantur perfectionem amoris Dei, relinquunt omnia ex neceſſitate, religioſi vltro, quanquã, quia inſigniter Martyres ſe vincunt ſanguinem effundendo, ſupplent illam neceſſitatis notam. Sic de hoc S. Auguſt: *Multi, quos rerum ſuarum venditione piguerat ante perfici, Chriſti imitatã paſſione, ſunt repente perfecti:* ſubdit deinde id quo vtroque magno præmio erigat, & eos qui neutros comitãtur, ſoletur. *Quibus autem non prouenit corona Martyrij, neq; illius perfectionis de vendendis rebus ſuis, conſilium tam grande, tãque præclarum receperunt, & tamen à damnabilibus immunes criminibus eſurientem Chriſtum pauerunt, ſitienti potum dederũt, & cætera, non ſedebunt quidem cum Chriſto ſublimiter judicaturi, ſed ad ipſius dexteram ſtabunt miſericorditer judicandi.* 43.

Ex hoc S. Auguſt: teſtimonio ſumat religioſi cuiuſque prudentia, menſuram crucis, ac tolerantiæ, patetque ſi perfectus eſſe velit, tantũ n ſibi agendum & patiendum, quantũ n Martyres ſolent, imò plùs, quia longiùs, & à pluribus, cùm Martyri Tyrannus, & hoſtes fidei ſint timendi, religioſo autem tot, quot ſunt aduerſarij omnium præſtantiſſimarum virtutum, & ipſius religioſæ vitæ. Jllud etiam ex eodem Sancto Patre epiſt: 137. pro certo habendum, ſi la- 44.

Digitized by Google

boni curæque parcatur, indulgendo otio, ac deſidiæ, fugiendo difficultates, oſcitanter & perfunctoriè agendo omnia, demum ita viuendo vt veluti caſu & fortuito expectetur vētura perfectio: hæc ſi ſint, virtus & ſanctitas Religioſa ſubinde periclitatur, & timendum ne eò demum perueniatur, quòd authoritas S. Auguſtini ſuadet credendum Tom: illo 1 epiſt: 144. *Simpliciter* (loquitur ille) *fateor coram Domino DEO noſtro, ex quo ſeruire DEO cæpi, quòd difficile ſum expertus meliores, quàm qui in monaſterijs profecerunt, ita non ſum expertus peiores, quàm qui in monaſterijs ceciderunt, ita vt hinc arbitrer in Apocalyp: c. 22. ſcriptum: Iuſtus juſtior fiat, & ſordidus ſordeſcat adhuc.* Hæc prudētia religioſi timēda proponit, quæ ne eueniant, crucem magnorum laborum & dolorum ferendam cenſet, idque pro eius amore ac reuerentiâ, quem ſingulari Dei inſtinctu & gratiâ, abiectâ mundi vanitate ſequendum ſibi quiſque judicabit.

Sectio Decimatertia.

Quæ prudentia præditi eſſe debent Cælibes?

45. RELigioſorum deſcriptâ prudentiâ, reſtat cælibum & conjugatorum breuius expedienda, tanquam eorū, qui minùs perfectam ducunt vitam. Et Cælibum quidem mens eò ferri debet, *vt ſciant vas ſuum*: quemadmodum præcipit S. Paulus 1. Theſſ: 4. *Poſſidere in ſanctificatione & honore.* Præclara virtus eſt caſtitas, vt conſtat ex ijs quæ de religioſorū caſtitate dicta ſunt, multò verò præclarior, ſi voto firmetur, ſicut & quoduis aliud opus, DEO gratius eſt, nobiſque plus meretur, ſi ex voto fiat, id quod docet communi Theologorum ſenſu. S. Thom: 2 2. q. 88. art: 6. ſecutus S. Auguſtinum, qui lib: de Vir: ita loquitur: *Neque*

que ipſa virginitas, quia virginitas eſt, ſed quia DEO dicata eſt honoratur, quam fouet & conſeruat continentia pietatis. Ex quo ſumit vnam huius doctrinæ D. Thomas rationem: *Vouere,* inquit, *eſt actus latriæ, quæ eſt præcipua inter virtutes morales, nobilioris autem virtutis, eſt opus melius, & magis meritorium: vnde actus interioris virtutis eſt melior & magis meritorius ex hoc, quòd imperatur à ſuperiore virtute.* Hæc S. Tomas, Cuius ea mens eſt, vt quoties aliquid boni agimus, quod ſuâ naturâ ignobilius eſt, virtute religionis (qualia ſunt jejunia, eleemoſynæ, continentia, caſtitas, & ſimilia) melius vt votũ illi adnectere, à quo præſtantiam & maiorem merendi vim, vt pote à virtute DEO gratiore, ſortitur. 46.

Sectio Decimaquarta.

Votum facit opera DEO gratiora.

DAT aliam eiuſdem ſententiæ cauſam magis vniuerſalem, cùm prior ignobilioribus duntaxat, quàm eſt latria operibus ſuadeat melius eſſe adjungere votum: alia ergo cauſa eſt: *quia ille,* inquit, *qui vouet aliquid & facit plus ſe DEO ſubijcit quam ille qui ſolum facit. Subijcit enim ſe DEO, non ſolùm, quantùm ad actum, ſed etiam quantùm ad poteſtatem: quia de cætero non poteſt, aliud facere: ſicut plus daret homini qui daret ei arborem cum fructibus, quàm qui daret ei fruct' tãtùm.* Ne autẽ quis ex hac ſubjectione putaret, ſequi neceſſitatẽ faciendi aliquid boni contrariã hilaritati, quàm vt eſt, 2. Cor: 1: diligit DEVS, occurrit S. Doctor, eſſe quidem in vouente neceſſitatem, cæterùm non ſeruilis coactionis, quæ inimica eſt hilaritati, verùm ſpontè, & vltro oblatæ pie voluntatis, quæ & deuotionem augeat, & in DEO eiuſque obſequio, firmet animum. Similis neceſſitas eſt 47.

Digitized by Google

in conjugibus ſibi mutuam ſpondentibus fidem, quam nemo dicet eſſe ſeruilem coactionem, ſed beneuolam, amicamque promiſſionem & talem, qua multò gratior, & firmior redditur conuictus conjugalis, quàm ſine eâ.

Itaque cælibes gratiùs DEO, & ſibi vtiliùs viuunt, ſi ex voto ſunt continentes, ſed licet hoc abſit, ſolumque ſit, ita viuendi propoſitum, conſtantiam ſemper teneant, caueantque prudenter, ne (quod hoſtis caſtitatis, impurus Dæmon nonnullis perſuadere ſolet politicis) ſpecies, & forma continentiæ laxet libidini fræna: quibus multò laudabiliùs eſſet, legibus aſtringi Matrimonij, quàm nullà lege teneri, ſed vagè, ac impudenter more beſtiarum commiſceri.

Sectio Decimaquinta.

Quæ prudentia eſt propria conjugum?

48. MUlta alia huius vitæ ſectatoribus, communia eſſe poſſunt cum conjugibꝰ, & alijs de quibus iam poſtremò eſt agendum. Conjugum verò quæ debeat eſſe potiſſima cura, vt, quod monet S. Paulus ad Epheſ. 4. *dignè ambulent vocatione ſuâ*, idem eadem epiſtola c. 5. diſertè poſuit agens de hac ipſa re: *Erunt duo,* (inquit Apoſtolus) *in carne vna, Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & Eccleſia.* Quid his verbis velit à conjugibus, facile eſt deprehendere, nempe debere illos mutuò ſibi id, quod inter Chriſtum ſeruatur & Eccleſiam, vt Sacramentum myſticam retineat cum ipsà re congruentiam, ac concordiam, quam clare exponit S. Paulus eodem loco: *Mulieres viris ſuis ſubditæ ſint ſicut Domino, quoniam vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ, Viri diligite vxores veſtras, ſicut* Chri-

Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro eâ vt illam ſanctificaret.

Ab vxoribus inprimis exigit ſubiectionem cum reuerentiâ & fide in contractu Matrimonij promiſſa, huiuſmodi enim ſubiectionem, Eccleſia debet & reddit ſponſo ſuo Chriſto in Baptiſmo ſuſceptam. Deficit hæc ſubiectio, ſi vxor talis ſit, qualem depingit Eccleſiaſticus c. 25. *Non eſt caput nequius ſuper caput colubri, & non eſt ira ſuper iram mulieris, commorari leoni & draconi placebit quàm habitare cum muliere nequam.* Multa in hunc ſenſum congeruntur illo loco, quæ oſtendunt grauem eſſe viro pœnam, continuamque vt ibidem eſt, cordis plagam, irreuerentiam ac confuſionem, ſi mulier ſit ſui impotens, viroque rebellis. Satis exprimitur plaga hæc cordis, quando leonis ac Draconis immaniſſimi iræ præfertur litigioſa mulier. Eadem vltra dictam plagam cordis, magnum etiam rei domeſticæ affert damnū cùm ipſo Dei teſtimonio, omnia putreſcere, ruere, ac diſſipari oportet, vbi litigioſa habitat mulier, Prouerb: 27. Tecta perſtillātia in die frigoris, & litigioſa mulier comparantur *qui retinet eam, quaſi qui ventum tenet.* Ad hæc ſubiectio iam nominata deerit, ſi vxor ſit ſimilis illi mulieri, de qua habemus Proueb: 7. *Præparata ad capiendas animas, garrula, & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo conſiſtere pedibus ſuis,: Nunc foris, nunc in plateis, nunc juxta angulos inſidians, & procaci vultu blanditur dicens: veni non enim eſt vir, in domo ſuâ abijt viâ longiſſimâ.* Talem fæminam non iam draconi, ſed morti & inferno ibidem aſſimilat Spiritus Sanctus cùm in causâ ſit vt crebrò mariti de vitâ, amaſij de ſalute animæ periclitentur: *Viæ*, inquit, *inferni domus eius penetrātis in interiora mortis.* Diſſimilis talibus licet Dei veri ignara fuit Attilia vxor Catonis minoris, de qua ſcribit Plutarchus in Catone, Cùm enim Maritus eius in Macedoniam proficiſceretur, adeo grauatè futuram tulit eius abſentiam, cui præſenti concordem ſubiectionem, & caſtam fidem di- 49.

dicerat ſeruare, vt oportuerit Munatium amicum vtriuſq; ſpondere, ſe fore pro illà ſocium, & teſtem, ſui deſiderij. Jta enim dolentem ſolatus eſt: *Bono ſis animo ego tibi Catonem tuum cuſtodiam.* Profectus Cato Munatio dicere ſolebat: *Agedum Munati promiſſa Attiliæ perficias, neque interdiu, neque noctu, à me tibi diſcedendum erit.* Vtinam omnes huic ſint non abſimiles conjuges Chriſtianæ, ita maritis conuiuendo, vt & ſemper illis præſentes eſſe cupiant, & apud eoſdem cùm abfuerint teſtes relinquant, indices mutuæ cõſtantiſſimæ voluntatis.

50. Huiuſmodi conjugem depinxit Ariſtoteles lib. 2. Oeconomicorum c. 10. præſcribens aliquot leges, quas proba debet ſeruare mulier. Prima eſt, vt non ſit familiaris extraneis, verita maximè verba, quæ de mulierũ corruptela circumferuntur. 2. Sumptus in dies feſtos victum, ac veſtitum, eos faciat quos vir permittit, conſiderans quòd nec veſtimentorum nitor, nec excellentia formæ, nec auri magnitudo, tantùm valet ad mulieris laudem, quantùm modeſtia in rebus, ac ſtudium honeſtè viuendi. 3. Jn omnibus parere viro contendat, exiſtimans mores viri, eſſe legẽ ſuæ vitæ impoſitam ſibi à DEO, quos ſiquidem æquo feret animo, perfacile reget domum, ſi contra, difficilius. Quapropter docet non ſolum in proſperis rebus, ſed etiam aduerſis vnanimẽ ſe viro præſtare, & inſeruire velle, niſi fortè turpe aliquid, & indignum vir mandet. Jdem Ariſtoteles eodem lib: cap: 2. dat leges maritis quæ quia dignæ ſunt notitia fidelium, annectam prioribus.

51. Prima jubet omnem curam adhibere circa conjugem, vt ſit optimis moribus. Secunda vt ſuæ conjugi ſeruet fidem tori, tantò enim magis illa ſtudebit ſe fidem ei exhibere, quantò magis cognouerit ſe fideliter & juſtè à viro diligi & honorari. Tertia appropinquandum vxori, cum magna temperantià, atque modeſtià, ſitque pudor in verbis, in operibus verò honeſtas. Quarta parua peccata, etſi

volun-

voluntaria condonet, ſi quid verò per ignorantiam commiſerit, commonefaciat, nec metum incutiat, ſine verecundiâ & pudore, hæc enim meretrices ac mæchos pati decet. Tandem c. 4. dat leges vtriq; conjugum communes. Prima eſt vt vir & vxor in ijs, quæ improba ſunt, & impudica nequaquam ſibi inuicem conſentiant. Secunda vt vir parentibus, & amicis vxoris ſuæ proſit, è contra verò mulier viri parentibus. Hæc Philoſophus quæ non ideo ex illo ſumpſi, quaſi eadem, aut longè præſtantiora, fides non ſuggerat Chriſtianis, ſed vt habeant vnde confundantur, ſtue hæc conſeruent quæ Ethnicus homo ſeruanda cenſet. Ad S. ergo Paulum reuertamur, qui à viris requirit, vt diligant ſuas vxores, eoque affectu ferantur in illas, quo Chriſtus in Eccleſiam, cui vt ſeruaret fidem, conſtantemq; amorem, amiſit vitam. Memor huius ab Apoſtolo datæ cõparationis, Vir ſeu maritus bonus non longiorem fide maritali, habebit vitam. Et tempus quidem edax rerum, ætatem, formam, mores, valetudinem, fortunam, cæteraque corruptelæ obnoxia, in conſorte mutare poteſt: illæſam tamen in eo coniugalis amoris relinquet conſtantiam, qui in ſe referre volet prout debet, Sponſum Eccleſiæ Deum Ab hoc procul aberunt jurgia in quotidianis congreſſibus, neglectus in ægritudine ac egeſtate, cauſæ quæſitæ diuortij, tori violatio, inſidiæ vitæ, & demum illa omnia, quæ pios conjuges ad extremam, & meritò (quando hæc patiuntur) reducunt anguſtiam.

Tam mariti quàm vxores erunt, quales eſſe debent, ſi eâ ducantur prudentiâ, quæ oſtendat ſeruandum eſſe, quod in duobus conjugibus prædicat Spiritus Sanctus Luc: 1. *Erant*, (Zacharias nimirum & Eliſabeth) *juſti ambo ante Deũ, incedentes in omnibus mandatis, & juſtificationib⁹ ſine querela*. Primum quod laudatur eſt juſtitia; & ſanctitas, quæ diuinis placet oculis, vt quoniam Matrimonium Sanctiſſimæ rei, vnionis videlicet, in Chriſtum & Eccleſiam, eſt Sacramen- 52.

tũ,

tum, ſeu myſticum ſignum, ſanctè à conjugibus & iniri, & tractari debet, cui ſi aliquid profani, aut inhoneſti fuerit admiſtum, vt faciunt, qui effræni libidini contra rationē, & honeſtatem morem gerunt, Chriſto & ſponſæ eius dedecoris notam inuri oportet. Alterum quod in illis conjugibus fuit laude dignum eſt, incedere in mandatis Diuinis ſine querela, reddendo in primis ſibi mutuo id, quod debent, fidem, amicitiam, opem, & in his omnibus conſtantiam, ita vt nulla vtrinque juſta poſſit eſſe querela: deinde eandem præcauendo in prole, vt & hæc non habeat querendi de parentibus neceſſitatem, habebit autem, ſi nō præſtantur à parentibus illa, quæ in prudentiâ parentum, œconomicâ c. præcedenti à n. 29. ad 31. ſunt notata. Hæc omnia tenenda ſibi nouerit prudentia conjugatorum, qui ita viuere volunt, vt dignè rei tantæ ſymbolum eſſe poſſint, quanta eſt Chriſtus Filius Dei, & Eccleſia ſancta, ab æterno ab ipſo electa, & æterno amore copulata illi ſponſa.

Sectio Decimaſexta.

Quæ prudentia omnibus communis eſt.

Quod tandem ad prudentiam attinet eorum qui ex aliquo dictorum viuendi genere, nullum certum
53. amplexi ſunt, ſed illud expectant, aut certè (vt aliquid in fine dicatur quod pluribꝰ ſeruiat) jā elegerunt, non quidē ſequēdo Chriſti cōſilia, verùm cōmunē viuēdi rationē, quā mandatorum Dei appellare ſolemus, aliud per hoc non intelligentes, quàm vt ſeruentur Diuina juſſa legeſque, ſiue quæ aliquid mali prohibent, vt eſt infidelitas, blaſphemia, hæreſis, deſperatio, ſacrilegium, homicidium, furtū, adulterium, fornicatio, ſtuprum, inceſtus, maledictum, de-

tractio

tractio, ebrietas, & ſimilia: ſiue quæ jubent quidpiam, qualis eſt fides, ſpes, charitas, cultus Dei, pietas in parentes, juſtitia in omnes, & cetera his ſimilia, quæ ſi ſint grauia, mortaliſque peccati contineant materiam ſub æternæ vitæ irreparabili damno prohibentur, aut præcipiuntur, ſin verò leuiora fuerīt, peccati venialis trāgreſſorē faciūt reū, hic, aut in purgatorio puniendi. Hoc poſteriori modo ſeruare Dei præcepta vitando, ſcilicet culpam venialem perfectius eſt, quàm ſi à culpâ tantùm abſtineatur letali. De talibus ergo agendo, illud in commune ſtatuendum, qui ita fuerit Diuinis addictus mandatis, vt parua quoque vitet delicta, hic in ſtatu ſuo imperfectiori, nempè mandatorum Dei perfectus erit. Quod ſi ad hæc adijciet, & illud, vt conſilijs etiam det locum, non quidem ſequendo Chriſtum, ſed ea præſtando, quæ ſub nullo injunguntur peccato, verùm tāquam meliora, & maiora ſuadentur bona, vt eſt copioſior eleemoſyna, frequentior Sacramentorum vſurpatio, oratio longior, iejunia crebra, corporis caſtigatio ſponte ſuſcepta, abſtinentia à thoro conjugali (quemadmodum conſulit S. Paulus 1. ad Corinth: c: 7.) ad tempus vt vacetur orationi, & id genus alia, longè is, qui hæc agit in communi etiā viuendi ratione, perfectior erit eo, qui ſolùm vitando peccata ſeruat mandata. Hæc omnia prudentia iſtiusmodi hominum noſſe debet, & ab ijſdem exigere, ſi ſalui & inſuper perfecti in ſuo ſtatu eſſe velint.

Quod facilè illi inprimis habebunt, qui ſaluti duntaxat conſequendæ ſtudent perfectioni non item, ſi ſummam injuriam reputent Creatoris Domini, ac judicis ſui Dei, Sāctiſſimæ eius refragari voluntati, morem gerendo ſuis, aut iniquorū hominum peruerſis animi cupiditatibus: id quod exaggerat, vt maximam indignatem S. Auguſt: tom: 8. *in Pſal:* 128. Deum ita cum peccatore loquentem inducens *jubet auaritia, vt mare tranſeas, & obtemperas, jubeo ego, ut ante oſtium tuum, ex eo quod habes, des pauperi, piger es ad faciēdū* 54.

ante te opus bonum: & ſtrenuus es, ad tranſeundum mare. Quia auaritia imperat, ſeruis, quia DEVS jubet, odiſti: & quid? cúm odiſſe ceperit, incipit velle criminari eos, à quibus audit bona præcepta, & velle per ſuſpiciones ſuas crimina quærere ſeruorum Dei qui nobis iſta dicunt, & ipſi non faciunt iſta.

Affert & cauſam S. Doctor cur ita criminentur: *Omnis,*
15. inquit, *malus ideo perſequitur bonum, quia non illi conſentit bonus ad malum: faciat aliquid mali, non objurget Epiſcopus, bonus eſt Epiſcopus, objurget Epiſcopus, malus eſt Epiſcopus: rapiat aliquid, taceat cui rapuit, bonus eſt, ſaltem loquatur, & reprehendat, etſi nō repetat, malus eſt.* Jta S. Auguſtinus arguit omnes, qui eò veniunt audaciæ, vt aliquid Diuinæ voluntati præferre non vereantur: pergit deinde fuſiùs idem explicando, declaratque conſilia pro alijs perfectionis ſtudioſis, quæ benignè inſinuat menti Spiritus S. ſcribens in Pſalmi 44. illa verba, *Adhæſit in terra venter noſter,* & per ventrem intelligēns homines carnales, qui terrena ſapiunt, & præferunt ſupernis, per os ſpirituales eminentioraque Eccleſiæ membra, eos nimirum qui altiore animi ſagacitate, ac prudentiâ, & & illa quæ DEUS vt Dominus præcipit, omnino facienda judicant, & quæ vt Pater atque amicus ſuggerit, piè acceptant. Atque hos tales putat S. Auguſtinus ſignificari illo libro Ezechielis c. 3. qui dulcis erat in ore, āmarus in ventre, *Quid hoc eſt,* inquit, *niſi quia præcepta ſumma quæ accipiunt ſpirituales, non accipiunt carnales. Vende omnia, & da pauperibus, quàm dulcis in ore Eccleſiæ ab omnibus Spiritualibus actio eſt, carnali cui dixeris; Fac hoc, triſtis à te recedit, ſicut ille Diues à Domino. Dediſti neſcio quid auri, & argenti, ventum eſt ad hunc articulum, vt niſi perdas fortè aliquod peccatum committas, dicitur tibi, perde pecuniam, ne perdas juſtitiam, tu autem contriſtatus, eligis magis amittere iliquid de juſtitia, quàm velle nummum de pecunia, in illis membris infirmus es, quales in ventre deputat Eccleſia.* Ex his S. Auguſtini diſcurſibus, prudentia Chriſti fidelium, vitam communem degentium lumen, normamq;

viuen-

viuendi eiuſmodi referet, vt cùm homo carne, ſpirituque conſtet, & vtrumque hoc, ad æternam deſtinatum ſit felicitatem, quâ nemo fruetur rebellis Diuinæ voluntati, ita putet obſequendum carni, eiuſque deſiderijs, vt ſpiritus, ac Dei Creatoris voluntas, primum ſemper teneat locum. Hoc illa lux, *quæ illuminat omnẽ hominẽ in mũdũ venientẽ.* Joã. 1. & vnus Magiſter JESUS Chriſtus Matth: 23. omnibus præcipit agendum, talique innitendum prudentiæ, quando dicit Matth: 16. *Quid prodeſt homini, ſi mundum vniuerſum lucretur, animæ verò ſuæ, detrimentum patiatur, aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua? Filius enim hominis venturus eſt in gloria Patris ſui, cum Angelis ſuis & tunc reddet vnicuiq; ſecundùm opera ei⁹.* Sufficiant hæc de prudentia, cuique ad honeſtè operandum neceſſaria, ad alias iam accedendum virtutes.

CAPUT XI.

Quid nomine Temperantiæ intelligendum ſit, & quantum illa homini præſtet.

DUO de hac virtute expedienda ſunt, vnum, quod iam titulo capitis huius compræhenſum eſt, alterũ in ſequentibus capitibus ponetur, vbi explicabuntur nonnullæ virtutes ad temperantiam pertinentes, quarum vſus frequentiùs occurrit in cõmuni viuẽdi ratione,

Sectio Prima.

Tria in homine per virtutes morales ſunt rectificanda.

1. PRæmittenda verò ſunt quædã, non pro hoc Capite tãtùm, ſed pro toto, hoc primo libro vtilia, in quo cõtendimus, vniuerſam virtutum moralium complecti honeſtatem. Ac imprimis ſciendum eſt tria eſſe in homine, quæ ſi rectè ad normam rationis fuerint compoſita, totus integrè perfectus, (quantum quidem, per virtutes acquiſitas eſſe poteſt) dicendus erit. Horum trium duo ſũt interna, externum tertium: ex internis alia ad rationem, & voluntatem pertinent, ad paſſiones appetitumque: reliqua externa, ſunt actiones, quæ per corporis expediuntur membra, Et rationem quidem prudentia perficit, voluntatem iuſtitia, appetitum temperantia, & fortitudo. Externas autem operationes, ornant virtutes illæ, quæ ad aliquam ex enumeratis, iam certa quadam reuocantur ratione, de qua dictum eſt in initio Capitis 6. Jta Clementia & Seueritas ad temperantiam ſpectant, moderando pœnam, & vindictam externa actione implendam, vt nec nimia ſit, nec remittatur debita. Alterum ex præmittendis eſt, quod licet tam ratio, quàm voluntas cooperentur omnibus virtutibus, quæ appetitum, externaſque moderantur operationes, (cùm enim ſint ſupremæ hominis facultates, reliquas inferiores ſibi ſubjectas, earumque actus, & habitus, regere debent) peculiares tamen aſſignantur virtutes, tam pro ipſa ratione, ac voluntate, quàm pro appetitu, & externis actibus, duplicem ob cauſam.

Prima, militat pro ratione, & voluntate, quòd nimirũ quædam virtutes ſint, adeò ſuapte natura excellentes, vt nonniſi præſtantiſſimis totius hominis potentijs, ſeruiant, illaſque ſolas perficiant: talis eſt Prudentia, & juſtitia; Jlla vim intelligendi, ſupremam in homine illuſtrat facultatẽ, hæc

hæc vicinam illi voluntatem exornat. Ad has virtutes, vis ſenſitiua imaginandi, atque appetendi, non concurrit, niſi ad ſummum ita, vt cooperatur corpus animæ, ſenſus intellectui, appetitus voluntati. Sicut tamen cooperando animæ phantaſia, & appetitus, nunquam intelligit, aut vult, ita eadem phantaſia neutiquam aſſequi poteſt, vt ſit prudens, aut appetitus, vt juſtè appetat, niſi fortè (vt dicũt Philoſophi) materialiter; hoc eſt tam phantaſia, quàm appetitus in idem fertur, quod judicat prudens ratio, & amat juſta voluntas, non tamen eodem modo, nimirum nõ prudenter, neque juſtè; prudenter enim & juſtè operari, excedit ſenſum, atque appetitum, id, quod fuſius in animaſtica demõſtrari ſolet. *Secunda cauſa*, ob quã nonnullæ virtutes, pro appetitu, externiſque actionibus deſignãtur diſtinctæ, à prudentia, & juſtitia, eſt difficultas peculiaris in quibuſdam paſſionibus, & operationibus externis, quæ per peculiares diminuenda, & rationi ſubijcienda, eſt virtutes.

Hoc ipſum vt intelligatur meliùs tertium eſt, quod hic præmitti debet, nempè appetitum eſſe duplicem concupiſcibilẽ, & iraſcibilẽ, in priore ſunt tres actus interni, quibus proſequimur bonum, primo amore, bonum ipſum expetendo, neque attendendo, quòd ſit abſens, vel præſens, deinde deſiderio, idem bonum abſens exoptando, tandem delectatione fruendo illo iam præſenti. Jn eodẽ concupiſcibili appetitu, ſunt tres alij actus, quibus deteſtamur malum bono oppoſitum: eſt imprimis odiũ, quo horremus ipſum malum, nihil interim cogitantes de abſentia eius, vel præſentia, eſt item fuga, qua malum deteſtamur abſens, demum triſtitiâ conturbamur propter præſẽtiam mali, præſertim ſi inſtet. Pari ratione dantur actus interni, in iraſcibili appetitu, qui hoc differt à concupiſcibili, quòd hic tendat in bonum, aut recedat à malo, aliud nihil in vtroque ſpectando, quàm ipſam bonitatẽ gra- 2.

tã, vel moleſtam malitiam; iraſcibilis inſuper arduam, tam in bono, quàm malo inuenit difficultatem. Itaque iraſcibilis appetitus primo actu ſuo, videlicet ſpe, appetit bonum abſens, quantumuis ſit difficilè obtentu, tum audaciâ fertur in idem, ſuperando difficultates, quibus ſuperatis, ſi tandem illud conſequitur, delectatur præſenti, perinde ac concupiſcibilis; neque enim præſens, & obtẽtum iam bonum arduum eſſe poteſt, vt circa illud ſit neceſſarius actus diſtinctus à delectatione. Circa malum vtitur eadem iraſcibilis potentia, tribus quoque actibus, deſperationis, eò quòd nequeat malum (adhuc quidẽ abſens) euadere, ob arduam in euadendo difficultatem; deinde timoris, quo cauetur idem malum, quaſi iam iã immine ns, demum iræ, ſi adſit iam præſens.

Iidem Actus tam iraſcibilis, quàm concupiſcibilis Appetitus, vocantur paſſiones, propterea, quòd tum, cùm excitantur, adeò afficiũt corpus, alterantque calore, frigore, & ſimilibus qualitatibus, vt meritò pati, ſeu paſſionem ſuſtinere dicatur. Hinc eſt, quòd ira deſcribatur à Philoſophis eſſe feruor, circa cor, timor, palor in facie, & ſic de alijs paſſionibus, non quòd iſte v. g. feruor ſit Actus, ſeu Appetitio iraſcibilis, ſed quia ad præſentiam appetitionis calor excitetur in corde, ſic de alijs.

3. Ex his omnibus Appetitûs actibus, & paſſionibus inde conſequentibus, illæ duntaxat peculiaribus egẽt virtutibus, quæ difficulter modum & regulam in certis materijs, à ratione præſcriptam poſſunt acceptare, cuiuſmodi eſt delectatio non quæuis (nulla enim eſt difficultas, in cohibenda delectatione & aſpectu v. g. ſolis, & idem judicium de ſimili delectatione) ſed ex tactu conſequens, quam moderatur temperantia. Poſſunt quidem, etiam aliæ paſſiones, vt Amor, deſideriũ, ſpes, & ſimiles, ad tactum ordinari amando videlicet, & deſiderando experimentum tactus, non eſt tamen in ijs tanta difficultas, quanta in ipſa

de-

Digitized by Google

delectatione præſenti, qua temperatâ, facile illi alij actus modum & normam admittunt. Propterea Temperantia verſatur circa ipſam delectationis paſſionem, quemadmodum & fortitudo circa ſpem, Manſuetudo circa iram; & aliæ virtutes, alias formant, reguntque paſſiones.

Hic iam intelligitur, id quod diximus ſupra, nonnullas virtutes aſſignandas eſſe pro appetitu ſenſitiuo, propter rationem iam allatam, peculiaris ſcilicet difficultatis, quam appetitus perſentit; quando ex imperio rationis debet operari. Idem tenendum de actionibus quibuſdam externis, quæ etiam ob ſuam propriam difficultatem virtutibus opus habent, quo pacto modeſtia, geſtus, motuſque componit externos, clementia pænas ſtatuit debitas, & ita aliæ alia moderantur.

Non ita verò pro externis actibus aſſignandas eſſe virtutes putare debet quis? quaſi in ipſis corporis membris, per quæ illi exercentur, reſideant, id quod nemo hacten' quod ſciam docuit, ſed quod reſidendo in appetitu, externas dirigant operationes, ita vt niſi hæc adſit dirrectio virtus efficiat, quantumuis paſſio iam ſit compreſſa: hoc modo, niſi clementia vel ſeueritas vindictam externam debite temperet, parum refferet, quod intus ira, aut alius turbulentus motus abſit. Secus in illis virtutibus, quæ potiſſimæ paſſionibus præſunt, verbi cauſa, in māſuetudine, quæ iram cohibet, & patientia quæ regit triſtitiam. Nam ſi tā ira, quàm triſtitia rationi pareant, iam virtus manſuetudinis & patientiæ, licet nihil externi fiat: quamquā id, quod deforis ex imperio harum virtutum fit, recte ſit. Poſſet hic aliquis dicere pari ratione, neque in apetitu ſenſitiuo concedendas eſſe virtutes, ſi membris negantur, cum perinde illæ atque hæc, à ratione (à qua potiſſimum virtus pēdet) ſimul procul ſint. Sed ſubtiliore hac de re diſputatione ad Theologos remiſsâ, paucis reſpondendum, diſparē eſſe rationem appetitus enim ſenſitiuus, vicinior eſt ratio-

ni;

ni, quam corporis membra, eò quod proxime ſequatur appetitum rationalem, ſeu voluntatem, & quemadmodum hæc in bonum fertur, fugitque malum, ita & ille, hoc ſolũ inter vtrumque intercedit, quod voluntas (nimirum rationi proxime ſubdita, & perinde, ac illa ſpiritualis) perfectius in ſuum obiectum fertur, quàm appetitus, nempe cum reflexione ad medium & finem, ac cum comparatione tam mediorum, quàm finium, quorum nihil facit appetitus, ſolam duntaxat attendens jucunditatem, & vitans moleſtiã Propter quam cauſam, virtus juſtitiæ vt paulò ſuperius dixi, voluntatem ſibi vendicat, eò quod requiratur reflexio ad ius, cuique reddendum, Temperantia autem & Fortitudo nihil aliud, quàm moderationẽ paſſionũ exigit, quod appetitus facile præſtare poteſt, præſertim adiutus à volũtate, ac ratione, cui vt moraliſtæ tenent, non omnino, & deſpoticè; ſed politicè obedit, & vt facilius pareat, virtutibus eget. Cum autem membra corporis, & infimæ ſint hominis partes, & ſeruiliter parere nata, tum rationi, tum appetitui, incapacia ſunt virtutis.

Sectio Secunda.

An paſſiones ita virtutibus reprimi debeant, vt nihil contrarietatis reſtet ſentiendum?

6 POſtremo præmittendum eſt, paſſionum regimẽ, aut refrænationem, non talem debere per virtutes eſſe, vt nulla prorſus ſentiatur, motio paſſionis, id enim ſtoicorũ dogma eſt, & non à Perepateticis tantũ, ſed à Theologis etiam reijcitur, vt oſtendit S. Thomas 1. 2. q. 24. art: 2. & ratio eius rei, prima poteſt eſſe: quod ſi nullus ſenſus

paſ-

paſſionis ſēſꝰ in eo debet eſſe,qui ex virtute operatur, ſequi oporteret, omnem eiuſmodi ſenſum, præſertim contrariū virtuti, quantumuis à ratione comprimatur, nec permittatur ad opus prodire, eſſe peccatum, quod nullus aſſeret, qui ſcit ab ipſo DEO dictum Caimo Gen: 4. *Subter te erit appetitus tuus. & tu dominaberis eius,* per rarionem videlicet, ne quid contra eam agat. Jd quod infra c. 12. a. n. 5. fuſius expendemus, agendo de Continentia. Altera eiuſdem Catholici dogmatis ratio, in natura fundatur hominis, ea enim in illo conſenſio eſt, vt vnio quædam inter potentias ſuperiores, ac inferiores, vt quoties illæ, nempe intellectus, & voluntas aliquid egerint, toties ſenſus atque appetitus ſimul operentur, niſi forte hæc cooperatio, vel miraculo, vel aliqua aliâ extraordinariâ, & rariſſimâ impediatur causâ. Quando ergo voluntas ſpirituali ſua operatione ad præſcriptum virtutis, & rationis mouetur, appetitus paſſiones excitat, à ratione pariter, & virtute directas, propter naturalem illam conſenſionem; verum tamen eſt, tanto longiùs abeſſe à perturbatione, & corporis nimiâ alteratione, paſſiones, quantò crebrius & firmius, à ratione fuerint compreſſæ; fitque interdum, accedente præſertim Dei ſingulari dono, vt nihil repugnantiæ in appetitu ſentiatur. vt c. 15. n. 20 & 21. dicemus, de nonnullorū caſtitate.

Certum ergo ſit, ipſas paſſiones virtutes eſſe, vbi acceſſerit ratio, & recta voluntas, quemadmodum bene docet S. Auguſtinus 14. de Ciuit: c. 9. dum inquit, Rectus amor omnes affectiones rectas habet, metuunt enim peccare, cupiunt perſeuerare, dolent in peccatis, gaudent in operibus bonis. ſed iam his præmiſſis ad Temperantiā capite iſto propoſitam reuertamur.

Sectio Tertia.

Quid moderatur Temperantia?

TEmperantiæ itaque nomine intelligi debet, illa in anima virtus, quæ moderatur ſenſitiuos appetitus, non quoſcunque, ſed eos, qui feruntur in obiecta. per actus appetentes, & proſequentes bonum corporis amabile, & jucundum; alios actus odij, aut deteſtationis, nō admittendo, niſi forte hi vitent malum contrarium bono illi jucundo. Quod melius intelligetur, ſi aduertamus appetitum duplici modo in ſua obiecta ferri: vnum vocant Philoſophi proſecutionis, alterum fugæ, proſequitur enim appetitus id, quod illum, vt bonum allicit, fugit verò malum oppoſitum bono.

8. Vtriuſque huiuſmodi clarum eſt in Saluatore noſtro exemplum, qui quemadmodum fuit verus homo, ita & vero, naturæ humanæ debito, vtebatur appetitu, & rationali, ſeu voluntate, & ſenſitiuo. Ergo, vt legimus in initio paſſionis eius in horto, ad villam Gethſemani inchoatæ, ſcribunt Euangeliſtæ, illum fuiſſe triſtem, mœſtum, deliquia & agoniam paſſum, ijdem tamen addunt, eodem plane tempore dixiſſe Dominū, Non mea Pater, ſed tua voluntas fiat. Vbi tum proſecutionis, tum fugæ ordinatiſſimi appetitùs, videmus actus. Summo Saluator amore proſequebatur voluntatem Patris ſui, cuius exequendæ gratiâ fecit, quidquid in noſtra carne fecit, & facturus eſt vnquam: ſimul verò deteſtatus eſt ea omnia, quæ huic voluntati, tanquam maximo ſuo bono erant inimica, nempe peccata omnium hominum, & quæ iam ab initio mundi patrata fuère, & futura ad finem mundi, totâque æternitate, illud præſertim omnium grauiſſimum atrociſſimæ necis, & impijſſimæ in ſe Iudæorum conſpirationis: etſi enim paratiſſimus erat mori pro ſalute hominum; ægerimè tamen tulit, hanc mortem iniquiſſimè à Iudæis procuratam. Et quia videbat grauiſſimas ob peccata hominibus impendere pœnas, ſibi etiam, qui pro ipſis, mortalis adhuc ad ſatisfaciendum Patri ſe obtulit; hinc illa triſtitia, & ſimiles fugæ act⁹, hor-

Digitized by Google

horrebat malum, Diuinæ voluntati à ſe ſummè dilectæ inimicum: itaque in eodem appetitu Domini noſtri, & amor, & odium, ſimul & ſemel verſabatur, Amor voluntatis Diuinæ, odium peccatorum, & pœnarum illis debitarum. Hac non alia ratione (& idem judicium, de qualibet virtute, quæ in proſecutione boni eſt ſita) Temperantia amat, & delectatur ſuo obiecto, quantum ei ratio & prudentia præſcribit; nempe ordinata corporis jucunditate, & ſi quid odit, vel fugit, eſt illud, quod prædictæ jucunditati opponitur: hoc ipſum adhuc clarius patebit ex obiecti huius & boni jucundi explicatione.

Sciendum enim eſt; appetitui quâ animali, quâ rationali, hanc eſſe innatam vim, vt nequeant aut jucunditatem, oblectationemuê experiri, aut moleſtiam triſtitiámque de præſentiſſimo, etiam obiecto, niſi eiuſdem obiecti ſit cognitio in ſenſu, aut intellectu, aut in vtroque ſimul, quemadmodum euenire ſolet in homine, qui vtraque hac præditus eſt animi facultate. Exempli causâ ſi in præſentia ſurdi, qui nihil omnino exaudiat, perſonent jucundiſſimi cõcentus; nullam ipſe ex ijs percipiet voluptatem, eo quod deſit id, quod delectat, cognitio videlicet, auditioque concentus, vt conformis auditui, & intellectui, noſcenti præſertim rationem harmoniæ. Addo (vt conformis) requiritur enim hæc conformitas, & congruentia obiecti cognitioniſque cum potentia cognoſcitiua ad percipiendam voluptatem, ſicut è contra difformitas obiecti parit moleſtiã: quare ſi cognoſcens potentiâ perciperet cantum diſſonum; perceptio illa cauſaret in appetitu oppoſitã voluptati triſtitiam, ac mærorem. 9.

Quod de vno ſenſu auditus dico, idem de viſu, odoratu, guſtu, ac tactu, dicendum; ſemper enim cognitio ſenſitiua conformis obiecti, eſt ratio, quæ delectat appetitum, tãquam bonum ipſi conueniens.

Non diſputo hic ſubtilius, declarando, quo pacto vnam,

eandemque delectationem, efficiat obiectum, & perceptio eius, parine ratione an verò ita, vt vnum ſit in recto, alterum in obliquo, vnum primarium, alterum ſecundarium: Hæc enucleatius dilucidant Philoſophi tractantes de animæ operationib⁹: hìc ſatis eſt noſſe, nec lætitiã, nec oppoſi-illi mæſtitiam ſentiri in appetitu poſſe, niſi adſit in ſenſu obiecti cognitio.

Eademque veritas habet locum in potentia intellectiua, ac voluntate, nunquam enim voluntas, aut delectatur, aut mæret, niſi intelligendi vis præcognoſcat aliquid, juxta illud Philoſophorum dictum: *Nihil eſt volitum quod non ſit cognitum.* Quapropter docent Theologi cum S. Thoma 1. parte q. 12. Vltimam & perfectiſſimam, quæ ab homine exoptari poteſt, fructionem eſſe illam, qua gaudent beati, clarè & intuitiuè videndo DEUM: Viſio quippe Dei præſentis, non in re tantũ (ſic enim omni creaturæ per immẽſitatem eſt præſens) ſed in intentione, ſiue in intellectu lumine gloriæ illuſtrato, alijſque ad videndum neceſſarijs inſtructo, & toto in DEUM conatu tendente, eſtquæ beatũ ſummè lætificat, & lætitia ſatiat conſummatâ: Quod teſtatur Pſal. 16. Pſaltes: *Satiabor cùm apparuerit gloria tua*, gloria videlicet infinitæ maieſtatis DEI.

10. Jam ex his Temperantiæ nomen facilè perſpicitur, quod ita interpretatur Ariſtoteles; 3. Ethic: c. 10. vt Temperantiæ munus ſit, moderari delectationes, potiſſimè tactûs vnius. è quinque ſenſibus. Aſſentiuntur illi Theologi, ac Philoſophi, qui de honeſtate Morũ tractant; quorum vnanimis conſenſûs affert causã S. Auguſtinus lib: de morib: Eccleſ: c. 21: *Habet inquit ille vir temperatus in rebus hui⁹ vitæ regulam vtroq; teſtamento formatam, vt eorum nihil diligat, niſi per ſe appetendum putet; ſed ad vitæ huius, atque officiorum neceſſitatem quantùm ſatis eſt, vſurpet, vtentis modeſtiâ, non amantis affectu.* Expendo inprimis illa verba, quibus cenſet, nihil ex rebus, boniſque vitæ huius amandum, niſi illud per-

Digitized by Google

per ſe appeti poſſit, hoc eſt; cùm tria ſint bonorum genera, vtile, delectabile, & honeſtum; atque hoc poſtremum ſit ſolum per ſe appetendum. (vtilè enim propter aliud: delectabile ab animali ſolũ rationis experte propter ſe appetitur vtpote à quo honeſtum cognoſci non poteſt,) mens, & doctrina S. Auguſtini eſt; quæcunque gratiſſima licet vitæ humanæ ideo appetenda, quia vel honeſta ſunt, vel ad honeſtum conferunt, tanquam vtilia.

Trutino deinde vltima eiuſdem Patris verba, quibꝰ præcipit, ea tanquam conferentia ad honeſtatem vſurpanda eſſe, quæ vitæ conſeruandæ ſunt neceſſaria. Hæc autem vt explicat S. Thom: 2. 2. q. 141. art: 4. in corpore ſunt duplicia, quædam quæ conſeruant vitam in ſpecie, & natura humana, per propagationem ſobolis, alia quæ in vnoquoque particulari homine, mortem arcent, per alimenti ſumptionem; vtrumque autem hoc fit potiſſimum per tactum; alij vero ſenſus remotè, & ſecundaria quadam ratione, ad hæc opera naturæ ſuum præbent concurſum. Verba, & doctrina de hac S. Thomæ, loco nunc citato, eſt talis: *Dicendum,* (inquit) *eſt, ita eſſe temperantiam circa concupiſcentias, & delectationes ſicut fortitudo eſt circa timores, & audacias, reſpectu maximorum malorum, quibus ipſa natura extinguitur, quæ ſunt pericula mortis; vnde ſimiliter Temperantia oportet, vt ſit circa concupiſcentias maximarum delectationum. Et quia delectatio conſequitur operationem naturalem; tanto aliquæ delectationes ſunt vehementiores, quanto conſequuntur operationes magis naturales. Maximè autem naturales ſunt, animalibus operationes quibus conſeruatur Natura indiuidui, per cibũ & potum; & natura ſpeciei, per coniunctionem maris & fæminæ, & ideo circa delectationes venereorum eſt propriè Temperantia: Huiuſmodi autem delectationes conſequuntur ſenſum tactûs, vnde relinquitur quod temperantia ſit circa delectationes tactus.*

Ex his teſtimonijs S. Auguſt: & S. Thomæ deducitur II.
1. Temperantiam potiſſimè verſari in moderanda delecta-

Digitized by Google

tione, quæ percipitur ex cognitione obiecti tactus, ſeu tãgibilis; quæ cognitio, quia ad naturæ humanæ, & in ſpecie, & in indiuiduo conſeruationem eſt ordinata, magnam habet annexam delectationem: natura enim eorum, quæ ſibi ſunt conformia, jucundum experitur vſum, cum quadam appetitûs quiete. Et quoniã operatio ad cõſeruationẽ hominis in ſpecie, conducens, eſt magis neceſſaria naturæ humanæ, quàm operatio, qua conſeruatur particularis homo (hoc enim vno extincto, remanet ſpecies, & genus humanum, ſi aliqui homines maneant ſuperſtites,) atque ideo maiorem delectationem illa prior, quam hæc efficit; hæc cauſa eſt, propter quam temperantia, primariã quadam ratione moderatur, illam delectationẽ, quæ percipitur ex operatione ad propagãdũ genꝰ humanũ, à DEO, ipſaq; natura deſtinatã; tum deinde eã, quæ minor eſt, quæq; ſequitur operationẽ ordinatã ad conſeruandam cuiuſque cibo, & potu vitam. Vtraque hæc operatio pertinet ad ſensũ tactûs, cum quo coniunguntur etiam alij, qui ad illam duplicem operationem promptius, & delectabilius peragendam, ſuis quoque concurrunt operationibus; vt Guſtus ſaporem, Olfactus odorem percipiendo; Viſus pulchritudinem, ſeu formam; auditus affabilitatem blandam attendẽdo in fæmina. Quapropter ad eandem ſpectat Temperãtiæ virtutem, poſt moderationem delectationis illius duplicis, ex tactu conſequentis; limites quoque, & modum afferre delectationibus, oriri ſolitis ex aliorum operationibꝰ ſenſuum; id quod aperte docet S. Thom: 2. 2. q. 151. art: 5. in Corp: cum dicit: *Temperantia principaliter eſt circa delectationem tactus, quæ per ſe conſequitur ipſum vſum neceſſariarũ rerum, quarum omnis vſus eſt in tangendo. Circa delectationes autem guſtûs, vel olfactus, vel viſus eſt temperantia, & intemperantia ſecundario, in quantum ſenſibilia horum ſenſuum conferunt ad delectabilem vſum rerum neceſſariarum, quæ pertinent ad tactum: Quia tamen guſtus propinquior eſt tactui, quam alij ſenſus*

ſus, ideo Temperantia magis eſt circa guſtum, quàm circa alios ſenſus.

Ex ijſdem teſtimonijs ſupra allatis deducitur 2. Temperantiam non ſolum eſſe in appetitu ſenſitiuo, ſed etiam in rationali, nempe in voluntate, ſiquidem hi duo appetitus, ita ſunt in homine familiaritate quadam inter ſe à natura ſociati, vt ſemper operatio vnius comitetur operationem alterius, ſicut etiam ſenſus, ac intellectus ſe comitari ſolent; quod multo magis in virtutibus locum habet: honeſtatem enim, nec ſenſus cognoſcere, nec appetitus vllo modo appetere poteſt, niſi intellectus cum voluntate in illam, tanquam in ſibi proprium tendat obiectum. 12

Quare licet crebro fiat in homine virtutis ſtudioſo, vt non conueniat voluntas cum appetitu, quoties hic contra rationis præſcriptum more beſtiæ fertur in id, quod ſenſus tanquam jucundum, & conueniens illi apprehendit; quẽadmodum in ſe experiebatur S. Paulus Rom: 7. quando dicebat: *Video aliã legẽ in membris meis repugnantẽ legi mẽtis meæ.* Si tamen appetitus obedit rationi, ſemper voluntatem, habet indiuiduam, & concordem ſociam. Itaque Temperantiæ propriè & ſtrictè ſumptæ munus, ac facultas eſt, modum imponere omnibus delectationibus, ex operationibus ſenſuum conſequentibus. 13.

Et cum, vt nunc eſt dictum, Temperantia in voluntate reſideat; voluntas verò hominis, poſſit alijs etiam oblectari, quæ à ſolo duntaxat intellectu perfectè penetrantur, vt eſt honor, excellentia, magni nominis fama, & gloria, veritates variarum rerum ſubtilium, ac magnarum; neceſſe eſt hinc ſequi reducendas eſſe ad temperantiam illas quoque virtutes, quæ certis arcent terminis quamuis oblectationem, etſi non ex ſenſuum operatione ortam. Talis eſt virtus modeſtiæ, ac humilitatis, quæ moderatur amorem propriæ excellentiæ; huiuſmodi etiam eſt ſtudioſitas, quæ dat viam, & modum conſequendæ cognitionis. 14.

At-

Atque hoc eſt, quod dicit S. Auguſtinus ſupra citatus, *Temperantem virum, nihil debere diligere, niſi quod per ſe ſit expetendum. ad vitæ huius & officiorum neceſſitatem*, his enī verbis omnem concluſit Temperantiam, quæ quamuis de-
15. lectationem efficit honeſtam.

Ex iiſdem teſtimonijs, deducitur vltimo, id quod ſupra aſſerui, Temperantiam diligendo, ac proſequendo, in ſuam ferri materiam, ac obiectum; non ex eo, quod delectatio ſit bonum quoddā jucundum, ac perinde tale quod amandum, ac proſequendum judicat facultas cognoſcens. Sic enim aut Temperantia non eſſet virtus, ſed vitium; cùm intemperantia quoque delectationem appetat jucundam: aut certe nec eſſet virtus, nec vitium, ſed naturalis quædā in bonum ſibi conueniens inclinatio, qualis eſt appetitus brutorum. Hanc ergo ob cauſam Temperantia dicitur proſequi, & non fugere ſuum obiectum, quod delectationes, ex perceptione conformium potentiæ cognoſcitiuæ obiectorum conſequentes, legibus definit, ac præſcripto rationis, quod totum eſt bonum, aç proinde proſequendū; & duplex quidē bonū; quâ delectat jucūdum, quâ à ratione determinatū, honeſtū. Quod ſi huic duplici bono ſic in vnū boni, quoddā cōplementū cōſpiranti, aliquid aduerſetur; eadē Temperantia odit, ac perſequitur illud ex conſequēti quadam neceſſitate, eò quòd bono gradu, aliquid ſit oppoſitum. Quī enim amat amicum odit eius inimicum. Quapropter inſenſibilitas Vitium eſt, Temperantiæ contrarium, vt docet Ariſtot: 2. Ethic. c. 1. & S. Thom: 2. 2. q. 142. art; 1. in Corpore, eo quod abſtineat ab alimento delectabili, naturæ ſuſtentandæ neceſſario, contra quam præſcribit Temperantia, honeſtè appetens congruam alimenti jucunditatem.

Sectio Quarta.

Tem-

Digitized by Google

Temperantia ſemper in Jucundum fertur.

POſſet contra hoc aliquis in oppoſitum obijcere, nō videri conſonum virtuti id quod dictum eſt, Temperātiam in ſuo obiecto, non habere niſi bonum jucundū & honeſtum; ſunt enim quædam virtutes ſpecies Temperantiæ, quæ prorſus abſtinent à bono jucundo, vt eſt caſtitas virginum; & jejunium; vtraque harum virtutum ab omni continet ſe delectatione, illa quidem fugit delectationem coujunctam actui generationis, hæc prohibet ſumptionem alimenti, ex qua oritur experimentum jucundi. 16.
Huic dubitationi reſpondendum eſt, Temperantiam tum in ſe, & in genere ſumptam, tum in quauis ſua ſpecie, non honeſtum tantum, ſed jucundum ſpectare, non quomodocunque tamen, verùm adjuncta moderatione. Nunquam enim Temperantia, aut aliqua pars, ſpecieſque eius, horret delectationem, tanquam malum quid, (quemadmodum Manichæi horrebant matrimonij, & vini vſum, putabantq; eſſe malas à malo Deo conditas creaturas, vt ſcribit S. Auguſt: Tom: 6 lib: de Hæreſibus, hæreſi 46.) verùm, modū illi, & temperiem quandam præfigit; quæ pro cuiuſque tēperatè viuentis conditione alia atque alia eſſe poteſt, ſpectatis circumſtantijs, & fine. Sicut ergo is, qui in matrimonio degit, temperans eſt, ſi præter coniugem, aliam nō nouit, atque ita modum imponit concupiſcentiæ ſaltem in parte, nempe ab alijs fæminis ſe continendo: ſicut etiam is temperans eſt, qui ſumit cibum in certa menſura, modo ac qualitate, abſtinetque ſaltem in parte, ab eo videlicet cibo, qui eſt vltram menſuram, modumque excedit; ita qui ſpectata ſua conditione, vocationiſque ſtatu maximè nunc cum refertus ſit hominibus mundus, cum Filius Dei in noſtra carne, & doctrina caſtitatem cōmendauit, & exemplo facilem oſtendit, jucundamque, ac maximi apud ſe meriti:

qui inquam hæc atque id genus ſimilia expendendo, non ex parte, verùm omni ſibi interdicit delectationi, quæ haberi poteſt in procreatione prolis, is per virtutem caſtitatis reuera ſpectat delectationem corporis, non experiendo illam, ſed perfectæ continentiæ modum, ac leges eidē imponendo. Pari ratione qui abſtinet à cibo, per virtutem jeiunij; vt carnem caſtiget petulcam, vt DEO pro culpis ſatisfaciat; vt alia, quæ jeiunſū præſtat conſequatur: is certè delectationem attendit, priuando ſe illâ, per definitum à ſe, aut ab Eccleſia tempus ac modum.

17. Semper ergo, & omnis Temperantiæ virtus fertur in delectationem, modo proſecutionis, concupiſcentiam reprimendo, ſiue ſic, vel ſic moderando, vt legibus, ac limitibus à prudentia præſcriptis, ſeſe contineat. Quanquam, ſi ſubtilius vim, ac naturam Temperantiæ expēdamus, reperiemus profectò eam nunquam carere aliqua delectatione, non illâ ſolum communi omni virtuti, & habitui operanti, & tenenti ſe ex parte ſubiecti, (quod enim ex præſuppoſito habitu fit, facilè promptè & jucundè fit à potentia) ſed peculiari, & ea quæ in propria eius materia, atque obiecto reperitur. Quod in illa Temperantia, quæ ex parte priuat temperatum delectatione clarum eſt, neque eget probatione, vt paulo ante de temperato cibī, matrimonijque vſu dictum eſt: cæterum in illa etiam Temperantia, quæ omninò videtur tollere delectationē, facile eſt aduertere ſemper aliquam reperiri. Nam caſtus exempli cauſa, ſiue virginali caſtitate, ſiue cælibum, ſiue ex voto Deo oblatâ, etſi caret illa delectatione corporis quam percipiunt conjuges; habet tamen in ipſo etiam corpore aliam, quam non habent illi, qui concupiſcentiæ morem gerendo, magnam ex vehementia appetitûs, & fomitis inordinati ſentiunt (vt fatetur S. Paulus 1. Cor: 7.) tribulationem carnis; quæ ſi comparetur cum delectatione actus concupiſcētiæ, dubium eſt, quid altero ſit maius: vtrum illa breuis vo-

lu-

Digitized by Google

luptas, an longior, & crebrior ex ſtimulo carnis conſequēs moleſtia, quam idem Apoſtolus ſcribens ad Romanos c. 7. ita ex ſua deſcripſit perſona. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis: infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?. gratia DEI per IESVM Chriſtum Dominum noſtrum.* Quod ſi S. Paulus, reprimendo in membris ſuis legem peccati, hoc eſt fomitem concupiſcentiæ, adeò eſſe grauem carnis illam tribulationē teſtatus eſt, vt morti illā non dubitarit comparare; quando dixit: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* quanta erit, quamq; grauior illa tribulatio, quam neceſſe eſt perpeti eos, qui laxant concupiſcentiæ fræna, & quibus à S. Paulo dictum eſt. 1. ad Corinth: 7. *Si acceperis vxorem non peccaſti, etſi nupſerit virgo non peccauit, tribulationem tamen carnis habebunt huiuſmodi* Ab hac tribulatione vindicat caſtitas ſupra nominata fomitem, & membra ad eum reducendo (licet non vſquequaq; in hac mortalitate) ordinem, quo jucundè fruebatur homo innocens adhuc in paradiſo: . Ac, quemadmodum totius vniuerſi recta atque ordinata conſtitutio in hoc ſita, quod media per ſuprema, infima per media gubernentur; maxima eorum, quæ regenda ſunt, atq; omnimoda ſubiectione; quemadmodum inquam, hæc talis conſtitutio, nō modicam in ſe continet, paritque ei, qui eam nouit delectationem: ita in homine (quem microcoſmum, paruum mundum veteres nominarunt) non carebit jucundà quadā voluptate membrorum, atque appetitûs ſubiectio quieta, regimenque tranquillum à ſuprema hominis parte, nempe à ratione præſcriptum Et cum (vt docet S. Thom: 2. 2.q. 148 art: 2. in corp:) *Quies, & tranquillitas animæ, ſit delectatio eius*, conſequens eſt, vt illa quies, quam parit caſtitas ſubdendo menti, corporis membra, tantam afferat voluptatem, quanta eſt ipſa caſtitatis virtus, quæ illam efficit. 18.

Sed ſi de hac re altius loqui voluerimus, fatebimur ca-

Digitized by Google

ſtitati magnam inditam eſſe voluptatem: natura quippe ipſa nos docet, rem vnamquamque melius, & felicius conſtitui, ſi, non ea tantum habebit, quæ ſuo congruunt gradui, ſed de illis etiam participet, quæ ſuperiori, excellentiorique, propriâ ſunt naturæ. Ita amphiuia perfectiora ſunt, piſcibus quia non tantum aquis; ſed aëre etiam, more terreſtrium viuunt; conſtat autem perfectiora eſſe terreſtria, vt plurimum, aquatilibus animalia. Ex eadem cauſa Zoophyta, ſuperant perfectione herbas, eò quod non tantum vegetentur ſed aliquem etiam nacta ſunt ſenſum. Hac demũ ratione grad' animalis in homine præſtantior eſt, quàm in vllo bruto, propterea quòd habeat ſibi conjunctum longe, excellentiorem gradum rationalem. Et quod cernimus in natura; ante curaque humana aſſequi non piget multos quia lubet. Quod ignobiles nobilium juribus optant gaudere? quod nobiles principum expetunt locum? quod principes diademata Regum ambiunt? Huius ſiue à natura inditi, ſiue per conſuetudinem parti appetitûs, non aliam puto eſſe cauſam, quàm quod vnumquodque optet poſſidere, & prout poteſt frui ſuperioribus, maiorē in his, quàm in inferioribus, experiendo jucunditatem. Ab hac expetendi ratione, non debet excipi morum honeſtas, in qua & natura, & vſus locum habet: quemadmodum fuſius explicatum eſt c. 2. & ſequentibus aliquot.

Jam cum caſtitas omnimode perfecta propria ſit ſpiritui, atque angelicæ excellētiæ; (ſpiritus enim angelici carnalia non appetunt, nimirum ab omni carnis concretione ſemoti) quicunque illam Dei munere, addito proprio labore, ſunt conſecuti, magna eaque jucundiſſima perfruuntur voluptate, tanquam poſſeſſores eius, quæ altiori gradui debetur perfectionis. Hanc voluptatem, caſtorum omnium anteſignanus DEUS in carne noſtra Chriſtus Dominus, voluit exprimere, quando ignorantibus illā Saducæis dixit Marci 12. *Nonne ideò erratis, non ſcientes ſcripturas, neq; virtutem*

Digitized by Google

tutem Dei, cum enim à mortuis reſurrexerint, neque nubent, neque nubentur: ſed ſunt ſicut Angeli in cœlis. Quaſi diceret Saluator: vos qui carnalia tantum ſapitis, nullam aliam corporis voluptate putatis eſſe maiorem; erratis, multò eſt amplior, & jucundior, illa quâ fruuntur Angeli, qui nec nubunt, nec ducunt, tales erunt omnes in beatis corporibus homines, qui ex ipſa abſtinentia ab actu carnis; tanquam à re vili, & ſe indigna maximam, ſed ſpiritualem percipient voluptatẽ.

Talis cui non arridet voluptas, ſed oppoſita illi placet carnalis, Hic ſibi dictum putet à S. Paulo 1. Cor: 2. *Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus,* Quod ſi quis tenens iam caſtitatem, non eam, de qua agimus, experitur animi oblectationem, ſciat ſe nondum perueniſſe, ad eam cordis puritatem, vt ea ſapiant & quidẽ cum guſtu, quæ ſunt ſpiritûs; neque ſe bibere illud cum lætitia vinum, quod germinat virgines, Zachariæ 9. neque tam præſtanti pollere mentis acie, quam Dominus Matth: 19. exacuit in eunuchis qui ſe caſtrauerunt propter regnum Cœlorum, dum inquit: *qui poteſt capere, capiat.* Simile quid præſtat corpori humano, ne dùm animæ, virtus abſtinentiæ per actum ieiunij; quæ ſubtrahendo alimẽta, humores digerit ſuperfluos, ſanguinem purgat, ſpiritus vitales, atque animales purificat, facitque agiliores, ſubtiliores, aptiores ad exercẽda munia vitæ; quibus omnibus optima conſtitutio corporis, ſanitaſque efficitur, quæ procul dubio oblectat fruentem illa. Hæc de caſtitate atque abſtinentia dicta, ſuadent Tẽperantiam, & quamuis eius ſpeciem in delectationem ferri, modum præfigendo concupiſcentiæ jucunda appetenti. Neque aliud nomine Temperantiæ intelligi, aut ſignificari poteſt.

Sectio Quinta.

Quantum boni homini præſtat Temperantia, & quantum Intemperantia nocuit?

QUantum verò conferat boni hæc virtus habenti illā,
hoc vel maximè oſtenditur, quod operationes ac
19. peccata illi oppoſita, non hominibus atque adeo
generi humano duntaxat, ſed alteri etiam, quæ hucuſque à
Deo condita eſt, præſtantiſſimæ intelligenti creaturæ,
tantum nocuerunt; quantum plus, magiſque non
poterant vnquam etiam in æternum nocere.
Non tenuit modum à Tēperātia præſcriptum Lucifer præ-
clariſſim⁹ inter Angelicos ſpirit⁹; & à ſplēdore gloriæ ſic di-
ct⁹, quādo nimiâ excellentiæ propriæ capt⁹ delectatione di-
xit: *ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum ſimilis ero Altiſſimo.*
Iſai 14. ob hanc ſuperbiam, ſeu intemperantem ſui oblecta-
tionem, tam ipſe, quam reliqui, iique innumeri ſpiritus, e-
odem immoderato decepti amore perierunt, nunquam fi-
niendis addicti ſupplicijs. Plus conceſſerunt ſenſibus pri-
mi parētes noſtri, quàm Tēperātia permiſit: *Vidit enī mulier*
(teſtatur, Moyſes Gen: 3.) *quod bonum eſſet lignum ad veſcendū,*
& pulchrum oculis aſpectuq; delectabile, & tulit de fructu illius.
& comedit, deditq; viro ſuo, qui comedit: Hæc inordinata ſenſuū
atq; appetitus voluptas parentes cum tota futura prole pa-
radiſo expulit; parumque hoc fuit, ad intemperantiæ pœ-
nam, niſi etiam peccati originalis reatus, perenniſq; pugna
mentem, & appetitum inter, in omnes homines, hæredi-
taria induceretur lege; quod vtrumque plurimis è genere
humano æternæ damnationis extitit, eritque ad diem mū-
di vltimum cauſa. Iis nimirum, qui vel culpa originali ex
hac vita decedunt infecti, vel cum ſenſu atque appetitu
rebelles rationi. Taceo alia eiuſdem intēperantis gu-
læ minora quidē iam allatis, grauiſſima tamē mala; famis, ſi-
tis, laborum, intemperiei cœli, bellorum, egeſtatis, & ſi-

mi-

milium, quæ perpeti nos omnes ſemper, atque vbique terrarum oportet, quoad exilij à DEO ſtatuta durant tempora. Acre indixerant bellum temperantiæ illi, iam in exilij locis conſtituti homines, de quibus ſacra ita refert historia. Gen: 6. *Videntes filij Dei filias hominum, quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi vxores, ex omnibus, quas elegerāt.* acceperant videlicet effrænatæ libidini, non legibus matrimonij morem gerentes. Tantus vitæ pudicæ, caſtæquè contemptus, apud ſeuerum criminum vindicē effecit Deū, vt dixerit: *Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt; delebo hominem, quem creaui à facie terræ, pœnitet enim me feciſſe eos.* Minas ſecutus eſt, vt ſcimus, euent⁹, nam in vniuerſo terrarum orbe omnes, quotquot tunc erāt homines, octo demptis, diluuij aquæ ſuffocarunt; neque de vllo conſtat, qui ex profundo aquarum, profundiores, eoſquę ſempiternos euaſerit ignes.

Prætereo Sodomitas, Gomorrhæos, alioſque ſimiles Temperantiæ præuaricatores, qui omnes à diuina juſtitia dignam, factis tulêre mercedem; hæc enim in angulis terræ geſta, immenſum eſſet ſingillatim recenſere. His igitur prætermiſſis cœlum, paradiſum, totam terram conſidero, atque ita mecum ipſe loquor. Si hæc tria, rerum mente præditarum, Angelorum, videlicet, & homini receptacula, non poterant eſſe, ab intemperantia tuta ſuntque à tribus Temperantiæ capitalib⁹ impugnata, & expugnata hoſtibus, nimirum à ſuperbia, gula, & luxuria; & quidē præſidentibus in cœlo, ac paradiſo, fortiſſimis, juxta & ſanctiſſimis ducibus, ac militibus Angelo, & homine ſumma prudētia, virtute, ampliſſimisque Dei donis ornato. Jn terra non erant quidem illis pares; erant tamen ij qui à parentib⁹ primis facilè poterant inſtrui, & ad reſiſtendum hiſce hoſtibus formari; cùm præſertim mille & ſexcentorum annorū, à condito homine elapſum pugnæ tempus, quemadmodum computat Hiſtoriographus Gen: 5. & 6. non debuit adeo de-

debilitare vires, vt vniuerſum prope genus humanum, fœde profligari fuerit neceſſe. Si ergo hæc in cœlo, paradiſo, totaq; terra geſta ſunt, quem tandem quiſque etiam ſanctiſſimus homo, reperiet locum, in quo ſecurè, temperans eſſe poſſit, aut quo odio intemperantiam deteſtari, quoque ſtudio, ac labore vitare debet, quæ tanta & tot intulit damna? Poſtremo quanti faciet temperantiam apud ſe, quam ſi Angeli hominesque à Condito orbe retinuiſſent, illorũ nemo fortè experiretur, quid ſit æterna, & omnium malorum plena miſeria; de his aut idem dicendum eſſet, aut ſaltem multo pauciores, quàm nunc ad eandem damnarentur miſeriam.

Sectio Sexta.

Amor omnium operationum eſt cauſa.

AUdeo etſi pendens animi, aſſerere, non fuiſſe futurã tantam in natura intelligente ſtragem, niſi intemperantia præceſſiſſet: audaciæ huius sumo fundamen-
21. tum ex S. Auguſtino, Tom: 8. in Pſal: 31. vbi docet cauſam, & radicem omnium, quæ liberi à quopiam ſiunt operationum, eſſe amorem, & merito. Cùm enim bonum, prius ſit malo, imo malum nihil aliud ſit, quàm negatio, aut priuatio boni, quemadmodum tenebræ, ſunt priuatio lucis; conſequens eſt, vt potentia libera prius feratur in bonum, expetendo illud, quàm in malum reijciendo idem. Quare S. Auguſtinus vt inducat hominem ad omnem virtutem, ſuadet inprimis ſummi amorem boni, nempe Dei; huius enim amor duo efficit: primo excludit ab affectu libero ea, quæ non ſunt illi bona, ſed mala; non tamen excludit aliorum à Deo bonorum, amorem, ſed purgat ac corrigit illum. *Quid*, inquit, *male operatur niſi amor? adulteria, homicidia,* luxu-

Digitized by Google

luxuriat, flagitia nonne amor operatur? Purga ergo amorem tuum, aquam fluentem in cloacam conuerte ad hortum, quales impetus habebas ad mundum, tales habeas ad artificem mundi. Non vobis dicitur vt nihil ametis; abſit pigri, mortui, miſeri eritis, ſi nihil ametis. Efficit & alterum, Dei amor, vt qui illo gaudet, gaudeat omni virtute, Quod ſic oſtendit S. Auguſtin' lib: 1. de moribus Eccleſiæ c. 15. *Nihil omnino virtutum affirmauerim, quàm ſummum amorem DEI; namq; illud quod quadripartita dicitur virtus, ex ipſius amoris vario quodam affectu ducitur. Temperantia enim eſt amor ſe ſe integrum, incorruptūq; ſeruans DEO: Fortitudo amor, omnia propter Deum facile tolerās, Iuſtitia amor, DEO tantum ſeruiens, & ob hoc bene imperans cæteris, quæ homini ſubiecta ſunt; Prudentia amor, bene diſcernēs ea, quibus adiuuetur in DEVM, ab ijs quibus impediri poteſt.* Hæc S. Auguſtinus, qui non ita intelligendus eſt, quaſi virtutes morales nequeant ſuas exercere actiones, niſi ex motiuo, & obiecto charitatis Dei; ſic enim omnes eſſent vnus Dei amor: neque etiam ſic intelligi debet, vt putet, nō poſſe alias virtutes in ſua prorumpere opera, niſi id imperet charitas, experimur enim, nos juſtè exempli cauſa, & ſine damno alterius, vendere, emere; locare, & ſimilia facere, nihil interim cogitando de charitate Dei. Jta ergo explicandus eſt S. Agu:, vt cùm virtutum moralium ſingilæ honeſtates, bonaque particularia in DEO, tanquam in ſummo & vniuerſaliſſimo bono pleniſſimâ, atque eminētiſſimâ cōtinentur ratione; qui tantum bonum amat, poſſidetque amore; omnino amat, poſſidetque illa, quæ in ipſo continētur: ſicut qui habet mille aureos, habet centum, contentos in mille; non è contra, qui habet centum, habet mille, cùm mille non continetur in centum. Auguſtini ergo doctrina eſt, eum qui amat ſummè Deum, amare omne bonum; non illud ſolum diuinum eminentiſſimū, ſed reliqua etiam, quæ ex illo veluti infinito fluunt fonte, particularia ſcilicet bona honeſta, temperantiæ, Fortitudinis,

Iuſtitiæ. Quod ſi quis amet particulare bonum temperãtiæ v. g. non ſequitur continuò, vt amet DEUM, bonum illud vniuerſaliſſimum. Quandoquidem hoc, non continetur in illo, ſicut nec mille çontinentur in centum. Vnde videmus multos ſobrios eſſe, ſimul tamen auaros, raptores, adulteros. aliorumque mandatorum diuinorum tranſgreſſores, qui certè non amant DEUM, ipſomet Joan: c. 14. teſtante: *Qui ſeruat mandata mea, ille eſt qui diligit me*. Ex toto hoc diſcurſu in doctrina S. Auguſtini fundato, colligo merito affirmaſſe eundem Patrem, amorem eſſe radicem omnium cæterarum operationum, quæ ab homine, aut Angelo libere fieri poſſunt: omnes enim reliquæ affectiones ex amore ſeqũtur. Idē tenet S. Tomas 1. p. q. 20. in corpore; *Primus* (inquit,) *motus voluntatis, & cuiuslibet appetitiuæ virtutis eſt amor*. Oſtendit id ita eſſe, tum ex eo, quòd bonum ſit prius malo, id quod ſupra declaratum eſt, tum ex eo quòd cæteri omnes affectus, etiam illi, qui concernunt bonum, aliquam in illo exigunt circumſtantiam; vt gaudium, præſentiam boni; deſiderium, abſentiam, & ſic de alijs, ſolus amor in ſe bonum appetit, ſeiunctis omnibus conditionibus, quæ deinde illi adnectuntur. Et propter hoc inquit S. Thomas omnes alij motus appetitꝰ præſupponunt amorem, quaſi primam radicem; Nullus enim deſiderat aliquid, niſi bonum amatum, neque aliquis gaudet, niſi de bono amato: odium etiam non eſt niſi de eo, quod cõtrariatur rei amatæ; Et ſimiliter cætera huiuſmodi manifeſtum eſt in amorem referri; ſicut in primum principium. Quod ſi ita eſt, quemadmodũ ex bono amore, bona omnia ſequi oportet, vt de amore Dei teſtatus eſt, paulo ante S. Auguſtinus; ita amorem malum, tanto plurium, & maiorum cauſam eſſe malorum, quanto ipſe eſt peior; aut certè peſſimum eſſe illum amorem rectè ex eo conijcimus, quod grauiſſima, & maxime noxia afferat mala.

20. Talis fuit amor, immoderatæ delectationis propriæ in

in Angelo, atque hominum appetentiâ, quæ niſi præceſſiſſet, neque alia ſecuta fuiſſent peccata, quæ malum ſequuntur amorem. & inprimis hæc de qua agimus intemperantia, gehennæ ignis, pœnaque æterna peruerſo amori, & peccatis debita, neque perijſſent tot & ij, qui iam perierunt, niſi idem præpoſterus amor, virus ſuum euomuiſſet, oſtendiſſetque quantas habeat perdendi vires.

Hoc ipſum aliâ comprobatur viâ, nam ſi vt rectè ſupra locutus eſt S. Auguſtinus, neceſſe eſt, hominem (& idem de Angelo ſentiendum) aliquid amare, alioqui non viuus, ſed mortuus eſſet cenſend⁹; cum vitæ intellectiuæ actiuæ actio, ſit intelligere, ac velle, ſeu amare, vt ſupra c. 2. n. 1. dictū eſt; quare illud omne quod eiuſmodi vitâ viuit, neceſſe eſt vt aliquid amet: hinc iam certâ quadam deducitur ſequelâ tale illatū. ſicut indubitatum eſt Angelos, & homines, qui intemperantia peccârunt, & ob id puniti ſunt, ſi amaſſent Deum, nihil damnorum ſupra enumeratorum paſſuros fuiſſe, ſed amorem Dei omnium bonorum, ac demum felicitatis æternæ, cauſam futurum; ita cùm ijdem, ſpreto amore Dei, amorem ſui immoderatum intemperantiamque ſunt amplexi, omnia deinceps ſecuta, & hoc, & in futuro ſæculo mala, eidem nimio amori, accepta ferre debent, & quod ſupra dubius aſſerui. n. 2. idem nunc repeto, nullum fortè Angelorum, ex ijs qui perierunt, neque tot ex hominibus damnandos fuiſſe, ſi immoderatæ delectationis propriæ amor, ac intemperantia non præceſſiſſet.

Sectio Septima.

Quo pacto intemperantia præ cæteris peccatis Angelo, et homini plus nocuit.

FATEOR occurrere poſſe menti duo, quæ videntur, doctrinam hanc reddere creditu difficilem: Alterum quod ſolum concernit hominem: Alterum tam Angelum quàm hominem. De homine, id eſt poſteris Adæ, certum eſt, potuiſſe illos, in paradiſo degentes peccaſſe, ſiue intemperantâ, de vetita arbore, ſiue alia patrando, cõtrà mentem ac voluntatem DEI; nam ſi potuerunt, & peccarunt primi parentes, præſtantiſſimis DEI donis (nimirũ capita & duces generis humani) prædití, faciliùs labi poterant Filij, Filiæque eorum, non eâ qua illi gratiâ virtuteq; ornati. Hoc ſi ita eſt, non videtur rectè dictum, intemperantiam primorum Parentum, tantorum malorum, atque adeò tot hominum damnationis eſſe cauſam, cùm perinde poſteri Adæ, aut certè faciliùs, quàm ille peccare potuiſſẽt.

De vtroque videlicet tam homine, quam Angelo illud etiam dici poteſt, potuiſſe illos primum comittere peccatũ, non in materia temperantiæ: ſed aut Fortitudinis, aut juſtitiæ, aut Fidei, Spei, Charitatis, tunc autem perinde hoc peccatum ac intemperantia omnium malorum, ac pœnarũ cauſa fuiſſet: non ergo intemperantiæ ſoli id tribuendum videtur. Hæc obiecta duo, ſuadent doctrinam allatam, non eſſe certam, euidentemque demonſtrationem, diluenda tamen ſunt, vt id quod diximus in ſua probabilitate remaneat.

Et quod ad primum attinet, non inficior, poſteros
24 Adæ potuiſſe peccare intemperantiâ, guſtando prohibitum fructum (quod quia parentib⁹ interdictum erat, proli quoque idem non fuit conceſſum: neque enim melioris conditionis hæc, quàm illi eſſe debebãt) diſpari tamen lege; nã Adæ intemperantia traxit poſt ſe, induxitque in poſteros omnia ſupra recenſita damna, ex pacto à DEO ſibi, vt primo omnium Parenti impoſito, & à ſe tum excepto, cùm audiuit dixiſſe DEUM: Geneſ. 2. *In quocunque die comederis morte mo-*

Digitized by Google

morieris, tu ſcilicet, & omnes tui poſteri. Quod pactum quia non fuit cum vllo ex poſteris Adæ initum à Deo, idcirco quicunque peccaſſet non peccãte Adam, non tráſmiſiſſet in alios omnia illa culpœ, & variarum pœnarum mala, quemadmodum tranſmiſit Adam: quidquid ſit, quod ille ex poſteris delinquens, culpæ pœnæque obnoxius eſſet.

Cùm itaque ex peccato poſterorum, non fuiſſet conſecuta efrenis illa concupiſcentia, ad omnem, nimium quam propendens culpam, neque in alijs, neque forte in ipſo delinquente; benè ſupra dictum eſt, non fuiſſe futuros tot in ſempiternis ignibus, quot iam ſunt, concupiſcentiâ illâ ob peccatum Adæ traductâ, miſere debellati.

Ex hac quidem parte homines; faciliùs tunc peccaſſent, quòd non tantis ad non peccandum fuiſſent muniti præſidijs, quanta habebat Adam; plura tamen procul dubio effecit in illis contra æternam ſalutem fomes mali, quàm fuiſſet factum, ſi ille abeſſet, quantumuis abſentia, cum minorib' Dei donis, eſſet coniuncta. Certè non eſt quæſtus S. Paulus Rom: 7. de minori gratiarum copia, (quàmuis potuiſſet habere maiorem quam habuit) quando dixit: *Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius*, ſed de lege membrorum, ac concupiſcentia ad omne incitante nefas: Judicauit profecto plura hanc legem efficere in homine mala, quàm ſequi poſſet ex non ita copioſa Dei gratia.

Huc accedit quod ſi Adam non peccaſſet, poſteri eius minoribus quidem Dei donis fuiſſent præditi, vt iam inſinuatum eſt, ac proinde faciliùs labi poterant, ſiue in intemperantiam, ſiue in alia peccata, quàm primi parentes, cùm tamen carerent fomite, non ita fuiſſent proni ad delinquendum, atque ſunt ſecuto Adæ peccato; nimirum, & minori gratiarum copia donati, quàm ille, & inſuper natiuo concupiſcentiæ puniti malo. Maneat ergò tãquam ſatis probatum, Intemperantiam primorum parentum, tantum generi obfuiſſe humano, quantum neutiquam obfuiſſent poſterorum peccata.

Ad alterum diluendum obiectum, conducit id quod ſupra ex S. Auguſtino, ex S. Thoma nu: 21. oſtendi, amorẽ eſſe primam affectionem omnium: & quidem inter ea quæ poſſunt amari, ſcimus DEUM eſſe, tanquam bonũ ſummum primò, & ſupra alia omnia amandũ, tam ab ipſo DEO, quàm à quouis alio qui eũ cognoſcit; primo tamẽ quàm Creatura Intelligens facię ad faciem illud videat, omneſque in eo primæ, ac ſummæ delectionis penetret rationes, facilè ſuũ amorem in id conuertit, quod videt, & quidem ſibi vicinũ ac intimum, nempe in ſeipſum. Jta reipſa amàrunt peruerſi Angeli ſe, ſuamque excellentiam; ita primi noſtri Parentes oblectationem gulæ; ita demum homines ante diluuium venereas adamârunt præ ipſo DEO illecebras.

26. Amor hic proprij boni maximè ad temperantiam ſpectat, vt per omnes aliorum virtutum generales percurrendo materias clarum videtur. Fortitudo enim ad ſpem pertinet, bonumque cum arduo malo habet coniunctũ, cùm amor qualis eſt in temperantia, in bono quieſcat duntaxat, nec attendit ad malum, niſi fortè hoc inpugnet ſuum bonum, vt vidimus ſuperius n. 7. & 8. Juſtitia alienũ concernit bonum, non proprium, quemadmodum fit à tẽperatia. Fidei, & charitati diuinæ, ſi quis eat contra, non ob aliud id facit, quàm quòd amet pertinaciter ſuum judicium, eiuſque excellentiam, ac eminentiam, nec velit piè diuinæ ſubdi authoritati. Pari modo is qui non amat DEUM, ideò id facit, quia amat aliquid aliud, & quidem proprium (hoc enim prius afficit hominem, quàm alienum) præ illo. De ſpe iam dictum eſt, eam, quæcunq; ſiue diuina, ſiue humana ſit, ſemper bonum ſpectare arduum. Ex his clarè illud infertur, quod iam diximus, vt amor proprij boni maximè ad temperantiam pertineat.

27. Ex quo inferenda eſt quoque reſponſio ad argumentum ſecundum, dicendumque, tam in Angelis quàm hominibus, primum peccatum debuiſſe eſſe intemperantiã,

poti-

Digitized by Google

potius quàm vllum aliud, eò quòd hæc ſit amor proprij, & intimi boni, alia verò peccata ſunt, vel alieni amor boni, vel non ita vicini, vel denique non ita clarè, & perfectè noti, atque eſt peccans ipſe ſibi notus, ſuaque de re, ac de ſuo bono delectatio. Quare tam Angelis quàm hominib^9 maximè nocuit intemperantia, cum neque Angeli fuiſſent damnati, neque tot homines, niſi fuiſſet intemperantia.

Hac reſponſione qui non eſt contentus, accipiat aliã: 28.
Dico enim licet abſolutè, & Metaphyſicè loquẽdo, potuerit eſſe Angeli, vel hominis aliud ab intemperantia primũ peccatum, de facto tamen fuiſſe intemperantiam, ex quo duo hæc deduco. Primum eſt tam Angelum, quàm hominem, atque adeò omnem creaturam intelligentem primò, & maximè ad intemperantiam propendere, quod enim ab initio à Creatura hac duplici factum eſt, euidenti ſigno colligendum, tam in ea quàm in alia, ſimilem eſſe inſitam inclinationem propenſionemque. Deduco & aliud, quidquid ſit de poſſibili, de facto certè tam Angelis, quàm hominibus tantum nocuiſſe intemperantiam, quantum nullum aliud peccatum nocuit vnquam. Atque vt hoc concludatur caput, pleneque fiat ſatis alteri tituli parti, affirmandum eſt temperantiæ virtutem, tantum conferre habenti illam, quantum eſt in vita, & æterna ſalute poſitum, vt taceam paradiſi, & ad tempus durantia bona: quando quidem propter intemperantiam, in his, tam Angeli, quàm homines, paſſi ſunt detrimẽtum.

Digitized by Google

CAPVT XII.

De variis Virtutibus quæ ad Temperantiam referentur.

1. MUltas eſſe Virtutes, quæ ad temperantiam aliâ atq; aliâ reuocantur ratione, conſtat ex dictis initio capitis ſexti, vbi oſtendimus, ex communi eorum, ſententia, qui de honeſtate morũ ſcripſerunt, ſingulas virtutes cardinales, habere partes integrales, potentiales, & ſubiectiuas, pro varia eorum conſideratione, eodem illo expoſita capite, attulimuſque in hac ipſa temperantia aliquot exempla. Integrales temperantiæ partes duas refert S. Tom: 2. 2. q. 143. art: vnico, verecundiam, & Honeſtatem; illa eſt fuga & timor turpitudinis in actu intemperato, hæc amor pulchritudinis in temperantia. Et de honeſtate quidem nullum eſt dubium eam eſſe virtutem, nam ſicut honeſtas in communi, de qua hoc libro c. 5. egimus. Idem eſt omnino quod virtus, in generali etiam ſuâ acceptione conſiderata; ita honeſtas temperantiæ dicit quandam ejus perfectionem, ad hoc ſuâpte naturâ propẽdentẽ, vt temperans in omni operatione, quæ à temperantia fit, pulchrum, & decorum ſpectet, quod laude atque honore ſit dignum.

2. Verecundiam Ariſtoteles 2. Ethic. c. 7. & cum illo tam philoſophi, quàm Theologi concorditer ſentiunt, nõ eſſe virtutem, ſed quoddam eius quaſi præambulum. varias afferendo rationes, quarum ſenſus hic videtur eſſe, atq; intelligentia: vt cùm virtute præditus, atque adeò temperans nihil committat, quod tanquam turpe, ac vituperatione dignum horreat, ac inde, erubeſcat: hinc eſt vt verecun-

cundia non poſſit eſſe virtus, vtpote quæ fugit horretque aliquid, quod in actu inhoneſtum apparet.

Sectio Prima.

In verecundia ſunt tria, & quid horum virtus?

MElius id cognoſcetur, ſi diſtinguamus, in verecundia tria quædam, nempe timorem turpitudinis in actu, triſtitiam, quæ ſuboritur tum, cum aliquid in operatione turpe cernitur, & ſuffuſionem quandam in vultu, propter abundantiam caloris, ſpirituumque à corde ad faciem oculoſque tranſmiſſorum: vt ij tegant tanquam velamine quodam faciem erubeſcentis, ne à circumſtantibus cognoſcatur. Timor turpitudinis reuera virtus eſt, ad tēperantiam tanquam actus eius pertinens; vt enim præcedēti c. 2. n. 7. explicatum eſt, temperantia proſequendo bonum honeſtum in jucundis operationibus, timet ac fugit omne illud, quod tali bono aliquomodo inimicum eſſe poſſit:

De triſtitia conſequente paſſionem, & alterationem corporis, fatendum eſt, eam virtutem eſſe non poſſe, cùm virtus, vt iam dictum eſt, potius gaudeat, quàm triſtetur, quoties ſuum exercet opus. Talis triſtitia non in materia temperantiæ ſolùm, ſed aliarum etiam virtutum poteſt interuenire, vt enim erubeſcimus, ſi quid adſit honeſtati tēperantiæ, contrarium; ita ſimilis exoritur paſſio, ſi quid fortitudini cernatur oppoſitum; certè fortes erubeſcunt ſe timidos, & puſillamines haberi, ſed hìc de verecundia illa tantùm agimus, quæ ad temperantiam, vt pars reuocatur, quæque erubeſcit delectationem turpem. 3.

Et licet ſic iā deſcripta verecundia, ſeu paſſio animi, non ſit

virtus cōfert tamē, & diſponit animā, ad eius conſecutionē; ex quo capite laudandam putant Doctores. quin & ipſe Spiritus Sanctus, Eccleſ. 7. ita illam commendat: *Noli diſcedere à muliere ſenſata, & bona, quam ſortitus es in timore Domini; gratia enim verecundiæ illius ſuper aurum.* Nam qui facilè ob quiduis etiam vix turpe erubeſcunt, quemadmodū ſolent ingenui adoleſcentes, & pudicæ fæminæ, illud tandem conſequuntur, vt nihil committant, quod meritò ſit erubeſcendum, atque ita erubeſcendo timent turpitudinem, quæ probro eſſet futura, ipſamque tandem adipiſcūtur temperantiam. Vnde ſenes, & virtute iam matura homines, carent erubeſcentia, nimirum quibus nihil obijci poteſt, quod ab ijs perperam ſit factum.

Non inficior tamen, maturos ætate, & perfectione,
4. ac ſanctitate homines ſolere interdum ſuffundi rubore, vt legimus in geſtis eorum; quod tum fit, cùm aliquid in publicum prodit, quod illi occultum eſſe vellent, licet illud ab omni inhoneſto ſit alieniſſimum; quin imo egregium factum, ac virtus: Ita Beatiſſimam Virginem narrat Euangeliſta Lucas c. 1. perturbatam in ſermone Angeli, eò quòd is de conceptu, ac partu egerit, quod virginis, præſertim tantæ puritatis, ac firmatæ caſtitatis voto (id quod illa nulli tum fortè mortalium aperuerat) iure præbuit verecundandi cauſam, inſolitamque menti pacatiſſimæ aliàs, ingeſſit perturbationem.

Reperiuntur etiam nonnulli maturi iam, & virtutis ſtudioſi, ita in animo compoſiti, vt leui de cauſa concipiant erubeſcentiam in illis quoque in quibus alij non erubeſcunt: Tales ſunt v. c. qui malint potius ægritudines corporis perpeti, quàm curationes quaſdā Chirurgorum, Medicorūq; adhibere, ſuo pudori non conſonas. Et ſi horrent ea, quæ ad corpus ſpectant, multò magis, quæ concernunt animum, ſi vel vmbram referant labis, ac vitij. Hæc ſi ab innato animi fiunt impetu, non quidem virtutis merentur nomen;

cum

Digitized by Google

cum nullus cum virtute naſcatur; facilis eſt tamen eiuſmodi natura, promptaque ad virtutem; id quod non habet is, qui liberior eſt, minuſque à natura verecundus. Quod ſi hæc ab habitu fiunt vſu contracto: nimiaq; verecundia prohibent etiam ea, quæ neceſſaria ſunt ad ſeruandam vitam, aut ad aliquid, quod ſibi alijſque vtile eſſe poſſit: à vitio nō excuſantur; ſi verò nihil horum eſt, ſed adeſt, tenera quædam animi præparatio, ad quiduis hoſtile puritati, & decētiæ; virtute omnino, & quidem ſingulari donandum illud omne, quod ab eiuſmodi fit pia conſuetudine, eſtque tunc erubeſcentia actus perfectæ temperantiæ. Tali temperātia præditus erat S. Ammon Eremita, de quo memini me legiſſe apud Heribertum Roſweydum, & ex Diuo Hieronymo in vitis Patrum. Hic cùm tranſiturus fluuiolum vadoſum, inciperet ſuccingere lumbos: viſa corporis nuditate erubuit, iamque ob hanc fortè erubeſcentiam, à propoſito ſuſcepti itineris deſiſtebat; cùm ecce in altera fluuij ripa ſe conſpiciens, gratias Deo egit, qui illum ſui ipſius pudorem miraculo ſibi acceptum declarauit. Hæc Verecundia cùm honeſtate iam explicata, integrales dicuntur temperantiæ partes, eò quòd eam in ſua totali, complent, & integram faciunt perfectione; quemadmodum membra integrant corpus; ſunt enim velut conceptus eius, vt Theologi dicunt inadæquati.

Sequuntur deinde partes potentiales temperantiæ; quæ quia imitantur illam in refrænādo delectationes quaſdam, etſi non ita potentes, vt eſt delectatio tactus; ideò vocantur potentiales, quaſi quæ idem poſſint in concupiſcentijs quibuſdam, motibuſque animi, quod illa facit, in difficillima carnis rebellione. Huiuſmodi virtutes in tres veluti ordines diuiduntur, pro triplici, in qua verſantur agendi materia: Quædam enim internos animi motus cōpeſcunt, aliæ externos componunt actus, ſunt demū, quæ ipſas res ordinant externas. 5.

Sectio Secunda.

Quid ſit, quidue efficiat continentia, & num rebellio ſenſûs ſit peccatum?

EX primo ordine eſt continentia, quæ prohibet, ne quantumuis ſint acres potẽteſque paſſionum motus, voluntas ſe trahi patiatur.
Et quãquã ſint variæ appetit⁹ motiones; hìc nihilomin⁹ de ijs eſt potiſſime ſermo, quæ ex tactu conſequuntur, quaſuẽ continentia, qua de nunc agimus, ita retundit, vt quãuis potentiſſimæ, non tamen dominentur voluntati neque eã in conſenſum inducant. Hac continentiã armatus S. Paulus, vehementes carnis motus repreſſit, omneſque, vt Doctor gentium erudiuit fideles, ne putarent ſecum, & cum ſua malè agi ſalute, neque ſe immunes eſſe à peccato, quantumuis motibus huiuſmodi conſtanter reſiſtunt, neque eis conſentiũnt, voluntate, gratia DEI præuenta: *Datus eſt mihi,* teſtatur de ſe 2. Cor. 12, *ſtimulus carnis meæ Angelus ſatanæ, qui me colaphizet; propter quod ter Dominum rogaui, vt diſcederet à me, & dixit mihi, ſufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.*

6. Poſtremis hiſcè verbis damnatur peruerſa Lutheri, & aliorum hæreticorum noſtri temporis opinio putantium, motus appetitûs contrarios rationi, quantumuis voluntas, conſenſum illis non præbeat, peccata eſſe. De quo vide Belarm: tom: 3. lib: 1. c 4. Quod ſi ita eſſet, vt illi blaterãt, non rectè Chriſtus in infirmitate huiuſmodi, hoc eſt, in motionibus inordinatis, virtutem aſſereret perfici, potius debuiſſet dicere, conſummari peccatum, quod ſentire de Domino, quaſi non rectè locutus fuiſſet, blaſphenum eſt.

Er-

Digitized by Google

Error hic hæreticorum, authorem ſuum habuit maledictum Cáim, vt legimus Gen: 4. Inuidia ille, & ira contra Abel fratrem ſtimulabatur, eò quòd Deus non reſpexiſſet ad ſacrificia eius, quemadmodum reſpexerat, ad ſacrificia Abel: Cùm verò hiſcê turbulentis animi exagitaretur peſtibus, putabat ſe tam omninò, & neceſſariò peccare, quàm neceſſitate quadam in corrupta natura, motus illos inuidiæ, & iracundiæ ſentiebat, propterea etiam mente, ac voluntate eiſdemmet aſſenſus, fratri necem inferre decreuerat: verum Deus, primus hunc errorem Magiſter cõfutauit, ita Caimum allocutus: *Quare iratus es, & concidit facies tua?* Et quia potuit dicere, vel ſaltem fortè cogitauit, ſe debere neceſſariò, non iraſci tantum, & tabeſcere liuore, propter excitatas eiuſmodi in appetitu totoque corpore paſſiones, ſed etiã non poſſe ſe etiam benè honeſteq; excitatis his motibus, operari, occurrit docuitque idem Magiſter, *Nonnè*, inquit, *ſi benè egeris recipies, ſin autem malè, ſtatim inforibus peccatum aderit.* Mox deinde oſtendit, quo pacto non obſtantibus illis perturbationibus animi, poſſit eſſe recta actio, negando ſcilicet illi voluntarium conſenſũ: *ſed ſubter te*, inquit, *erit Appetitus tuus, & tu dominaberis eius.*

Ne verò quis opinaretur, ſubiectionem hanc appetitus debere eſſe deſpoticã, & apathiam quandam, quemadmodum fuit inſtatu innocentiæ (in quo nulla vnquam motio, ab inferiore hominis parte, id eſt ab appetente facultate, niſi ad imperium rationis, ac voluntatis oriri potuit, etquidem ad imperium exactiſſimum, tunc videlicet, & tãtum appetitu, vel deteſtante, vel amante, cùm & quãtùm illi à ratione fuiſſet mandatũ) ex allatis iam Dei verbis clarè patet, ſubiectionem illam politicam eſſe, ſiue tálem, quæ ſit cum pugna, & reſiſtentia: Nam irato & inuidenti Caimo ſuaſit, vt benè ageret, dominando appetitui. Senſit ergò poſſe nos honeſtè operari tum, cùm rebelles, quos ſenti- 7.

muſin appetitu motus, mentis, ac voluntatis compeſcim' dominio, ea, ſcilicet ratione qua Rex quiſpiam dominatur politicè ſubditis ſuis, ſi quoties, in ſurgunt, jugumque conantur excutere, ac ipſum ſibi ſubdere, toties nefarios eorum conatus reprimit, non quidem auferendo illis poteſtatem reſiſtendi, ſemper enim poſſunt inſurgere, cùm ſemper habeant facultatem reſiſtendi, ſed victor euadendo: Jta prorſus mens, & ratio ſuprema, ac velut regalis in homine portio, reprimit appetitum, non tollendo illi reſiſtēdi poteſtatem, ſed victoriam obtinendo, quæ in hoc eſt, vt ratio, & voluntas non ſequantur velut ducem appetitum, neque ſubdantur eius effrænatis cupiditatibus. Quod duplici ratione fieri poſſe, docet S Thom: 2 2. q. 145. art: 1.

3. Cum enim quiſpiam crebrò refrænat appetitum, in talem illum redigit ſtatum, vt non habeat tantas reſiſtendi vires, ob contrarium continentiæ inſignem habitum, multis actibus comparatum. Atque tunc eſt perfecta continentiæ virtus, qualis non erit, ſi appetitus potenter reſurgat, & impugnet rationem, etſi cum victoria ab illa obtenta. Hanc victoriam de varijs appetitionib' partam pollicetur ſe Chriſtus Rex & Victor mundi, ac ſatanæ, æterno remuneraturum præmio, omnibus in hac pugna cōſtanter fortibus. Jd quod ſeruo ſuo Joanni reuelauit Apocalipſi c. 12. vbi poſt ſæpius repetita promiſſa, ita concludit: *Qui vicerit & cuſtodierit, vſque in finem opera mea, dabo illi poteſtatem ſuper gentes, & reget eas in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringentur, ſicut ego accepi a Patre meo, & dabo illi ſtellam matutinam.* Vbi duo referuntur præmia, Dominium ſupra gentes, & ſtella matutina. Hoc dominium, etſi ſignificet illam poteſtatē, quam habebūt Sācti ſupra omnes Chriſti, & eius Eccleſiæ hoſtes, Spiritus videlicet & homines damnatos; non incongruè tamen intelligi poterit Dominium abſolutum, & deſpoticum in inferiorem partem hominis, quare ita ſubdetur ſuperiori, vt in æternum nec

poſ-

Digitized by Google

poſſit etiam, nedum re ipſa reſiſtet rationi, cui velut virgâ ferreâ minanti, & pacatiſſimè dominanti, perfectiſſimè, ac deſpoticè prorſus obediet. Cæterum hoc præmium, beneficio alterius dabitur beato homini, quod eſt ſtella matutina, ſemper oriēs, nempè, ſalus & vita, nunquam in Regno Dei moritura. Eandem victoriam tantis donandã præmijs, non ſine labore, ac vi, adipiſcendam cenſet Dominus Matth: 11, *A diebus inquit Ioannis Baptiſtæ Regnū cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.*

Quod maximo debet eſſe ſolatio, virtutis, ſalutiſque ſtudioſis, quantumuis enim quis turbulentiſſimis, & fœdiſſimis agitetur appetitûs motibus, modo vim illis inferat, tanto erit in Regno cœlorum, hac quidem ex parte altior, quanto maior ſui euadet victor, quemadmodum docet, & faciendum ſuadet Spiritus Sanctus Eccleſ: 4. *Pro juſtitia agonizarē, pro anima tua, & vſque ad mortem certa pro juſtitia, & DEVS expugnabit pro te inimicos tuos.* Bis nominādo juſtitiam, ſemel videtur eam intelligere, quæ eſt meriti, deinde eam quæ eſt præmij, merito ex juſtitia ad æquum pondus correſpondentis: Jnimicos etiam intelligere videtur, rebelles animi motus, eorumque pollicetur victoriam, quam dat continentia animi, violentas reprimendo paſſiones. Et quod præſtat homini Continentia tactûs, reſiſtendo concupiſcentijs (qua ratione pertinet, vt pars potentialis ad temperantiam) idem faciet alias retundēdo appetitiones, quæ ab alijs reguntur virtutibus, ex quo capite ad alias ſpectabit virtutes. Magna itaque eſt hæc virtus, quæ tam inſignes ab ipſo Chriſto merita eſt laudes, & mercedis promiſſa. Magna etiam eſt ex hoc, quod difficilis ſit, ingenteſque requirit in reſiſtendo, & pugnando vires. Propterea S. Thom: in fæminis difficilius aſſerit continentiam reperiri, eò quòd in ijs non ſit ſufficiēs robur mētis ad reſiſtendum paſſionibus. Jta docet S. T. 2. 2. q. 149. art: 4. in Corp: & alij. 9.

Sec: 3.

Sectio Tertia.

De Studioſitate modeſtia & Eutrapelia.

ALia ad eundem ordinem, internorum ſcilicet motuum, ſpectans virtus, eſt humilitas, de qua ſequenti capite: Huc etiam pertinet manſuetudo, & de hac erit ſuus infra c. 14 agendi locus. Eſt demum ſtudioſitas, quæ præſcribit, quid cuique ſciendum, ac diſcendum ſit, ne curioſa, vel inutilia, vel quod peius eſt noxia diſcantur, qualia ſunt magica, impura, hæretica.

10. Jn ſecũdo ordine, inquo ſpectatur moderatio exteriorũ hominis operationum, eſt virtus modeſtiæ, decentiæ, ſeu quocũq; alio nomine appellanda ſit. Hæc ad duo attẽdẽdo, ad ipſum, qui operatur, & ad omnes adiacentes circũſtãtias, loci nimirum, temporis negotiorum, ſpectantium, audientium & ſimiles, ita componit omnes corporis mot⁹, vt nihil ſit in ijs, quod meritò tanquam indecorum, aut inhoneſtum reprehendi queat. Jtaque is modeſtus cenſendus eſt, qui & ſenſibus, & membris corporis, ea agit, quæ ſpectatis omnibus circumſtantijs ipſum decent, nec intuẽtium oculos, aut aures audientium, offendit.

11. Ad hanc virtutem modeſtiæ, reuocat Ariſtoteles tãquam ſpeciem eius 4. Ethic. c. 8. Eutrapeliam, ſiue moderatam jucundorum ſenſui in ludis, & colloquijs vſurpationem. Eutrapeliæ neceſſitatem S Auguſtinus lib: 2. Muſicæ c. 4 hiſce verbis aſſignat, *Volo tandem tibi parcas, nã ſapientem decet interdum remittere animum rebus agendis intẽtum.* Quæ verba explicat S. Thom: 2. 2 q. 148 art: 2 in Corp: *Sicut*, inquit, *homo indiget corporali quiete ad corporis refocillationem, quia non poteſt continuo laborare, propter hoc, quod habet*

bet finitam virtutem, quæ determinatis laboribus proportionatur: ita etiam eſt ex parte animæ, cuius etiam eſt virtus finita, ad determinatas operationes proportionata. Et ideò, quando vltra modum ſuum in aliquas operationes ſe extendit, laborat, & fatigatur, præſertim quia in operationibus animæ ſimul etiam laborat corpus, in quantum ſcilicet anima intellectiua vtitur viribus per organa corporea operantibus. Sicut autem fatigatio corporalis ſoluitur, per corporis quietē, ita etiā oportet, quod fatigatio animalis, ſoluatur per animæ quietem, quies autem animæ eſt delectatio, Et ideò remedium contra fatigationem animalem, adhibetur per aliquam delectationem. Hæc S. Thomas, qui delectationem prædictam eodem loco docet, capiendam eſſe ex ludicris verbis, & factis, refertque à S. Joanne Euangeliſta quoſdam, qui ſcanzaliſati erant, eò quòd cùm diſcipulis ſuis luderet, reprehenſos, quorum vni juſſit arcum intendere ſæpius, quod cùm nollet amplius facere, afferens cauſam damni, ſi crebro intendatur, ſubjunxit Apoſtolus, perinde animos noſtros damnum pati, ſi ſine intermiſſione ſerijs diſtineantur. Eutrapeliæ virtus duo extrema vitare debet, alterum, ne quid in verbis, aut factis ludicris ſit nimium, ac indecenter ſuperfluum, quod Cicero 1 de officijs c. de ſcurrilitate, vocat jucundi genus illiberale, petulans, flagitioſum, obſcænum.

Hoc jucundi genere, vſus eſt Cham, vt legimus Gen: 9. Cùm enim vidiſſet Noe parētem ſuum, præ ebrietate nudatum, capta hac videndi, vel potius illudendi occaſione, retulit duobus fratribus ſuis, Sem & Japhet, vt & hi malè lætandi, ſocios ſe adjungerent, offenſus hac re, vbi euigilauit Pater, ita imprecatus eſt petulco filio: *Meledictus Chānaam ſeruus ſeruorum erit fratribus ſuis.* Ex hoc diſcimus poſſe euenire, vt quis æternam mereatur maledictionem, ludo & verbis, quæ aliquid obſcæni contineant, non habita eorum ratione, qui audiendo, vel videndo, jure ſcandalizari poſſunt. 12,

Sectio Quarta.

Joci, ludi inhoneſti, vitia eutrapeliæ oppoſita.

13. SUNT multi in craſſo quodam errore ex conſuetudine parto, his præſertim ſæculis, ſemper in deterius vergentibus, qui non reputant grauem Dei eſſe offenſam, turpes jocos, & ludos habentes, cum annexa delectatione ſimul grauiſſimas ſcandalorum (vt vocant Theologi) actiuorum cauſas. hoc eſt talium ſcandalorum, quæ circumſtantes inducunt, ad ſimilia, nec parua peccata. Quod verò magis dolendum, non id ſolum faciunt homines, nullius frugi, & ſenſûs, ſcurræ videlicet, paraſiti, lixæ, calones, & ſimiles, ſed etiam ij, qui in aulis, in conſeſſu, conſortioque magnorum, magnos ſe haberi, & putant, & volunt; nec contentis dictis, factiſque ſuis, pueros inſtruūt, fœdas adocent cantilenas, & ea adhibent, quæ recenſere pudor prohibet. Fit quoq;, & vtinā nō crebro, (quòd maiorem inſuper auget dolorem) vt etiam ij, qui ſpirituales viri appellari gaudent, de Eccleſiaſtico ordine, ab hoc liberè, id eſt, indecore iocandi, ludendique genere, non ſint alieni. Hi omnes reuocent ſibi in memoriam, verba Saluatoris, Matth: 18. ita in tales inuehentis: *Væ mundo à ſcandalis: væ homini illi, per quem ſcandalum venit; Qui ſcandalizauerit vnum de puſillis, expedit ei vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.*

14. Et ne mirum videatur, talibus Dominum minari, doctrinam de ſcandalo in Theologia certam, hic obiter expedendam propono, quam quiſque latiùs videre poteſt in S. Thom: 2. 2. q. 43. Summa eius hæc eſt; qui dicit facitue, quod vnum duntaxat ad letale peccatum inducere poſſit

(poſ-

(poſſit inquam quidquid ſit, quod de facto, ob aliquā cauſam non inducat) duplici ſe obſtringit ſcelere, primū eſt, proprium delectationis, v. g. obcænæ ex dictis, factiſue in animo verſantis, alterum alienum, ſcandali ſcilicet proximo oblati. Quod ſi plures ſunt, qui ad malum induci poſſunt, exempli cauſa decem, & centū, mille, præter vnum proprium, tot erunt aliena, quot ſcandalizati, qui ſpectant, ſiue audiunt ſcandala. Denique ſi quis adeò ſit ſceleſt⁹, vt non ſit ei ſatis ſuis dictis, factiſue inducere alios ad peccandum, & quidē variè pro varietate dictorū, factorūq; & eorū qui illis trahūtur ad malū inſuperintēdit peruerſa volūtate, precaturq; alteri lapſum, & ruinam peccati, præter iā dicta ſcelera, nouū cōplet, contra charitatē proximi. Cùm vero ſcandalū noceat homini, nō in ſubſtātia, neq; in jumento, neque in fama, aut honore, neque in corpore, ſed in anima, atque adeò æternâ vitâ, pro qua Dominus ſuam temporalē morti expoſſuit; quid iam mirum eſt, eundem Dominum, ſimul & Iudicem noſtrum, adeò graue judiciū minari ſcandalizantibus? Hoc judicium Sanctus alioquin Dauid verebatur, quando ſupplex orabat Deum Pſal: 18. *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, & ab alienis parce ſeruo tuo.* Sed de hac dabitur alia agendi neceſſitas, lib: 2. vbi erit de charitate ſermo: nunc ex occaſione dixi, vnum ex duobus extremis, quod Extrapelia, ſiue honeſta jucunditas animi vitare debet, eſſe exceſſum iam explicatum.

Sectio Quinta.

Fugere honeſtam animi remiſſionem eſt vitium.

ALterum extremum in defectu cernitur, quando quis ita decentem horret oblectationem, vt nec ipſe illā 15.

experiri velit, & alios, qui ea vtuntur, fugiat, contẽnatq́; ab huiuſmodi vitio denominat Ariſtoteles 4. Ethic: c. 8. homines duros & agreſtes. Poteſt quidem fieri, vt quis malè corpore, ob abundantiam melancholiæ, aut ægritudinem diſpoſitus, fugiat jucunda, tamen alijs eadem prohibere non debet, quin & ipſi, quando, & vbi poteſt, imponendum triſtitiæ modum ratio ſuadet. Quanquam fit nõ rarò vt id, non ex corporis, ſed animi quadam ad ſpeciem honeſta proueniat diſpoſitione, in re autem ab occulto quodam vanitatis typho, quem qui ſequuntur, putant dedecere grauis perſonæ dignitatem, ad ludicra etiam honeſta ſe demittere: quod dum putant, non tam grauitati prudenter conſultum volunt, quàm præſumptæ de dignitate opinioni, eandemque minimè lædere, aut minuere.

16. Sed hi meminiſſe debent, ceſſationem à laboribus per honeſtam quietem, non à probatis tantùm, prudentibuſq; viris, ſed ab ipſa omnis probatæ vitæ norma, prudentia ſcilicet, ac ſapientia increata, Chriſto ad huc mortali fuiſſe vſurpata. Qui non judicauit alienum à grauitate diuinæ ſuæ, in carne noſtra Perſonæ, poſt ſerias curas, aliquid interponere jucundæ quietis, eamque ſe ſpectatore, ſuis Diſcipulis concedere. Ita enim Marci 6. legimus: *Et conuenientes Apoſtoli ad IESVM, renunciauerunt omnia, quæ egerãt, & docuerãt, & ait illis: venite ſeorſum in deſertum locum, & requieſcite puſillum.* Hanc autem quietem, non fuiſſe ſõmni tantùm, aut ceſſationis à labore ſed etiam jucundæ cuiuspiam actionis, qualis poteſt eſſe, cibi, potuſque ac ſermocinationis aptæ intermixtæ, indicant ſubſequentia eodẽ loco verba: *Erant enim,* (narrat Marcus) *qui veniebant, & redibant multi, & nec ſpacium manducandi habebant.* Vt ergo commoditatem manducandi haberent, eduxit Dominus ſeorſum in deſertum. Inter manducandum, & ſermocinandum poterit etiam eſſe aliqua muſica; nam hanc, eadem diuina ſapientia increata ſuadet, quieti à ſerijs admiſcen-

Digitized by Google

ſcendam Ecclеſ: 32. *loquere maior natus decet enim te primum verbum diligenti ſcientia, & non impedias muſicam. Gemmula carbunculi in ornamento auri, & comparatio muſicorum, in conuiuio vini,* Optimè autem ſeorſum ſuijs Diſcipulis à Communi hominum turba ſeuocatis, quietè cõceſſit; ſciebat enim facilè eos accepturos fuiſſe occaſſionem ſcandali, inde, vbi nihil niſi decens, & honeſtum eſſet: expertus quippe in ſe fuit, illa talium dicta: *Ecce homo vorax & potator vini & peccatorum amicus.* Matt: 11. Non ergò indignum putetur grauiter, ſerijs, intendum admiſere ludicra, quantum Eutrapelia concedit.

Sectio Sexta.

Moderari cultum corporis ſpectat ad temperantiam.

Tertius tandem ordo virtutum, quæ temperantiæ tanquam potentiales adiunguntur, conſiſtit in moderatione delectationis, quæ ſumitur à cultu. atque ornatu corporis. Merito autem hic tertius aſſignatur ordo; nam poſt moderationem animi, ac externarum operationum, in quibus poteſt eſſe delectatio, moderatio quoq; in ipſis rebus externis adhibenda eſt, vt omnis vndecunq; orta voluptas, modeſtiæ, ſeu moderationis, nõ careat regulâ. 17.
Moderatio prædicta duas habet partes, vt nec quærantur ſuperflua, exquiſita, & vltra quam ſtatus cuiuſque permittit, nec deſint ea, quæ ſiue neceſſitati, ſiue honeſtati ſunt opportuna. ex quo facilè eſt de cultu, atque ornatu quâ virili, quâ muliebri judicium ferre: nam vltra neceſſitatem, honeſtatis etiam, decoriſue habendam eſſe rationem ſuadet

Digitized by Google

virtus hæc, quam aliqui nominant debitum ornatum, alij modeſtiam in cultu externo. Itaque fæminæ, quæ matrimonio ſeparant, poſſunt adhibere cultum ornatiorem, quo placeant Sponſis. vxoribus etiam idem abſque vitio permittendum eſt, ne contemnantur à ſuis maritis, cum periculo adulterij, diſcordiæ, & aliorum non leuium, quæ contemptum ſequi ſolent, malorum. Quod fæminis licet, non denegandum etiam ſimiles ob cauſas viris, vt in Apoſt: Paulo 1. Cor: 7. clare legimus: *Qui cum vxore* inquit *eſt, ſolicitus eſt, quæ ſunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt: Et mulier, quæ nupta eſt, cogitat quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro:* quam ſollicitudinem non dãnat Apoſtolus vt malam, ſed ſuppoſito matrimonij ſtatu cenſet vtilem; quemadmodum è contra ijs qui perfectiores eſſe volent, Deoque Creatori ſuo per contemplatiuæ vitæ quietẽ, magis ſe vnire, tãquã vtiliſſimũ ſuadet mediũ virtutẽ caſtitatis, quæ efficit, vt ſoli Chriſto velimus placere, præmiſſis enim hoc ſuperaddit: *Porro hoc ad vtilitatem veſtram dico, non vt laqueum vobis inijciam, ſed ad id; quod honeſtum eſt & quod facultatem præbeat, ſine impedimento Dominum obſecrandi;* quaſi dicere voluiſſet; Si vultis carere impedimento vacandi Domino, amplectimini caſtitatem, aut perenẽ, aut ſaltem ad tempus, quo commodius obſecretis Dominum. Quod ſi matrimonium elegeritis, eiuſque legibus parere volueritis liberum, erit ornatum adhibere, vt placeat coniunx coniugi, id quod concedo, ne laqueum vobis inijciam.

18. Itaque vt rectè Caietanus docet in quæſtionis Sancti Thomæ 149. articulum ſecundum, ex ſecunda ſecundæ, tres cauſæ eſſe poſſunt ornatus corporis, prima neceſſitas, vt ab iniurijis cæli corpus defendatur, ſecunda honeſtas, vt quiſque congruè ſuo ſtatui veſtiatur, cùm præſertim homines vt plurimum minùs, colant eos, alioquin dignos honore, qui vilem deferunt habitum, & tamen ſunt in officijs, &

di-

dignitate conſtituti. Tertia Ornatus cauſa eſt pulchritudinis apparentia, id quod ijs tantùm conceditur, qui vel ſunt coniuges vel ſperant ſe futuros. Quare & moderatus, fucus, quo interdum vtuntur fæminæ, non eſt damnandus, perinde enim hic, ac veſtes, & ſimilia addit pulchritudinē, quam negauit natura, ſicut ergò, veſtes pulchræ non damnantur, ita nec fucus.

Sed licet tam vir quàm mulier, cultiùs ornari poſſint, vtriſque tamen cauendum imprimis eſt, ne cultus ille nimius ſit, attento proprio gradu, genere, dignitate, ac conſuetudine regionis, à prudentibus etiam receptâ. Nam ſi plebeius quiſpiam ita veſtiatur vt nobiliſſimus quiſque, & nobilis ita vt ſuprem⁹ in republica, non carebit culpâ; quæ quidem in ſe vanitas quædam, & prodigalitas eſt venialis, niſi adſint alia, iam afferenda quæ mortalem efficiunt culpam. Secundo enim in cultu hoc vitari debet peruerſitas finis, aut circumſtantia, mala, hac ratione ſi mulier v. g. ornet ſe vt alios ad laſciuiam prouocet, peccat luxuriæ peccato, eò quòd habeat oculum mentis, ſeu intentionis ſuæ peruerſum, quem reprehendit Dominus Matth: 6. *Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tenebroſum erit.* Simile peccatum (hoc eſt graue erit) ſi quis ſplendidè veſtitus alios contemnat: velut indignos quibus cum habeat aliquid negotj. ita Epulo ille Lucæ 16. indutus purpura, & biſſo, non oculos dignatus eſt conuertere ad miſerum Lazarum, non quærere de ipſius extrema calamitate, ne dum morienti ſubuenire. 19.

20. Mala etiam & vitanda omninò eſt Circūſtantia, quādo ex luxu veſtium ſequi neceſſe eſt, vt merces operarijs debita detineatur, reſtitutioque ex juſtitia reddendorum, aut negligantur ij, quorum cura eſt in præcepto, vt ſunt Parentes, conjunx proles. Hoc eodem modo grauiter peccant, qui non ſumptuoſo tantùm, ſed nouo etiam, atq; à ſe præter conſuetudinem regionis excogitato vtuntur veſti-

ſtitu, qui honeſtati, ac decentiæ repugnet; vt ſi fæminæ denudent pectus. Si viri Sarmatico ſoliti vti habitu, qualis eſt in noſtra Polonia, adeò breuem & curtum adhibeant, vt notabile cernatur, indecorum, & turpitudo. Deniq; pernicioſus eſt veſtium luxus, ad quem conquiritur pecunia cum oppreſſione ſubditorum, aut quorumuis aliorũ, damno atque iniuria: hæc & ſimilia grauem continent culpam, quam ſuperfluo communicant ornatui de ſe aliàs & propter ſuperfluitatem leuius culpando.

21. Poſt integrantes, & potentiales temperantiæ partes ſequuntur propriæ eius ſpecies, vocatæ in ſcholis ſubiectiuæ: atquæ hæ quot ſint facilè ex dictis præcedenti capite, ſciri poteſt, ſpectata materia, quam temperantia tractat, nempe delectatione tactûs. Quapropter ſicut delectatio hæc quadruplex eſt, ex cibo nimirum, ex potu oriri ſolita, ex actu item venereo, & operationibus ijs quæ illum communiter præcedunt, aut ſequuntur, vt ſunt amplex⁹, oſcula, & tactus, ita ſpecies temperantiæ quadrifariam diuidi neceſſe eſt, cibum enim moderatur abſtinentia, potum ſobrietas, actum venereum Caſtitas, tactum & oſcula prudentia.

Ex his omnibus iam enumeratis virtutibus, illæ reſtãt enucleatiùs explicandæ, quarum (vt vidimus capite præcedenti) contraria peccata maximum generi humano, atque angelico attulêre nocumentum, nempe humilitas, & quæ illam ferè ſemper comitatur manſuetudo, comite plerumq; patientia, & cum ſodali pudicitia, deniquæ abſtinentia, cum amica ſobrietate, reliquæ virtutes, partim iam explicatæ ſunt, partim non ita arduæ, difficileſque, neque ita in vſu crebræ, vt ſunt hæ ſex de quibus agendum.

CAPUT

CAPVT XIII.

Quid ſit, & quid conferat ad ſalutem Humilitas, ſeu modeſtia animi.

VT rectè intelligi poſſit, quantum humilitas ad ſalutem conferat auxilij, ipſa prius in ſe explicanda eſt; 1.
quam omnes, qui de ea ſcribunt, aſſerunt eſſe appetitum ordinatum propriæ excellentiæ, quemadmodum contrariam illi ſuperbiam dicunt eſſe appetitum inordinatum excellentiæ propriæ: quapropter humilitas appellatur alio nomine modeſtia animi; modum enim illi præſcribit, vt non vltra quam poſſit ac debeat feratur in magna atque excellentiam ſuam. Excellentia hæc idem eſt, quod honor, fama, gloria, præeminentia; iſta enim appetit, qui ſe magnifacit, atque alijs præferendum putat. Docet por- 2.
ro S. Auguſtinus Tom: 4. lib: vnico, 80. Quæſt: q. 7. & S. Thō: 2. 2. q. 161. art: 4. in quonā conſiſtat ordinata, aut inordinata excellentiæ iam dictæ appetitio, proponuntque duo in quauis re intelligente, Angelo ſcilicet vel homine conſideranda; alterum quod ille habet à ſe & hoc non eſt aliud quàm nihil; ſeu vt vocant Theologi potentia obiectiua ſubdita diuinæ omnipotentiæ, quæ illam reducit ad actum ex nihilo faciendo aliquid, ſeu ens quodpiam in mundo ponendo:. atque hoc eſt alterum quod res illa intelligens habet non à ſe, verùm à ſuo authore DEO nempe ens, ſeu aliquid.

Quando ergo quiſpiam non tribuit ſibi aliquid, quaſi 3.
illud à ſe habeat, non à DEO, vel meritis ſuis ab ipſo cōſecutus ſit, & non eius miſericordia (quæ omne præcedit meritum, dando ipſam etiam merendi facultatem) hic verè hu-

milis eſt, quantumuis in ſe præclara ſiue naturæ videat do-
na; nempe ingenium, judicium, eloquentiam, memoriam
inſignem, nobilitatem generis, ſplendorem nominis, dex-
teritatem, atque aptitudinem ad multa & quidem magna,
opes item diuitias & his ſimilia· ſiue etiam gratiæ, vt ſunt
virtutes, pietas, perfectio Chriſtianæ vitæ, ſanctitas, gratia
miraculorum, ſanitatum, & cætera id genus. Pari ratione
nihil virtuti humilitatis derogabit ille, qui ſe pluris æſtimet,
quàm alium: ſiue quia aliqua in ſe DEI dona deprehendit,
quæ in alio non conſpicit, ſiue quia maiora ſibi, quam alijs,
videt collata, modo ita reuera ſit. Quanquam fieri poteſt,
vt in alio ſint occulta, & incognita bona, propter quæ, me-
rito alter nobis præferendus ſit. Quare rectè quiſque faci-
et, ſi ſe minorem alijs reputabit, collatis ſuis manifeſtis, cū
occultis alienis; de quo ita loquitur S. Auguſtinus loco an-
notato: *Cogitandum*, inquit, *nullum eſſe hominem, qui non
poſſit habere aliquod bonū, quod tu nondum habes, non enim fallit
nos Apoſtolus ad Philip: 2. In humilitate exiſtimantes alter alte-
rum ſuperiorem ſibi. Non hoc ita debemus* ſunt verba S Augu-
ſtini) *exiſtimare vt non exiſtimemus ſeu non exiſtimare fingamus;
ſed verè exiſtimemus aliquid occultum eſſe poſſe, quo nobis ſuperior
ſit, etſi bonum noſtrum, quo videmur ſuperiores non ſit occultum.*

Sectio Prima.

Quot modis quiſque cum alio ſe conferre poteſt, citra diſpendium humilitatis?

4. EX hac vtriuſque Sancti doctrina aduerto, quatuor
modis poſſe humilem ſe cum alijs conferre, limites
humilitatis minimè excedendo, ſed intra illos ſe cō-
ti-

tinendo ſemper. primo Conſiderando id, quod habet proprium à ſe, & id quod eſt à Conditore Deo alijs conceſſum, & ſic omnibus inferiorem ac contemptibiliorem ſe meritò agnoſcet verè humilis: cum id, quod eſt in alijs ſit aliquid ſeu res quæpiam, in ſe verò ſit nihil. Quemadmodum enim id omne quod aliquid, ſiue entitas quæpiam eſt, habet tanquam indiuiduum comitem proprietatem bonitatis, quæ appetatur, ametur, & æſtimetur, (vt in Methaphyſica docēt Philoſophi) ita nihilo contraria debetur malitia, non quidē moralis, id eſt culpa; ſed Metaphyſica, ſiue negatio omnis rei, quæ conueniat appetitui, ab eoque ametur, & in pretio habeatur. Quare qui nihil duntaxat ſeu id, quod à ſe habet attendit, infimum, ac contemptibiliſſimum ſe reperiet omnium aliorum, in quibus aliquid, quantumuis exile à Deo donatum conſpiciet. Hoc pacto Sancti quidam omnium ſe maximos, & verè agnoſcebant peccatores; attendebant enim ſuum nihil, moralem videlicet quantumuis exiguam malitiam, cuius ipſi cauſa erant (Deus enim author peccati eſſe non poteſt) in alijs verò virtutes Deique munera; atque ita verè omnibus ſe inferiores proclamabant.

Alter modus eſt, quo humilis alijs ſe ſubijcit, ſua manifeſta bona, cum aliorum occultis conferendo, ſiue ita vt maiora alijs ineſſe credat, ſiue quod putet, non ſe habere (cum illis quæ iam adeptus eſt) quædam quæ alijs ſunt conceſſa. Quod vt verè, & ſine fictione fiat, habendum eſt in memoria id, quod S. Paulus 1 ad Cor: 12. de prouidentia Dei, vt Authoris, partim naturæ, partim gratiæ tradit, oſtenditque ipſum nunquam vni dare omnia, ſed quod vni negat, largitur alteri. Probat id inprimis exemplo à naturalibus deſumpto: *Corpus*, inquit, *non eſt vnum membrum ſed multa, ſi totum corpus oculus, vbi auditus? ſi totum auditus vbi odoratus? nunc autem DEVS poſuit membra vnumquodq; eorū in corpore ſicut voluit.* 5.

6. Hic Apoſtolus oſtendere vult, Diuinam prouidentiã in rebus ad naturæ ordinem ſpectantibus, quæ & multæ ſunt, & tamen vnum, aliquâ vnionis ratione conficiunt,(vt ſunt multa membra in vno corpore humano) hanc ideam, normamque tenuiſſe, vt vnicuique peculare comunicauerit donũ, oculo verbi cauſa vt videat, auri & audiat ſic: & cæteris membris, quorũ nulli dedit omnẽ, quæ in corpore requiritur operandi facultatem. Idem videmus in tota mũdi machina, quæ elementis, cœlis, & rebus alijs minoribus conſtat: nam terra, non poteſt id præſtare quod præſtat aqua, neque hæc, quod aer, aut ignis aut cœlum. Non aliam Diuinæ ſuæ Prouidentiæ tenuit Deus rationem in cõdendis hominibus; nullus quippe reperitur qui vnus omnia habeat, quæ ſunt in reliquis: itaque ſicut oculus ſi ſaperet, aurem ſibi verè præferre deberet, cæteraque mẽmbra, tanquam id agentia, quod ille non poteſt, eò quòd non habeat, ea, quæ in quouis adſunt etſi ipſe excellentiſſimo vidẽdi ſit præditus Dei munere. Ita ſapientiſſimus quiſpiam, ſed debilis viribus, fortem vt maiorem ſe, honorabit, ita fortiſſimus, ſed illiterat⁹ doctum colet, ita demum quiuis in quouis videndo, aut certè attentâ hac Diuiuæ prouidentiæ regulâ, cogitando eſſe, quod in ſe non ſit, ſemper reperiet humiliandi, ſubijtiendique ſui juſtam, & veram cauſam.

7. Alterum exemplum, quo idem conatur oſtendere eodem loco S Paulus, pertinet ad ordinem gratiæ, atque in hoc etiam Diuina prouidentia noluit vni cõcedere omnia, ſed varia, diuerſaque diuerſis communicauit gratiarum dona: *Quoſdam*, inquit, *poſuit DEVS in Eccleſia Apoſtolos, ſecundo Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarũ, interpretationes ſermonum Nunquid omnes Apoſtoli? nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes Doctores. nunquid omnes virtutes? nunquid omnes gratiam habentes curationum? nunquid omnes linguis loquuntur? nunquid omnes interpretantur?* Hic quo-

Digitized by Google

quoque docemur, vnumquemque verè poſſe, & debere æſtimare alios ſibi maiores, licet ſit præclariſſimis DEI præuentus beneficijs, cùm non habeat omnia Diuinitus ipſis cōceſſa: Jta Apoſtolus Paulus detulit honorem Prophetæ Agabo, Actor: 21. qui de illo prophetauit id, quod de ſe S. Paulus, ſaltem tunc non prædixit, neque conſtat id eum tunc ſciuiſſe, ſic enim narrat hiſtoria: *Cum moraremur per aliquot dies Cæſareæ, ſuperuenit quidā à Iudæa Propheta nomine Agab⁹, is cùm veniſſet ad nos tulit Zonam Pauli & alligās ſibi pedes, & manus, dixit: Hæc dicit Spiritus Sanctus, virum cuius eſt Zona hæc, ſic alligabunt in Ieruſalem Iudæi, & tradent in manus gētium*: Non reiecit prædictionem de ſe factam S. Paulus, neque dixit ſe id benè ſciuiſſe, ſed credidit: nam cùm rogatus à fratribus eſſet, ne aſcēderet Hieroſolymam; reſpondit: *Quid facitis flentes, & affligentes cor meum? ego enim non tantum alligari, ſed & mori in Hieruſalem paratus ſum, propter nomen Domini IESV*: Qui hoc ſecundo modo ſe demittit non tam ea reſpicit quæ habet, quàm id quod non habet, quantumuis enim id, quo caret, ſit multo minus, quàm illud quo potitur, nihilominus ſe deijcit, cenſetque inferiorē, eò quòd non habeat aliquid, & ſimul magna, quæ à DEO habet, ſecum humiliat.

Quod pulchrè, etſi altè vt ſolet declarat S. Auguſtinus Tom: 9. in cap: 13. Joan: tractatu 55. exemplo Saluatoris DEI pedes ſuorum diſcipulorum lauantis, qui hoc ipſo quod ſerui in ſe officium ſuſcipere dignatus eſt, diſcipulis tanquam Dominis, eſt obſecutus, quod dum faciebat, infinitam Maieſtatis ſuæ Diuinæ abiecit dignitatem. ſic ergo id Auguſtinus elucidat; *Locuturus Euangeliſta de tanta Domini humilitate, prius celſitudinem eius voluit commendare: ad hoc pertinet quod ait: Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à DEO exiuit, & ad Deum vadit. Cùm ergo illi omnia Pater dediſſet in manus, ille diſcipulorum non manus, ſed pepes lauit, Et cùm ſciret ſe à DEO exijſſe & ad Deum pergere, non DEI Domini, ſed hominis* 8.

nis impleuit officium. Hanc tantam Chriſti humilitatem conferendo cum ſuperbia hominum, qui vel minora ſua nolunt maioribus alienis ſubijcere, vel illa præferunt magnis. Idem S. Auguſtinus libro vnico de Cateheſi rudium c. 4. ſtupens clamat. *Magna miſeria ſuperbus homo, ſed maior miſericordia humilis DEVS,* Eiuſdem tantæ humilitatis memor teſtis oculatus S. Petrus ſuis ſucceſſoribus, omnibuſq; Prælatis commendatum reliquit, 1. Petri 5. his verbis: *Seniores qui in vobis ſunt, obſecro conſenior, & teſtis Chriſti paſſionum, paſcite qui in vobis eſt gregem DEI, neque vt dominantes in Cleris, ſed forma facti gregis ex animo.* Quaſi voluiſſet dicere, licet Paſtores gregis Chriſti ſint Diuina quadam, eaque præcellentiſſima clericorum electi ſorte, & cæteris prælati, non tamen in ſe dominandi duntaxat, & præeminendi attendāt magnitudinem; ſed ea etiam, quibus gregi forma & exēplum humilitatis eſſe queant: ac quemadmodum grex, eò quòd regatur, inferiorem ſe agnoſcit rectore ſuo: ita ipſi paſtores, nouerint aliquid eſſe in grege, quod non ſit in illis, ſciantque ſe quoque in aliquo eſſe inferiores grege; & ipſi formâ humilitatis præeant.

9. Monitionem hanc acceptarunt Summi Pontifices Vicarij Chriſti, & Petri ſucceſſores, qui ſe ſeruos ſeruorum DEI in literis nominant Apoſtolicis, acceptant & reliqui omnes à Chriſto ſingulari, altoque illuſtrati lumine, qui non tantùm laborant, quid in alijs ſibi præferendum reperiant, vt ſe humilient, quantum vt DEO humiliato aſſociētur, eodem illo tempore, quo lauit pedes ſic omnes ad humilitatem exhortanti: *Vos vocatis me Magiſter & Domine & benè dicitis, ſum etenim. Si ergo ego laui pedes veſtros Dominus, & Magiſter, & vos debetis alter alterius lauare pedes: exemplum enim dedi vobis vt quemadmodum ego feci vobis ita & vos faciatis.* Joan: 13. Hoc exemplum ſecuti omnes, qui ſunt Chriſti tāquam Domini, & Magiſtri ſui ad pedes viliſſimorum tunc in mundo hominum, nempe ruſticorum, & piſcatorum ſe pro-

Digitized by Google

proſternentis, hoc inquam tantum exemplum ſecuti, nullũ vnquam & nuſquam reperient, quem mente ſibi non præponant, ſignis etiam atque externo obſequio, quando licebit retentâ conditionis, atque authoritatis: propriæ dignitate: quemadmodum facere ſolent multi prælatorum, & magnatum die cœnæ Domini, cùm pedes lauãt pauperum ad exemplum Chriſti.

Sectio Secunda.

Humilitatem Chriſti excellens ſectandi ratio.

CÆterum hanc Dei humilitatem, eſt quædam alia lõgè excellãtior ſectandi ratio, cùm non ipſi nos ſponte demittimus; ſed ab alio vi deijcimur, quam ſectandi rationem rectè poſſumus appellare Apoſtolicam: Apoſtoli enim in ſe expreſſam nobis reliquerunt, de quibus ſic Actorum 5. legimus: *Et illi quidem ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt, pro nomine IESV contumeliam pati*: meminerãt videlicet dictum à Magiſtro, ſe beatos fore, ſi ea perferrent, quæ viliſſimis, & abiectiſſimis hominum meritò conuenirent, quæque ipſi pro nomine, & reuerentia eius vltro amplecterentur oblata, neque penſi haberent, quàm indigna ferrent; ſed quàm dignum, & beatum eſſet ſequi Chriſtum, infinitâ ſuâ celſitudine indigniſſima ferentem, & ob hoc ſummam pollicentem beatitudinẽ, Matth: 5. Lucæ 6 hiſcè diuinis verbis: *Beati eritis, cùm vos oderint homines, & cùm ſeparauerint vos & exprobrauerint, & eiecerint nomen veſtrum tanquam malum, propter filium hominis, gaudete in illa die, & exultate: ecce enim merces veſtra multa eſt in cœlo.* 10.

Duo

Digitized by Google

11. Duo in hoc ſuo fideliſſimo, & liberaliſſimo promiſſo cõplexus eſt Dominus, cauſam videlicet meritoriam, & eius præmium, & quidem duplex, beatitudinem, ac mercedẽ multam in cœlo. Cauſa eſt, indigna ferre, propter filium hominis, quod non tunc tantùm faciebant Apoſtoli, cùm fide in illum, nomenq; eius Sanctum Iudæis, ac gentibus inuiſum prædicando, irriſiones, & opprobria ſunt paſſi, eò quòd cruci affixum, pro DEO habendum, & colendum proponerent, verùm quoties præter meritum ſuum, indignè, & abiectè ſunt tractati, id quod illis Chriſtus prædixit tanquam ſeruis ſe Dominum ſecuturis, & diſcipulis Magiſtri ſeruatoris dogma: *Memẽtote inquiens* Ioã. 15. *ſermonis mei, non eſt ſeruus maior Domino ſuo, ſi me perſecuti ſunt, & vos perſequentur:* quaſi dicere voluiſſet, queadmodũ ego præter meũ meritum indigniſſimè tractatus, habituſque ſum, *potator vini, vorax, & peccatorum amicus:* Matth: 11. vt jure quæſtus fuerim, *vos inhonoraſtis me*, Joan: 8. ita non aliud vos quoque manet, nimirum Chriſtianos, & quidem inſignes mei ſectatores. Ad hanc ſequelam exhortatur S. Petrus in Epiſt: ſua 1. c. 4. *Si exprobramini in nomine Chriſti beati eritis. quoniam quod eſt honoris, gloriæ, & virtutis DEI, & qui eſt eius Spiritus ſuper vos requieſcit: nemo autem veſtrum patiatur: vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor, ſi autem vt Chriſtianus, non erubeſcat; glorificet autem DEVM in iſto nomine.* Hãc eandem ſequelam gratulabatur ſibi S. Paulus 1. Cor: 4. & ſic gloriatus eſt. *Nos propter Chriſtum ſtulti, infirmi, ignobiles, colaphis cædimur, inſtabiles ſumus, maledicimur, blaſphæmamur, tanquam purgamenta huius mundi facti ſumus, omnium peripſema:* & vt alij quoque Chriſtiani eiuſdem gloriæ participes eſſe velint, obſecrat ibidem: *Rogo vos imitatores mei eſtote. ſicut & ego Chriſti.*

12. Noluit imitationem hanc tanquam præceptum imponere, ſed obſecrando ſuaſit, nimirum excelſam atque arduam, ijſque facilem duntaxat, qui ardenti in Chriſtum ſe-

Digitized by Google

feruntur amore, cùm enim ſic amantium ſe propria ſit vnio, & quædam vnitas atque identitas (quam precabatur Domin⁹ omnib⁹ in ſe crediturís Joā: 11. *Pater omnes vnū ſint, ſicut tu in me & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint, vt cognoſcat mundus quia tu me miſiſti & dilexiſti eos ſicut & me*) qui Chriſtū tanto vnionis ſtudio diligit, optat profectò idē in viſceribus cordis ſui ſentire, quod ſentit ipſe, tanquā ſi diligēs homo & dilectus Chriſtus vnū idemque eſſent. quēadmodum declarat S. Paulus ad Philip: 5. *Hoc ſentite in vobis quod & in Chriſto IESV qui cum in forma Dei eſſet non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo ſed ſemetipſum exinaniuit formā ſerui accipiens: Humiliauit ſemetipſum.* Jtaque talis ad ſimilitudinem & imitationem Chriſti, pro ſancto eius amore, ac reuerentia humiliatio, magnos eius amatores decet, quales tunc erant Apoſtoli, qui ſibi dictum audierunt. *Vos me amaſtis* Joan: 16. quales etiam poſtea erant, & nunc ſunt Apoſtolicæ ſectatores vitæ.

Quapropter S. Pater noſter Jgnatius hanc excelſam virtutem, ijs qui ordinem noſtrum ingredi cupiunt cōmendatam reliquit in Examine c. 4. f. 44. cùm ijs qui ſuſcipiuntur ad noſtrum ordinem præmittendo, nimirum qui & Apoſtolicum ſunt profeſſi viuendi genus, & adniti debent vt digni ſint vocari de Societate JESU, nempe ita amare DEUM Saluatorem ſuum vt meretur, vel ob hoc ipſum, quod ſe ſocium in carne noſtra exhibuerit, vtque ipſi poſſunt vel maximè. verba Jgnatij magno Spiritu prolata ſunt hæc: *Diligenter animaduertant oportet (magnifaciendo, ſummique mometi id eſſe ducendo in conſpectu Creatoris ac Domini noſtri) quantopere juuet ac conferat ad vitæ Spiritualis profectum; omnino & non ex parte abhorrere ab omnibus quæ mundus amat, & amplectitur, & admittere, & concupiſcere totis viribus, quidquid Chriſtus Dominus noſter amauit & amplexus eſt. Quemadmodum enim mundani homines, qui ea quæ mundi ſunt, ſequuntur diligūt & quærunt magna cum diligentia, honores ſcilicet famam, magni* 13.

nominis exiſtimationem in terra ſicut mundus eos edocet, ſic qui procedunt in ſpiritu & ſeriò Chriſtum Dominum noſtrum ſequuntur, amant & ardenter exoptant, quæ ijs omnino contraria ſunt, indui nimirum eadem veſte ac inſignibus Domini ſui, pro ipſius amore ac reuerentia, adeò, vt ſi ſine offenſione vlla Diuinæ Maieſtatis, & abſque proximi peccato foret, vellent contumelias, falſa teſtimonia, & iniurias pati ac ſtulti haberi & exiſtimari (nulla tamen ad id per eos data occaſione) eo quòd exoptant aſſimilari ac imitari aliquomodo Creatorem ac Dominum noſtrum IESVM Chriſtum eiuſque veſtibus ac inſignibus indui: quandoquidem ille ipſe propter maiorem profectum noſtrum Spiritualem induit, nobiſque exemplū dedit, vt in omnibus, quoad eius fieri poterit, Diuinâ gratiâ aſpirāte, eum imitari & ſequi, cùm vera ſit via, quæ ducit homines ad vitam, velimus.

14\. Huc vſque Ignatius. vbi expendendum eſt inprimis quod nolit à nobis dari cauſam opprobriorum & iniuriarū: non enim ſunt facienda mala, vt eueniant bona; poteſt autē dari cauſa facto tali, quod mereretur vilipendiū & contemptum, id quod prohibet S. Petrus in epiſtola illa ſua cùm inquit: *Nemo veſtrum patiatur vt maledicus.* Datur etiam tūc quodammodo cauſa, cū quis etſi immeritò ea patitur, quæ alijs nocumentum afferre poſſunt, quale v. g. refundi ſolet in totam communitatē, ex vnius, qui eſt de ea, ſuſpecta vitâ; obuiare ergo is debet & oſtendere ſe indigna ferre; ne ſi taceat ſua ipſi humiliatio, aliorum fit infamia. Expēdendum deinde eſt, id quod aſſerit S. Ignatius, imitationē iam dictam Chriſti, eſſe veſtes atque inſignia eius, quibus ornati, arrident oculis ipſius diuinis tanquam ſimiles illi: ſimile enim ſimili gaudet. De Alexandro Magno ſcribit Diodorus Siculus Biblioth. Hiſto: lib. 17. Num: 37. quod dum capta in bello Darij Mater nomine Zizigambris, vocata, adductaque in conſpectum eius Epheſtionem cultu corporis, alijſque Alexandro perſimilem loco regis ſalutaſſet, & ob id admonita à quodam eſſet erroris; ipſe Ale-

lexander dixiſſe fertur: *Minimè erraſti, nam & iſte Alexander eſt.* Si tantum potuit, in excelſo principis huius animo ſimilitudo illa, vt gratum, paremque ſibi propter eã Epheſtionem fuerit teſtatus; quãtùm faciet, in diuini, vt ſic dicam, animi infinita celſitudine, hæc inter Chriſtum, & ſectatores eius ſimilitudo; præſertim cum ad illam ab ipſomet inuitemur, Matth: 11. *Diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde.* Itaque qui nullo ſuo merito, nullaq; data cauſa patitur indignã perſonâ, & vitâ ſuâ, Dei incarnati refert, in ſe ſimilitudinem, tantò maiorem, quantò indigniora perferre cogitur. atque vt hæc ſimilitudo vera & ipſi accepta ſit, amore, & reuerentia eius ferenda, quæcunq; immeritò imponuntur.

Præter meritoriam cauſam iam explicatam complexus eſt Dominus locis citatis ſupra, præmium dandum ſic 15.
amore eius ſe humiliantibus, & primum quidem præmiũ eſt beatitudo in mortali hac vita, quæ cum (vt docent Theologi cum S. Thom: 1. 2. q. 69) ſit conſecutio perfecti (omnes enim qui beatitudinem deſiderant vltimam expetũt perfectionem) neceſſe eſt fateri, magnam eos aſſequi perfectionem, qui Chriſto hac tali aſſimilantur imitatione. Vltimo poſt omnes alias ſeptem loco expreſſit Dominus hanc iam relatam beatitudinem quæ (vt explicat S. Thom: q. citata art: 3. ad 5.) eſt quædam manifeſtatiõ & confirmatio õnium præcedentium: Ex hoc enim, inquit, quod aliquis eſt confirmatus in paupertate ſpiritûs, & mititate, & alijs ſequentibus, prouenit, quod ab his bonis propter aliquã perſecutionem non recedit. Ponendo igitur Saluator hãc ſui imitationem vltimo loco, ſignificare voluit eam cõplere omnium beatitudinum perfectionem, cui tanquam excellentiſſimo merito multa & copioſa, & vltima tandem in cœlo relinquitur merces.

Atque hæc eſt, ſecundum à Chriſto promiſſum præ- 16.
mium, ad quod hiſcè gradibus peruenitur. *Vt primus ſit vir-*

Digitized by Google

tus humilitatis, ſeu imitatio Chriſti; coniuncta cum inſigni manſuetudine ac tolerantia de qua capite ſequenti dicetur. *Secundus*, beatitudo hìc in terra; *Tertius*; multa, & copioſa in cœlo merces. Qui enim in hac excellenti raraque ſectandi Chriſtum exercitatur virtute, conſequitur perfectionem, quæ eſt ſumma beatitudo, quanta in hac quidem vita obtineri poteſt; in futura autem vtrique par, & virtuti ſcilicet, & beatitudini merces, non qualiſcunque, ſed multa, & copioſa.

17. Jure optimò merces hæc copioſa promittitur; nam quemadmodum in Chriſto hoc maximè demiratur Paulus Philip: 2. quòd cùm Deus ſit, adeo ſe demiſerit *in forma ſerui*, vt per id quaſi *exinaniuerit ſemetipſum, propterea etiam Pater æternus, exaltauit illum, & dedit illi nomen, ſupra omne nomẽ vt in nomine IESV omne genu flectatur, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus IESVS, in gloria eſt Dei Patris*: quemadmodum, inquam, potiſſimè eſt admiranda altiſſimæ illius eminentiæ in Chriſto deiectio, accedentib' præſertim (id quod addit immenſum humiliationis pondus) tot opprobijs, cōtumelijs, & id genus alijs indigniſſime toleratis: ita qui ipſi hac ratione humiliato conformes efficiuntur, quantum poſſunt, vel longiſſimè ſequendo, exaltato quoque ac glorioſo, tanto propiores beatitudine erunt, tantoque magis conformes, vt inquit S. Paulus Rom: 8. *Imagini, quanto ſe magis conformarunt contemptæ humanitati.* Jd quod S. Petrus Epiſtola illa ſua 1. c. 4. expreſſit, verbis magnam continentibus energiam. *Si exprobramini* inquit *in nomine Chriſti beati eritis, quoniam quod eſt honoris, gloriæ, virtutis Dei, & qui eſt eius ſpiritus ſuper vos requieſcet*: quo quid aliud ſignificare voluit, quam magnitudinem præmij, quale, & quantum omnipotens Dei virtus, & infinit' Spiritûs Sancti amor poterit largiri. Hæc, quia ſingulari Magiſtri ſui dono, altiſſimoque ab ipſo immiſſo lumine Apoſtoli expendebant, *ibāt gaudentes à conſpectu concilij, quando digni ſunt habiti pro nomine,*

Digitized by Google

ne, & imitatione IESV contumeliã pati vt legimus Actor: 5.

Quanquam fatendum eſt, gaudium eiuſmodi poſſe interdum non ſentiri, præſertim cum magna delectationis voluptate, quæ etiam aduerſitates tollat, vel multum minuat ſenſum: cum enim, vt ſcribit S. Paulus ad Galat: 5. *gaudium hoc, ſit vnus è fructibus Spiritus Sancti, qui cum ſuauitate, & delectatione conſequuntur ex operationibus virtutum;* vita autem hæc mortalis, potius ſit ad laborandum, & ſeminandũ, vt idẽ Apoſtolus Eadẽ epiſt: c. 6. docet quàm ad colligendos deſtinata fructus; non mirum videri debet, ſi in imitatione crucis Chriſti, non ſemper percipiatur hoc gaudium; maxime cum ſint alij Spiritus Sancti fructus, qui illius defectum æquè vtiliter ſupplere poſſint; nempe pax, patientia, manſuetudo, quæ vt rectè docet S. Thom: 1. 2. q. 70. art: 3. ad 3. hoc ipſo quod in triſtitijs nõ turbemur, aliquã afferunt delectationem. Hos potiùs, quam gaudium ſentiebat S. Paulus fructus, quando de ſe ſuiſque aduerſitatibus certos reddebat Corinthios 2. Cor 1. *Non enim volumus,* inquit, *vos ignorare, fratres, de tribulatione noſtra, quæ facta eſt in Aſia, quoniam ſupra modum grauati ſumus, ſupra virtutem, ita vt tæderet nos etiam viuere; ſed ipſi in nobis ipſis reſponſum mortis habuimus, vt non ſimus fidentes in nobis, ſed in DEO,* Tædium vitæ ob tribulationem tunc præſentem non permiſit Sanctum Paulum gaudere; ſpes tamen in DEO, qui præſtat, vt mortem etiam patienter feramus, in pace ac manſuetudine conſtituit eundem quietum & trãquillum. Eoſdem fructus perſenſit Saluator noſter, cum in horto Gethſemani, mœſtus, ac triſtis fuit, conflĩgẽs cũ tædijs, atque angoribus animi, denique *factus in Agonia* (teſte Luc: c. 22.) *prolixius orabat.* 18.

Hæc eſt altera, & quidem priore multo præſtantior humiliandi nos ad imitationem Chriſti ratio; expoſitis verò iam duobus, veræ humilitatis modis, alios duos breuius proſequamur.

Tertius ergo eſt, cum bona in nobis verè conſpicim⁹, 19. quæ in alijs non apparent, aut maiora in nobis, quam in alijs videmus: Hoc in euentu, nihil præiudicando Chriſtianæ, perfectæque mentis demiſſioni, pluris nos, quam alios poſſum⁹ æſtimare: Deo, bonorũ largitori, adſcribẽdo ea, quæ poſſidemus, eiuſque nos clientes, ac mẽdicos cognoſcendo, à quo niſi acciperemus, haberemus omnino nihil; *Quid enim habes,* inquit S. Paulus 1. ad Cor: 4. *quod non accepiſti?* Juxta hunc tertium modum ſe, alioſque Apoſtolos, præfert S. Paulus cæteris, ad Epheſ: 3. *Alijs* inquit, *generationibus non eſt agnitum filijs hominum, ſicut nunc reuelatum eſt Sanctis Apoſtolis eius:* ita etiam idem Apoſtolus, Judæos præfert gentibus, Gal: 2. *Nos natura Iudæi, & non ex gentib⁹ peccatores.* Cũ vero hoc modo ſe alijs præfert, ſimul meminit humilitatis, quâ ſe ſubijcit *Deo bonorũ authori:* propterea 1. Cor: 2. monet omnes, vt dum bona ſua conſpiciunt, Deo illa tribuant: *vt ſciamus,* inquit, *quæ à DEO donata ſint nobis.* Quare S. Thom; 2. 2. q 161 art: 1 ad 5. & art: 2. ad 3. in hoc præſtantiam commendat humilitatis, quod in homine efficiat, vt ex reuerentia in Deum, *non plus* inquit, *ille ſibi tribuat, quam ſibi competat ſecundum gradum, quem eſt à DEO ſortit⁹*, vnde humilitas præcipuè videtur importare ſubiectionem hominis ad Deum. Propter quam rationem idem S. Thom: eademq. art: 5. in Corp: poſt virtutes Theologicas, Intellectuales, & Iuſtitiam, ante omnes alias morales ponit humilitatem.

20. Poſtremus humiliationis modus eſt, in quo nihil cum nihilo collatum æquiparatur, & quicunque, æqualem ſe cuicunque poteſt, & debet exiſtimare: Nam qui id ſpectat, quod ſuis viribus, à Deo non adiutus facere, aut habere poteſt, illud erit prorſus nihil, teſte Joãne Euangeliſta c. 1. qui omnem creaturam, eo, quod à Creatore Deo accipit, præciſo ſic paucis ſufficientiſſimè definit verbis: *Et ſine illo factum eſt nihil;* quaſi dicat: Omne quod non eſt

Digitized by Google

Deus, nec à Deo factum, eſt nihil: hoc idem ipſe Domin⁹ teſtatur, Joan: 15. *ſine me nihil poteſtis facere:* in hoc nihilo, omnes pares ſumus, cùm quiuis aliud omnino de ſe non habeat, quam nihil. Quare humilitas vera ab omnibus exigit, vt iſto quidem nihilo, nec præferamus nos vlli rei, nec inferiores putemus; ſed in media inter hoc vtrumque, paritate conſtituti humiliemur, vt præcipit S. Petr⁹ 1. Petri 5. *ſub potenti manu DEI omnes humilitatẽ inſinuantes,* hoc eſt nihil nos eſſe, aut poſſe confitentes, niſi ſuccurrat omnipotens & miſericors Dei manus.

Sectio Tertia.

Humilitas duplici ratione confert ad ſalutem.

HActenus deſcripta humilitatis virtus, quantum ad ſalutem vnicuique conducat (præter dicta quæ hoc idem oſtendunt non pauca c. 10. à num: 19.) apertè Saluator, Matth: 18 docuit, vbi ad quæſtionem Apoſtolorum huiuſmodi: *Quis putas maior eſt in regno Cœlorum?* ita vocato paruulo, & in medio eorum conſtituto reſpondit: *Amen dico vobis niſi conuerſi fueritis, & efficiàmini ſicut paruuli, non intrabitis in Regnum cœlorum. Quicunque ergo humiliauerit ſe ſicut paruulus iſte, hic eſt maior in regno Cœlorũ.* Hoc ſuo reſponſo duo videtur cõplex⁹ Domin⁹. quorũ primum eſt, humilitatem ad ſalutem æternam neceſſariam eſſe, ne dum vtilem; Hoc enim indicat particula illa, (*Niſi*) quâ perinde vſus eſt Chriſtus, atque ſi quis dicat; niſi quis habeat animam corpus ſuum informantem, nequaquã viuet. Jtaq; ſicut animæ in corpore præſentia, de neceſſitate eſt ad habendam vitam: ita præſentia humilitatis in anima de neceſſitate eſt ad conſequẽdam vitam æternam: neque refert, quod ani- 21.

ma

ma ſit viuēti neceſſaria, vt cauſa formalis, humilitas autē vt diſpoſitio ad vitam æternam hoc inquam nihil refert, nam comparatio ab anima ſumpta ſolùm oſtendit neceſſitatis non cauſæ paritatem. Alterum, quod complexus eſt reſpondendo Dominus, non ad neceſſitatem, ſed ad maiorē excellentiam, felicitatemque ſpectat, dicendo quippe: *Quicūque ergo humiliauerit ſe ſicut paruulus iſte, hic eſt maior in regno Cælorum*, propoſuit imitandam in paruulo talem humilitatèm, nempe maiorem, qualis non ad ſalutem omnino, & abſolutè exigitur; ſed ad eius perfectionem excellentioremque gradum, juxta illud vetus Philoſophorū dictum: ſicut ſe habet ſimpliciter ad ſimpliciter, ita magis ad magis. Humilitas perſimilis paruulis innocentibus, ſimpliciter neceſſaria eſt ad regnum Cœlorum conſequendum; maior humilitas, innocentioribus conformata paruulis, confert ad obtinendum altiorem in illo locum & eminentiam.

82. Porro vndenam id habeat virtus hæc, & quid cauſæ ſit, quod ſalutis dator Chriſtus, non niſi humilibus illam promittat, & magis humilibus, eminentiorem eius conſecutionem, declarat S. Auguſtinus lib. 14. de Ciuitate Dei, c. 13. & S. Thom: 2. 2. q. 16. art: 5. eandem rem, via ac ratione diuerſa explicantes. S. Thomas tribuit humilitati, vim, ac præſtantiam tantam, eo quod hominem diſponat præparet, promptumque reddat ad obediendum rationi præſcribenti ea, quæ à Deo ordinata ſunt, ad vltimum beatitudinis conſequendum finem; verba illius ſund hæc in Corp: art: in quo quærit, num humilitas ſit potiſſima omnium virtutum: *Dicendum*, inquit, *bonum humanæ virtutis in ordine rationis conſiſtit, qui quidem principaliter attēditur reſpectu finis; vnde virtutes Theologicæ quæ habent vltimum finem pro obiecto, ſunt potiſſimæ: ſecundariò autem attēditur, prout ſecundum rationem finis ordinantur ea, quæ ſunt ad finem: & hæc quidem ordinatio eſſentialiter conſiſtit in ipſa ratione,*

ne. participatiuè autem in ipſo appetitu, per rationem ordinante. Quam quidem ordinationem vniuerſaliter, facit juſtitia præſertim legalis, ordinationi autem facit hominem bene ſubiectum humilitas, in vniuerſali quantū ad omnia; quælibet autem alia virtus, quantum ad aliquam materiā ſpecialem.

Ideò poſt virtutes Theologicas, & virtutes intellectuales, quæ reſpiciunt ipſam rationem, & poſt juſtitiam præſertim regalem (quò S. Thom: 2. 2. q. 104. reuocat obedientiam, & eam Quæſtione eâdem, art: 3. omnibus virtutib⁹ moralibus etiam humilitati præfert, id quod ſupra. c. 10. oſtendimus) potior cæteris eſt humilitas. Hanc S. Thomæ doctrinam ſecuti, aſſerimus humilitati ſalutem tribuendam eſſe, eo quod ſit diſpoſitio quædam ad exequenda ea, quæ ratio oſtendit facienda, qualia ſunt diuina mandata; talium enim obſeruantia eſt ordinata, & quidem neceſſariò ad ſalutem conſequendam, cum Dominus Matth: 19. dixerit: *ſi vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* Diſponit quidem humilitas ad ſeruāda mandata, eo ipſo quod hominem tanquam inferiorem ijs ſubijciat, quibus parendum ratio cenſet, qualis eſt potiſſimè DEVS author, & dator ſalutis. 25.

Quemadmodum ergo obedientia, DEO præcipienti debita, eſt omnino ad ſalutem cuiuis neceſſaria, conſulenti verò eſt vtilis, ad maiorem ſcilicet perfectionem; ita & humilitas diſponēs ad obediendum, eſt iam neceſſaria, iam vtilis.

Sectio Quarta.

Humilitas alta quadam ratione participat de excellentia DEI.

24. JD ipſum S. Auguſtinus loco ſupra citato, licet alia altiore, oſtendit via, attendendo in humilitate, non iam diſponendi illam vim, ſed quandam referendi humilem ad Deum, qui eſt vltimus finis & ſalus noſtra, qua ipſa relatione, humilis ad id, quod eſt in rerum natura ſupremū erigitur, participatque ab eo, qui altiſſimus eſt, ſummam altitudinem. Subtilitas conceptûs S. Auguſtini clarior reddetur ex doctrina Methaphyſicorum de relatione: relata enim ita ſe habent ad inuicem, vt non ſolum vnum, abſque alio eſſe nequeat; ſed etiam vnum alteri conferat id, ſine quo eſſe, diciue, aut concipi nequaquam poſſet. Nūquam filius eſſe, diciuè filius poſſet, niſi quod talis ſit, à Patre haberet; & eadem ratione, pater ſine filio non eſt Pater: itaque Pater & filius & ſimul ſunt, & à ſe ſortiuntur, quod ſint. Jdem putat S. Auguſtinus in humili, & Deo reperiri poſſe, hoc vno dempto, quòd Deus nimirum Ens omnimodè independens, à nullaque creatura quidquam mendicans, neutiquam eget humili, vt ſit, quemadmodum hic eget Deo, vt ſit, & vt fœlix, ac beatus ſit: quod conſequitur, ad ſuum infimum, ſeu nihil ſe demittendo, & in Deo ſumma recognoſcendo, eique nimirum ſupremo ſe ſubdēdo: quà demiſſione & ſubiectione illud obtinet humilis, vt de eo, quod Deus eſt, participet velut relatum de relato, nimirum infimum, de ſummo, & ſupremo Deo. Hœc participatio Dei, non aliud eſt; quam æterna vita, & ſal⁹, ſiue in minore, ſiue in maiore perfectione adipiſcenda.

Neque enim aliud beatis in Regno ſuo, Deus, tanquam vltimam felicitatem largitur, quam ſe ipſum, quem Patri omnium ſaluandorum Abraham promiſit Geneſ: 15. *Ego merces tua magna nimis.* Sed ipſe S. Auguſtinus de hoc audiatur loquens: *Eſt aliquid humilitas miro modo, quod ſurſum faciat cor; & eſt aliquid elationis, quod deorſum faciat cor. Hoc quidem, quaſi contrarium videtur, vt elatio ſit deorſum, & humilitas ſurſum; ſed pia humilitas facit ſubditum ſuperiori, nihil*

bile eſt autem ſuperius DEO, & ideo exaltat humilitas, quæ facit ſubditum DEO. Elatio autem, quæ in vitio eſt, eo ipſo quod reſpuit ſubiectionem, cadit ab illo, quo non eſt quidquam ſuperius, & ſit quod ſcriptum eſt Pſal: 72. *Deiecisti eos dum alleuarentur: non enim, ait, dum eleuati fuiſſent, vt prius, extollerentur, & poſtea deijcerentur; ſed cum extollerentur, tunc deiecti ſunt: ipſo quippe extolli, iam deijci eſt.* Aliud non vult diſcurſu ſuo Doctor hìc euincere, quâm quòd humilis ponendo ſe in ſuo nihili infimo, accipit à ſuo correlatiuo, nempe à ſupremo Deo, eſſe ſupremi, videlicet participationem ipſius, ſiue æternam vitam; ſicut è contra elatus, quia non ſe locat in infimo, tanquam in correlatiuo ſupremi, non accipit ab illo, per quod erigatur, ad altitudinem; ſed ab ea deijcitur.

Poſſet huic aſſertioni, S. Auguſtini ita explicatæ, illud vnum obijci, quod licet relatiua exigant ſe mutuò ad hoc, vt ſunt, nequaquam tamen vnum idem eſt, quod aliud; ſed omnino diſtingui debent, alioquin non referrentur ad ſe, tanquam duo, & diuerſa, atque ita Pater, nunquam euadit ſuus filius, nec filius ſuus Pater; alias Pater mutaretur in filium, & filius in Patrem. Quod ſi ita eſt, non recte videtur aſſerere S. Auguſtinus, humilem exaltari, & ad Deum eleuari, eo quod ſe infimū, Deum ſupremū habeat; quin potiùs aſſerendum eſſet, infimum à ſupremo, vt duo diuerſa diſtingui debere, ſemperque humilem infimum eſſe, quemadmodum DEUS ſemper eſt ſummum quid, & ſupremum. Reſpondendum eſt, optimum & veriſſimum eſſe, id, quod affirmat S. hic Pater; neque enim mens eius eſt, vt velit humilem, eo quo ſe inferiorem Deo reputet, euadere, & quaſi mutari in ipſum, deſinereque eſſe de ſe nihil; id quod recte oſtendit fieri non poſſe, in contrarium allata obiectio: ſed aſſerit humilem, eo ipſo, quòd ſe comparatione Dei Auctoris ſui, & vnici largitoris bonorū nihil (vt veriſſima veritas eſt) agnoſcat, efficere in 25.

Deo, eiuſque corde diuino, vt ea conſequatur, quæ in Deo duntaxat, reperiri, & à Deo donari poſſunt, nempe, communicationem eſſe, tanto perfectioris, & diuinioris, quãto humilis perfectiore ſui deiectione, magis deuincit cor diuinum, & ad maiorem prolicit munificentiam. Itaq; ſicut filius non admittendo eſſe filij, à Patre habet, quod ſit filius; & è contra, Pater, non eſſet Pater, niſi adeſſet filius, quæ relata, eſſe ſuum ab extrinſeco termino ſortiuntur: ita humilis, non amittit vnquam id, quod de ſe eſt, nempe nihil, ſed retinendo illud ſemper, tanquam diſtinctum à Deo (qui vt de ſe teſtatus eſt, Exod: 3. *eſt, qui eſt*, neq; poteſt eſſe nihil) eleuatur ad participationem condiſtincti ſibi Dei, incipitque ex illo tanquam ſibi extrinſeco, eſſe qui ex ſe non eſt, ſeu nihil eſt' incipit inquàm viuere Deo æternâ vitâ.

Superbus & elatus è contrario, quia non ſe reponit, in ſuo infimo condiſtincto à Deo, ſed eleuat ſe quaſi ex ſe ali, quid haberet, ad ſuum deijcitur nihil, vt in illo ſemper deliteſcat.

26. Hinc verò quantum & vnde humilitas habeat, quod ad ſalutem cõferat manifeſtum eſt; cùm enim Dei immenſa bonitas, non contenta fuit donare homini, vt eſſet, viueret, ſentiret, intelligeret, ſicut vt exiſteret in competenti naturæ ſuæ actu, largiri inſuper decreuit, vitam & felicitatem, quâ ipſe ſemper perfruitur beatus: ſancta eius & immutabilis voluntas, nolle conferre tantam felicitatẽ, niſi humilibus, ſeu agnoſcentibus eam, ſe non poſſe, niſi Dei beneficentia adipiſci: quam voluntatem promulgauit Chriſtus: *Niſi*, inquiens *efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum, & qui ſe magis humiliauerit, vt paruulus, hic maior eſt in regnuo cœlorum.*

27. Sanctæ huiuſmodi voluntatis declarationem ab ipſo Chriſto Domino datam deſumo ex Joan: 17. vbi ſic inquit: *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcãt te ſolum DEVM & quem miſiſti IESVM Chriſtum.* Si enim ad vitam æternam neceſſe eſt, vt co-

Digitized by Google

vt cognoſcatur Deus, ſolus & verus, hoc eſt ille, qui ſolus à ſe eſt, præter quem quoduis aliud, eſt de ſe nihil, & ſi aliquid eſt, ab illo eſt; ſi etiam neceſſe eſt, vt cognoſcatur ſolus talis Deus, ſimul & verus; nempe cuiuſcunque ſani intellectûs judicio, non alius quàm talis apprehendatur; profectò quicunque cupit vitam æternam, agnoſcendo Deum ſolum talem, ſimul etiam agnoſcere debet, ſe excludi ab eo, quod in Deo cognoſcit. nimirum, ſe de ſe non eſſe, ſeu nihil eſſe. Deum autem de ſe eſſe, & omne quod eſt, ab illo accipit, vt ſit: neque enim ſolus Deus eſſet verè talis, ſi is, qui talem illum nouit, aliud ab eo, tale noſceret. Propterea peruerſus Angelus, quia ſe volebat Deo comparare, & ſibi id, quod Deo ſoli competit, tribuere, quando dicebat Jſa: 14. *Ero ſimilis altiſsimo*: *In veritate*, inquit Chriſtus Joan: 8. *non ſtetit*, æternamque, idcirco non eſt conſecutus vitam: *non* enim *inuentus eſt, ampliùs locus eorum in cœlo*, vt teſtatur Joan: Apocalip: 12. Jtaque humilis agnoſcendo ſolum Deum eſſe, ſe autem eſſe non eſſe, *in veritate ſtat*, qua veritate conciliat ſibi Deum, eiuſque magnificentiam prouocat ad largiendum locum in cœlo, ab Angelis deſertum.

Quam conciliandi vim in nobis ipſis, ac belluis etiã 28.
experimur, à magnificentiſſima procul dubio natura Dei deriuatam, vt vel vera propriaque humilitas, vel aliqua imitatio eius, plurimum conferat ad beneficium à maiore, altioreque percipiendum. Præclarum eius documentum refert Plutarchus, in vita Alexandri magni: cum enim ille cum ingenti exercitu veniſſet occupaturꝰ Regis Taxillis in Jndia regnum: cernens hic ſe multo inferiorem ad reſiſtendum eſſe, ita Alexandrum eſt allocutus: *Quid bellis inter nos opus eſt? cum neque aquam nobis ademptum, neque victum neceſſarium veneris, pro quibus ſolis neceſſe habent ſani decertare: reliquis opibus ſi ego abundantior ſum, impertiar tibi libens; ſin inferior non recuſo à te grato animo accipere beneficium.* Delectatus Alexander, hâc ſubmiſſa, beneuolaq;

Deo, eiuſque corde diuino, vt ea conſequatur, quæ in Deo duntaxat, reperiri, & à Deo donari poſſunt, nempe, communicationem eſſe, tanto perfectioris, & diuinioris, quãto humilis perfectiore ſui deiectione, magis deuincit cor diuinum, & ad maiorem prolicit munificentiam. Itaq; ſicut filius non admittendo eſſe filij, à Patre habet, quod ſit filius; & è contra, Pater, non eſſet Pater, niſi adeſſet filius, quæ relata, eſſe ſuum ab extrinſeco termino ſortiuntur: ita humilis, non amittit vnquam id, quod de ſe eſt, nempe nihil, ſed retinendo illud ſemper, tanquam diſtinctum à Deo (qui vt de ſe teſtatus eſt, Exod: 3. *eſt, qui eſt*, neq; poteſt eſſe nihil) eleuatur ad participationem condiſtincti ſibi Dei, incipitque ex illo tanquam ſibi extrinſeco, eſſe qui ex ſe non eſt, ſeu nihil eſt' incipit inquam viuere Deo æternâ vitâ.

Superbus & elatus è contrario, quia non ſe reponit, in ſuo infimo condiſtincto à Deo, ſed eleuat ſe quaſi ex ſe aliquid haberet, ad ſuum deijcitur nihil, vt in illo ſemper delitescat.

26. Hinc verò quantum & vnde humilitas habeat, quod ad ſalutem cõferat manifeſtum eſt; cùm enim Dei immenſa bonitas, non contenta fuit donare homini, vt eſſet, viueret, ſentiret, intelligeret, ſicut vt exiſteret in competenti naturæ ſuæ actu, largiri inſuper decreuit, vitam & felicitatem, quâ ipſe ſemper perfruitur beatus: ſancta eius & immutabilis voluntas, nolle conferre tantam felicitatẽ, niſi humilibus, ſeu agnoſcentibus eam, ſe non poſſe, niſi Dei beneficentia adipiſci: quam voluntatem promulgauit Chriſtus: *Niſi*, inquiens *efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum*, & *qui ſe magis humiliauerit, vt paruulus, hic maior eſt in regnuo cœlorum.*

27. **Sanctæ huiuſmodi voluntatis declarationem ab ipſo Chriſto Domino datam deſumo ex Joan: 17. vbi ſic inquit: *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcãt te ſolum DEVM & quem miſiſti IESVM Chriſtum*. Si enim ad vitam æternam neceſſe eſt,**

vt co-

Digitized by Google

vt cognoſcatur Deus, ſolus & verus, hoc eſt ille, qui ſolus à ſe eſt, præter quem quoduis aliud, eſt de ſe nihil, & ſi aliquid eſt, ab illo eſt; ſi etiam neceſſe eſt, vt cognoſcatur ſolus talis Deus, ſimul & verus; nempe cuiuſcunque ſani intellectûs judicio, non alius quàm talis apprehendatur; profectò quicunque cupit vitam æternam, agnoſcendo Deum ſolum talem, ſimul etiam agnoſcere debet, ſe excludi ab eo, quod in Deo cognoſcit. nimirum, ſe de ſe non eſſe, ſeu nihil eſſe. Deum autem de ſe eſſe, & omne quod eſt, ab illo accipit, vt ſit: neque enim ſolus Deus eſſet verè talis, ſi is, qui talem illum nouit, aliud ab eo, tale noſceret. Propterea peruerſus Angelus, quia ſe volebat Deo comparare, & ſibi id, quod Deo ſoli competit, tribuere, quando dicebat Jſa: 14. *Ero ſimilis altiſsimo*: *In veritate*, inquit Chriſtus Joan: 8. *non ſtetit*, æternamque, idcirco non eſt conſecutus vitam: *non* enim *inuentus eſt, ampliùs locus eorum in cœlo*, vt teſtatur Joan: Apocalip: 12. Jtaque humilis agnoſcendo ſolum Deum eſſe, ſe autem eſſe non eſſe, *in veritate ſtat*, qua veritate conciliat ſibi Deum, eiuſque magnificentiam prouocat ad largiendum locum in cœlo, ab Angelis deſertum.

Quam conciliandi vim in nobis ipſis, ac belluis etiã experimur, à magnificentiſſima procul dubio natura Dei deriuatam, vt vel vera propriaque humilitas, vel aliqua imitatio eius, plurimum conferat ad beneficium à maiore, altioreque percipiendum. Præclarum eius documentum refert Plutarchus, in vita Alexandri magni: cum enim ille cum ingenti exercitu veniſſet occupatur' Regis Taxillis in Jndia regnum: cernens hic ſe multo inferiorem ad reſiſtendum eſſe, ita Alexandrum eſt allocutus: *Quid bellis inter nos opus eſt? cum neque aquam nobis ademptum, neque victum neceſſarium veneris, pro quibus ſolis neceſſe habent ſani decertare: reliquis opibus ſi ego abundantior ſum, impertiar tibi libens; ſin inferior non recuſo à te grato animo accipere beneficium.* Delectatus Alexander, hàc ſubmiſſa, beneuolaq; 28.

comitate, & vitæ & regno pepercit, adhæc addidit munificentiam, ita reſpondens; *Anne tu hac comitate certamen euadere putas? erras, quippe contendam tecum beneficijs.* Quod & præſtitit Plutarcho teſte, nam pluribus quam accepit muneribus Taxilli datis, inſuper mille talenta argenti illi propinauit: tantum effecit in Alexandro demiſſio animi, veraque & candida inferioris conditionis confeſſio. Jd ipſum in beſtijs cernitur; de canibus præſertim generoſioribus, notius eſt, quam vt probetur eos à latratu morſuque deſiſtere, ſi is quem adoriuntur proſternat ſe humi, idem de Leonibus hiſtorijs certis proditum eſt. Diſticho, tam de hominibus, quam beſtijs, id quod probamus pulchrè complexus eſt, Ouidius.

Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe Leoni;
Pugna ſuum finem, cum jacet hoſtis, habet.

Sectio Quinta.

Jn duobus hominibus clarè oſtenditur quid poſſit apud DEVM humilitas.

29. MAiorem longè efficaciam habebit vera humiliatio, in celſiſſima Dei mente, quàm in vlla quantumuis magnanima re creata; nulla enim eſt, aut eſſe poteſt, quæ attingat celſitudinem Diuinam, nimirum infinitam; etſi humilitas tanto plus poteſt, quanto is, ad cuius pedes prouoluitur, altior & generoſior eſt; immenſũ quid poterit, ſi ad diuinos deijciatur pedes: Quod vt re ipſa oſtenderet DEUS, duobus è genere humano mari & fæminæ.

Digitized by Google

Filio & Matri, CHRISTO & MARIÆ tantam contulit humilitatem, quantam nulli alteri; ille ſic de ſua: *Diſcite à me, quia humilis ſum corde*, Matth: 11. hæc ita Lucæ 1. *Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.* Jlle vult Magiſter eſſe iſtius virtutis; hæc eandem in ſe, vt præclaram deprædicat; vterque idcirco gloriatur, vt cuiuis, qui ſana intelligendi vi gaudet, clarè eſſet notum, ad ſummam, ſecundùm DEUM altitudinem euectos illos eſſe, quod infimos ſe omnium, hoc eſt maximè omnium humiles, & ſenſerint, & ſint profeſſi. Humilitate ſua ambo, ſibi inprimis, tum deinde nobis, ſalutem pepererunt; Filius vt Saluator, Mater vt illa, quæ meruit gignere Saluatorem; ambo nobis eiuſdem ſalutis conſequendæ norma eſſe volunt humilitatis ſuæ conſectatione; Chriſtus Magiſter docet, & præcipit, illā diſcendam, ſimulque præmium Chriſtianis promittit, diſciplinæ ſalutem animarum: *Diſcite*, inquit, *à me, quia humilis ſum corde, & in veritatis requiem animabus veſtris.* MARIA prima omnium, & fideliſſima diſcipula ſe beatiſſimam promulgat merito humilitatis. *Reſpexit*, inquit, *humilitatem ancillæ ſuæ; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* 30.

Jn horum duorum ſocietatem, qui ſe virtutis huius accurato tradit ſtudio, ſalutis ſpē, tātò maiorē maioriſq; cōcipere poteſt, quantò ſtudium fuerit maius, & conſtanti⁹: in qua ſpe confirmat humilem S. Auguſtinus Serm: 10. de verbis Domini; *Magnus eſſe vis, à minimo incipe: cogitas magnam fabricam conſtituere celſitudinis, de fundamento prius cogita humilitatis, & quantam quiſque vult, & diſponit ſuper imponere molem ædificijs, quanto erit maius ædificium, tanto altiùs fodit fundamentum. Et fabrica quidem cum conſtruitur, in ſuprema conſurgit, qui autem fodit fundamentum, ad ima deprimitur: ergo & fabrica ante celſitudinem humiliatur, & faſtigiū poſt humiliationem erigitur.* Mox explicat, quanta, & quæ ſit celſitudo, ad quam prouehit humilitas: *Quod eſt*, inquit 31.

faſti-

Digitized by Google

faſtigium conſtruendæ fabricæ, quam molimur? quo perventurum eſt cacumen ædificij? citò dico, vſque ad conſpectum DEI, videte;

Hoc faſtigium, hoc cacumen altum, vicinumque DEO, optauit Chriſtus homo, genti ſuæ humanæ; & propterea & DEUM, & hominem ſe ad ima depreſſit; vt tantà ſuâ depreſſione, ad tantam hominem eleuaret altitudinem, ſimulque eius confunderet ſuperbiam maximè ſaluti inimicam: vt rectè ſcribit S. Auguſti: Tom: 3. lib: 13. de Trinitate c. 17. *Et iam illud,* inquit, *eſt vt ſuperbia hominis, quæ maximo impedimento eſt, ne inhæreatur DEO, per tantam DEI humilitatem redargui poſſet, & ſanari; diſcatque homo, quã longè receſſerit à DEO, & quid illi valeat ad medicinalem dolorem, quando per talem Mediatorem redit, qui hominib⁹, & De⁹ diuinitate ſubuenit & homo infirmitate cõuenit.* Tantam in DEO humilitatem alta, & perſpicaci mentis acie expendens S. Pater non dubitat acriter in ſuperbos inuehi Tõ: 9. Tract: 21. in c. 6. Joannis: *Quid,* inquit, *ſuperbis homo? puderet te fortaſſe imitari humilem hominem, ſaltem imitare humilem DEVM: præcipitur tibi, vt ſis humilis, non vt ex homine fias pecus: ille DEVS factus eſt homo, tu homo cognoſce, quia es homo, tota humilitas tua eſt, vt cognoſcas te.*

Sectio Sexta.

Ratio practica humiliandi ſe.

33. SED præuidit S. Doctor, plurimos ſibi ad hæc dicturos fuiſſe, ſe omnino clarè cognoſcere, quod homines ſint & quod ſint tales, aut quod aliquid habeant, DEO adſcriptũ referũt; præuidit, inquã, tales Auguſtin⁹, neq; tamẽ cẽſet, eſſe corã DEO verè humiles; cũ fieri poſſit, & reuera fiat

fiat quotidie, vt ij, qui ſciunt, quod homines ſint, præferãt ſe maioribus; contemnãt inferiores, injurias ſibi allatas paruas, ingentibus vlciſcantur aliorum damnis; corrigi, veritatemque ſibi dici nolint; laudari, & quidem vanè appetant; quin, & ſe ipſos inuerecundè etiam, falſòque prædicent, denique puncta honoris ita ſectentur, vt Dei iuſſa, cõſcientiamque poſthabeant; & tamen qui tales ſunt, profectò ſuperbi atque elati, homines ſe eſſe bellè norunt: verum non ita, vt verè cognoſcit humilis, quam cognitionẽ ſui practicam appellare poſſumus, & hac ſimilitudine explicare ab artibus deſumpta.

34. Quemadmodũ enim ædem fabricandam nouit architectus, & is qui eam conſtruit ſumpto à fundamentis initio, progrediendo ad parietes, & tandem in ſummo tecto finẽ labori imponendo: totam igitur domum vterque nouit; aliter tamen atque aliter; architectus quippe mẽte deſignat opus, cognoſcitque illud ſpeculatiuè, hoc eſt domum & non aliud, quod intelligentia verſat, is verò qui exequitur delinationem, manũ admouet, opus exercet, nouitq; illud practicè, id videlicet quod delineatũ eſt, elaborãdo. Nõ diſſimili ratione accidere cõmuniter ſolet, vt ij qui ſe homines eſſe norunt, in duas diuidantur claſſes, quidam ſe tales à DEO creatos intuentur, rectèque ſciunt ſe corpore & anima immortali conſtare, neque ſe eſſe Angelos puros ſpiritus, aut pecora ratione orbata; ſed medium quid inter hæc, longè inferius Deo Creatore, quæ tota notitia eſt ſpeculatiua, quod in re ſit homo, verè expendens. Sũt alij qui homines ſe factos, Deoque à quo facti ſunt inferiores ita cognoſcunt, vt agnoſcit domum is, qui ad imperiũ architecti fabricat illam, aut quemadmodum nouit ſeruus conditionem ſuam, & debitum obſequendi Domino, juſſaque eius exequendi quoties fuerint promulgata. Qui ita ſe hominem nouit, practicè nouit, verèque humilis eſt, quippè qui Dei Domini & Conditoris ſui, mandata omni-

nõ exequenda cenſet, neque committit, vt contra tantam erigat ſe Maieſtatem. Huiuſmodi notitiam ſui ad veram humilitatem requirit, loco citato Auguſt: nam cùm dixiſſet: *Tota humilitas tua eſt, vt cognoſcas te*; ſubjunxit ſtatim, *Ergo quia humilitatem docet DEVS, dixit: non veni facere voluntatem meam, ſed eius qui miſit me: ſuperbia quippe facit voluntatem ſuam, Humilitas voluntatem DEI.*

Sectio Septima.

Quo pacto ſuperbia omnium peccatorum eſt cauſa, humilitas é contra omnium bonarum operationum.

15. HAC de cauſa Theologi cum S. Thom: 1. 2. q. 84. art: 2 in Corp: & 2. 2. q. 162. art: 2. in Corp: aſſerunt, ſuperbiam omnium peccatorum eſſe cauſam, vt ipſimet Spiritus S. Eccleſ: 10. teſtatus eſt: *Initium ſuperbiæ hominis, apoſtatare à DEO, quoniam ab eo qui fecit illum, receſſit cor eius: quoniam initium omnis peccati eſt ſuperbia.* Quod explicat S. Thomas, loco poſterius citato, docetque duplici ratione ſuperbiam eſſe originem omnium peccatorũ: 1. vt eſt ſpeciale peccatum, ſiue appetitus inordinatus propriæ excellentiæ; qui enim peccat, intendit veluti finem, quo ad peccandum mouetur, ſuam excellentiam, cui peccando morem gerit, & quam reddere contentam deſiderat: ſic ergo ſuperbia mouendo ad appetendam excellentiã tanquam finem, mouet ad alia varia peccata, tanquam media ad conſequendum illum finem: quod non ſolum in Doctoribus, & altioris animi hominibus, qui ambiunt excellere, fatendum eſt reperiri; ſed etiam in rudibus & abiecti-

ori-

oribus: nam qui peccat, ſaltem craſſa, & confuſa quadam cognitione, apprehendit ſibi id conuenire, nimirum libero & dominanti in ſuas operationes; quâ apprehenſionē conſequitur appetitus propriæ excellentiæ. Non puto tamen S. Thomam velle omnem omninò peccantem ſemper ad peccandum à ſuperbia moueri; ſic enim omne peccatū eſſet duplex, & ſuperbiæ; vt eſt ſpeciale peccatum, & aliud quod ex illa ſequitur; quod aſſerere, eſſet (timidas præſertim conſcientias) ſuperfluis intricare ſcrupulis, cum Sãctiſſimi, & prudẽtiſſimi alias, non ſolent in quolibet peccato duo agnoſcere, ſed vnum; & ſuperbiam; ſi aliquam admittunt; vt ſeparatam ab alijs, neque illis annexam fateri culpam.

Alia igitur ſuperbia, eſt quædam inordinatio animi, quæ inclinat peccantem ad reſiſtendum Deo, & negligenda, ſeu parui facienda eius mandata; talis ſuperbia dicitur generalis: ſiquidem in omni peccato adeſt hic neglectus, & quidam veluti contemptus Dei, qui ſuperbiam quandam redolet: qualem exprobrat peccanti Hieremias c. 2. *Confregiſti iugum, rupiſti vincula, dixiſti non ſeruiam*: quod ſi quoduis peccatum, ita explicata, afficit, inficitque ſuperbia; Cum contrariorum contrariæ ſint cauſæ, dicendū eſt, ad quamuis bonam, & Sanctam operationem, contrariam ſuperbiæ concurrere humilitatem, quæ hominem ſubdit Deo, eiuſque diuinæ voluntati, tantò purius exequendæ, quantò ipſa purior & perfectior eſt: atque ita rectè S. Auguſtinus ſupra vniuerſim affirmauit: *Superbia facit voluntatem ſuam; humilitas voluntatem DEI.* 36.

Hic verò offert ſeſe, veluti lidius quidam animæ noſtræ lapis, qui oſtendat, quanta in illa ſit, & nū omninò ſit virtus humilitatis, adeò ſaluti vtilis, & neceſſaria; Si enim *Superbia facit voluntatem ſuam, humilitas* è contra DEI, quod ipſum atteſtatur Spiritus Sanctus, aſſerendo *initium eſſe ōnis peccati ſuperbiam*, Eccleſ. 10. certiſſimum hinc ſumere 37.

 poſſu-

poſſumus, & debemus argumentum, ibi deeſſe humilitatem, adeſſe vero ſuperbiam, vbi regnat diuinorum violatio mandatorum; ſuperbiam inquam, adeſſe hoc peſtilentiorem, & periculoſiorem, quò eſt diuinæ voluntatis liberior, & magis audax tranſgreſſio. A contrario, qui iuſſa Dei implet, humilitatem ſibi gratuletur, tantò maiorem, quantò in illorum executione (magna, ſiue parua ea ſint) magis ſedulus, & fidelis eſt. Hinc verò ſequi neceſſe eſt; vt ſicut ſuperbus timere vehementer debet ne priuetur ſalute, atque exaltatione humilibus promiſſa; ita humilis, quādiu ope Dei humilis eſt, præſumat expectare plenꝰ ſpei ſummam omnibus votis expetendam altitudinem, illud crebrò certiſſimum mente voluendo Dei promiſſum: *Ad quem reſpiciam, niſi ad pauperculum, & contritum ſpiritu, & trementem ſermones meos* Jſaiæ 66. Humilis verè pauper eſt. quippe qui, nihil bonorum ſibi tribuit; contritus idem ſpiritu & tremens, qui pauet, ne quid committat contra Dei domini ſui voluntatem, cui contentiſſimo ſtudio ſubdi, & conformari cupit.

38. Quò verò dilucidiùs pateat, quanta debeat eſſe inter humilem, & Dei voluntatem conſenſio, afferam hic à Sancto Patre meo Jgnatio, ex aureo illo libello, quem Exercitiorum appellauit, tres humilitatis gradus, verbis ab ipſomet conceptis, magnam vim lumenque continentibus, & id, quod volo, clarè demōſtrātibꝰ. inquit ille, *Primus humilitatis modus hic eſt, ad ſalutem neceſſariꝰ, vt me penitꝰ ſubdā diuinæ legi obſeruandæ; vtque ne mundi quidem totius oblato mihi dominio, vel extremo vitæ diſcrimine obiecto, tranſgrediar deliberatè mandatum vllum Diuinum, aut humanum, quod quidem peccati mortalis vinculo nos obliget. Secundus maioris eſt perfectionis, vt fixo animo ad diuitias & paupertatē, vitæ ac lōgitudinē æquè ſim propenſus, vbi æqualis eſt diuinæ laudis & ſalutis meæ occaſio, vtque nulla, vel humanæ quantæcunque felicitatis, vel propriæ mortis conditione propoſita adducar vnquam, vt culpam licet*

venia-

Digitized by Google

venialem tantùm decernam admittere. Tertius eſt modus humilitatis abſolutiſſimæ, vt priores duos iam adeptus, etiam ſi nullo ſuper addito laus DEI par foret; ad maiorem tamen imitationem Chriſti, eligam potiùs cum eo paupere, ſpreto, & illuſo, pauperiem, contemptum, & inſipientiæ titulùm amplecti, quam opes, honores, & ſapientiæ æſtimationem.

Hæc Ignatius, ex quibus liquet, conſenſionem tantã, & tantam hominis cum diuina voluntate conuenientiam, conſequi ex humilitate, tribus illis diſtincta gradibus: huic conſenſioni ſi adjungamus eam; quã Dominus teſtatus eſt, Matth: 12. Cognationis cuiuſdã mirã humanitatẽ, quãdo dixit: *Quicunq; fecerit volũtatẽ Patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe me frater, & ſoror, & Mater eſt*: quid aliud de humili, per omnes illos tres gradus probato ſentiendum, quam quod inter eum, & DEUM, ſumma quædam, & intelligentiæ humanæ neutiquam ita, vt in ſe eſt, nota intercedat vnio; atq; vnitas? qualis poteſt eſſe, non iam inter matrem, & filium, neque inter fratrem & ſororem (eos enim caro, & ſanguis copulat) ſed inter DEUM & illos. qui *non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, ſed ex DEO nati ſunt* Joan: 1. Jtaque humilitas DEO vnit, vnumque quid facit, cum ipſo increato DEI ſpiritu, vt illud ſit verum, quod S. Paulus ſcribit 1: Cor. 6. *Qui adhæret Domino vnus ſpiritus eſt.* 39.

Sectio Octaua.

Humilitas voluntate Chriſti, magnifacienda.

HUC vſque inueſtigauimus, & attulimus cauſam in ipſa virtutis huius quaſi radice, & viſceribus contentam, propter quam Dominus & Saluator noſter, ſa- 40.

Digitized by Google

lutem adſcribit humilitati, nimirum quæ diſponendo mẽtem ad ſeruanda mandata & attribuendo DEO aliiſq;,quod cuique eſt propriũ, vim quandã habet flectendi DEUM,ad teſtandã ſummam in homines beneficentiam. Sed vltra id, quod hæc virtus innatum ſibi retinet, magnam vim apud nos habere debet, ipſa eiuſdem DEI, & Saluatoris noſtri voluntas, vt humilitatem ſummo proſequamur conatu, ſi ſalui eſſe volumus. Dixerat aliquando ille diſcipulis ſuis: *Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri dare vobis regnum*: quæ verba venerabilis Beda lib: 4. c.54. in Lucam ita interpretatur: *Puſillum gregem ob humilitatis deuotionem nominat, qua videlicet Eccleſiam ſuam, quantalibet numeroſitate iam dilatatam, tamen vſque ad finem mundi, humilitate vult creſcere, & ad promiſſum regnum humilitate vult peruenire.*

Ideòque eius labores blandè conſolatus, quam regnum DEI tantũ quærere præcipit, eidem regnum à Patre dandum, complacita benignitate promittit. Si complacuit Patri puſillis, & humilibus ſpiritu dare regnum; nulla quærenda eſt alia cauſa cur DEO adeò accepti ſunt humiles; niſi quia ita complacuit illi. Hoc placitum, hancque complacitam benignitatem deprædicat Apoſtolus Paulus 1. ad Cor: 1 in omnibus ſaluandis, & inprimis in ipſorum capite JESU Chriſto, & SALVATORE vt homine ſimul & DEO, in quem Judæi, & gentes, detrectabant credere, eò, quod humilem, abiectumque cernerent, ideòque non ſe prius credituros aſſerebant, quam viderent admiranda ſigna & ſapientiæ laudes; quibus S. Paulus ita occurrit: *Iudæi ſigna petunt, & Græci ſapientam quærunt, nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam, ipſis autem vocatis Iudæis atque Græcis, Chriſtum DEI virtutem, & DEI ſapientiam: quia quod ſtultum eſt DEI, ſapientius eſt hominibus; & quod infirmum eſt DEI, fortius eſt hominibus.* Stultum DEI vocat Paulus mundanorum gloriã, quam illi; ſapientiam putant; crucis verò Chriſti humilitatem

Digitized by Google

tem, virtutem, & ſapientiam DEI agnoſcit, quam mundani homines rident, vt ſtultitiam, & debilitatem: itaque humilitas crucifixi, eſt virtus, & ſapientia DEI: quia æterno decreto complacuit Patri, dare regnum, ſaluandis propter humilem Saluatorem.

Jta verò ſciant ſaluandi ſe, conſecuturos regnum, quẽadmodum ipſorum Saluator promeruit eis ſalutem, nempe humilitate; vtrumque enim hoc complacuit Patri & illo diuino ſancitum eſt decreto. Propterea Apoſtolus Paulus à Saluatore ad ſaluandos conuertit ſermonem ſuum: *Videte*, inquit, *vocationẽ veſtram fratres, quia non multi ſapientes, ſecũdum carnem, non multi potentes, non multi nobiles; ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit DEVS, vt confundat ſapientes: & infirma mundi elegit DEVS, vt confundat fortia; & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit DEVS, & ea quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt deſtrueret, vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius.* 41.

Sectio Nona.

Qui nam è nobilibus & potentibus, non ſaluãtur.

SUNT quidem nunc, & fuerunt olim potentes, nobileſque, qui ſalutem, aut iam conſecuti ſunt, aut ſperãt futuram, neque ab illa, hac S Pauli Sententiâ reijcientur tanquam indigni. Sunt etiam, & fuerunt ſemper tales, qui licet ijs carerent, quæ mundus ſecundum carnem magni facit; habebant tamen alia, nempe diuina, & vltra naturam dona, quibus ſplendebant, non in oculis DEI tãtum, ſed etiam hominum, mundanorum quoque; qualia dona ſunt virtutes, gratia miraculorum, Scientia, Sapientia, & id genus alia, contra quos non potuit loqui Apoſtol⁹, quip-

Digitized by Google

quippe qui humiles erant, quanquam propter inſignia decora, & ornamenta gratiarum colebantur ab hominibus.

Vt enim benè ſcribit S. Auguſtinus Tom. 9. in expoſitione Matris DEI Cantici (Magnificat) *Serui DEI aliquando humilitatem habent. humiliationem non habent; nunquam vero humiliationem ſine humilitate: humilitatem ſine humiliatione habent, qui licet coram hominibus foris deſpicabiles non appareant, intus tamen humilitatis meritum, coram DEO inuiolatũ obſeruãt.*

42. Cùm ergo non pauci ſint apud homines magni, qui ſaluantur, hi è quorum numero non multos, ad æternam ſalutem præordinatos aſſerit S. Paulus, non alij ſunt, quam qui inprimis carnalià, & mundana ſapiunt, opibus, honoribus, gloria, quæ eſt à genere, à proſapia illuſtri, à potentia, & obſequentium multitudine, cæteris præcellunt, in his gloriantur, hæc ſibi adſcribunt. E talibus pauci admodum ſaluantur, quos Paulus ſapientes ſecundum carnem vocat, propter ingentem difficultatem, quæ negotium ſalutis non ſinit aggredi, multò minùs perficere. Deinde eos intelligit Apoſtolus, qui licet per aliquod tempus, non abutantur potentia ſua, cum diſpendio ſalutis; facilè tamẽ eò deflectunt, occaſione ſumpta ex opibus, gloriâ, & potẽtia; propterea vniuerſim aſſerit S. Paulus, non multos potentes, non multos nobiles ſaluandos. Vtroſque expreſſit Dominus, primo Joãnis 5. *Quomodo* inquit, *vos poteſtis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis?* hi pereunt vanitatẽ ſectando, quemadmodum, vt plurimum ſectantur, non modo, Doctores ex infidelibus, ſed etiam fideles, nimiùm politicis dediti, doctrinam, & ſapientiam ſecundum carnem venditantes, Alios expreſſit Dominus Matth: 19. *Faciliùs eſt,* dicebat Apoſtolus, *camelum per foramen acus tranſire, quam diuitem intrare in regnum cœlorum*: Diues quippe in prõptu habet, vt auarè, doloq; opes (etſi fortè ab initio benè collectas) augeat: ſiue vt ijs ad luxum, necemque aliorum abutatur. Nihil horum attentant *infirma, &*

igno-

Digitized by Google

ignobilia mundi: cum enim ſe reputent tanquam ea, *quæ non ſunt,* quod proprium eſt humilibus; non audent obſiſtere DEO, eiusque diuinis mandatis; verum intra cancellos integræ, atque exactæ ſubiectionis ſe continent: quod faciliùs præſtant, cum pauca habent; quibus abutantur in Dei contemptum; obliti juſtitiæ judicis, & Domini ſui. Quin potius memores ſunt Dei benefactoris, vt ea quæ ab ipſo acceperunt, ad eius gloriam referant; quemadmodum præcipit S. Paulus Epiſt: 1. ad Cor: 1. *Ex ipſo,* inquit, *vos eſtis in Chriſto IESV, qui factus eſt nobis ſapientia à DEO, & juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio, vt quemadmodum ſcriptum eſt, qui gloriatur, in Domino glorietur.* Concludamus hoc caput, nota illa in Euangelio, & non ſemel à Saluatore noſtro repetita ſententia; quâ ipſe voluntatem ſuam diuinam teſtari voluit, omnibus ſalutis æternæ cupidis: quæ quidem ſententia habet ſignum, & particulam vniuerſalem, qualis juxta doctrinam Dialecticorum, omnes ſine exceptione cōpræhendit in ea propoſitione cui præfigitur. Hanc ſententiam diſcant fideles, ſciantque ad hoc eſſe à ſalutis authore prolatam, quò vnusquisque illam ſibi dictam putet, ita quidem; vt qui eâ contentus fuerit, relatum ſe in librum vitæ certò ſciat; qui verò ab ea ſe exceperit, is à ſalute quoque æterna ſe nouerit excipiendum; neque enim alios aut plures Cœlū, quam hæc ſententia comprehēdet, Lucæ 18. *Omnis qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur.*

CAPVT XIV.

Quid ſit, & quantum conducat ad ſalutem manſuetudo, ac tolerantia aduerſorum.

DE vtraque harum virtutum, ſimul hoc capite agetur, (etſi tolerantia, ſeu patientia ad fortitudinem, non ad temperantiam ſpectet, vt agentes de fortitudine dicemus) eo quod ita ſibi inuicem ſint connexæ, vt qui mitis eſt, & manſuetus; ſit etiam patiens; & patiens nō poſſit eſſe, niſi ſit manſuetus. Ratio autem huius connexionis eſt, quam deſumo ex S. Thoma: 2. 2. q. 157. vbi docet manſuetudinem eſſe virtutem, quæ temperat paſſionē iræ, ne plus æquo efferueſcat, & ad maiorem quam par eſt, vindictam, pœnamque prouocet infligendam; paſſio enim iræ ad vindicandum iraſcentem mouet; vt per vindictam tollatur malum iraſcenti contrarium, hoc eſt vt is reprimatur, qui excellentiæ alterius contrarius eſt, & ſuperior eſſe cupit.

1. Hanc quippè excellentiam tuemur ſemper, quando iraſcimur, (propterea manſuetudo compeſcens iram, comes eſt humilitatis, quæ reprimit ſuperbiam,) quin & Beſtiæ, etſi eam diſtinctè non agnoſcunt, tamen obſcura quadam apprehenſione ſuperiores ſibi, & victores non tolerant, & ob id ſe vindicant contranitendo in ſe inſurgenti. Quia verò vindicta prius interiori voluntatis paſſionisque motu, tum deinde complotur actu externo, ſicut ad compeſcendum internum iræ motum, manſuetudo eſt neceſſaria, ita ad præſcribendum vindictæ, pœnæque modum, ne fiat in ea exceſſus clementia exigitur; & è contra ne minor ſit, aut omittatur prorſus pœna, aſſignatur virtus ſeueritatis. Quid-

quid

quid autem fit irâ vltra quam præſcribunt, hæ tres virtutes; fit ex vitio crudelitatis, aut quod magis eſt, ex vitio feritatis, & ſæuitiæ, beſtiali quodam impetu ac furore, vt rectè dixit Seneca, 2. de Clementia, c. 4. *Ille qui non eſt læſus, nec peccatori iraſcitur*, non dicitur crudelis, ſed ferus & ſæuus, quod ſi tum, cum ratio judicat iraſcendum, & pœnam infligendam, ſi ea aliquo reſpectu, vel negligentiâ omittatur, hæc omiſſio fiet ex vitio contrario ſeueritati, quod nomine caret. Tres igitur iſtæ virtutes; manſuetudo, clementia, & ſeueritas moderantur iram, ſed manſuetudo, ipſam iræ internam paſſionem; clementia, & ſeueritas vindictam exteriorem. Qui his virtutib' perfectus iam eſt, facile patientiam aſſequetur; patientia enim vt docet S. Thom. 2. 2. q. 136. triſtitiam cohibet, ne præſentibus malis atque aduerſis, adeò inualeſcat, vt animus ad perferenda illa neceſſarius deijciatur; neque ſit ijs ſuſtinendis idoneus, contra quem ratio dictat. Cæterum qui manſuetudine nouit iram temperare, magnum inde adjumentum ſumet, ad toleranda aduerſa, neque triſtitijs eò, ſe deduci patietur, vt aliquid indignũ committat. Quemadmodum è contra is, qui triſtitias didicit ſub regimine tenere, expeditior erit ad refrænandam iram, & ad deſiſtendum ab vlciſcẽdo. Quapropter virtutes hæ, vicinæ ſibi ſunt officijs, & multa ope, propterea ſimul expediendæ, & cum iam illarum explicata ſit vis, & natura, quantum duæ ex his; manſuetudo videlicet, & tolerãtia ad ſalutẽ cõferãt, vidẽdũ eſt.

Sectio Prima.

Quæ mala ex intemperata ira, & nimia triſtitia conſequuntur.

2. IN qua re duo cenſeo digna conſideratione, primum eſt multitudo, & magnitudo malorum, corporis, animi, ſubſtantiæ, famæ, honoris, deniquè vitæ, quæ perpeti, in ſe omnes; in alijs verò patrare eos duntaxat neceſſe eſt, qui iræ, & triſtitiæ ſoluunt habenas. Et cum hæc mala, non abſque offenſa Dei fiant ab iratis & triſtibus, omninò, qui immittis & impatiens eſt, plurimum ſuæ nocet ſaluti. Non leuia ſunt corporis mala, quæ ex vehementi ira, adjunctâ triſtitiâ oriuntur: adjungo ſemper iræ triſtitiam, vt enim patientia, & manſuetudo, inuicem ſe promouent, quod paulo ante eſt dictum, ita triſtitia & ira, parem ad malum præſtant ſibi opem, vt benè docet Ariſtoteles, 7. Ethic: c. 6. cum aſſerit, iratum, cum triſtitia operari; quãto enim maiore quis tabeſcit triſtitia, tanto in maiorē prorũpit iram. Jam ergo corporis mala, punctim complexus eſt S. Greg: 5. Moral: c. 31. *Iræ,* inquit, *ſuæ ſtimulis accenſũ cor palpitat, corpus tremit, lingua ſe præpedit, facies igneſcit, exaſperantur oculi, & nequaquam recognoſcuntur noti, ore quidem clamorem format, ſed ſenſus quid loquatur ignorat.* Jn animo quoque non minora parit incommoda, eadem ira, & triſtitia. Quæ recenſet Gregorius Nyſſenus lib: 4. de Viribus animæ c. 13. & Ariſtoteles 4. Ethic: c. 5. ſunt autem hæc, fel ſeu cholera, mania, & furor. Per fel, intelligitur vehementia quædam paſſionis præproperè, & acutè perſtringens, per maniam, amaritudo animi diu perſeuerans, per furorem difficultas parcendi, & impetus eò vſque inquietans iratum, quo ad vindicta fiat.

3. Ex vtriſque iam enumeratis, quà corporis, quà animi perturbationibus, ſequuntur multa, & grauia non raro peccata, & quidem duabus de cauſis, aut enim paſſiones hæ, mouent ad indebitam vindictam, aut commotionis impetu, nimioque exceſſu, adeò conturbant mentem, vt omne illa quod libet licere ſibi putet, æqui, juſtique oblita.

Peccata injuſtæ vindictæ, tenent ſe ex parte obiecti, quæ ve-

verò ex nimia commotione fiunt, referuntur ad ſubiectũ, ſeu ad appetitus vehementiam. Quod ſi ira ac triſtitia nõ ita turbet rationem, vt hæc iniquis conſentiat;irati triſtisq; commotio, aut nullum erit, aut leue peccatum; & in ijs præſertim, qui pro conditione perſonæ, turbulentis eiuſmodi motibus carere debent. Quanquam nimium iraſci & triſtari, vel ex hoc capite laudabile non eſt, quod vt plurimum periculum ſubſit; ne paſſiones hæ ad culpam pertrahant, & quanto iſta maior timetur, tanto probabile periculum ex paſſione natum, maiori delicto erit obnoxium.

4. Refert porro Gregorius Mag: lib: 31. Moralium: cap: 31. ſex veluti filias, vitia ſcilicet, & peccata prædictarum paſſionum, præſertim iræ: quarum filiarum; quædam naſcuntur in corde, vt eſt tumor mentis, quæ velut tumeſcit cogitatione, variorum vindictæ modorum. hic tumor grauis erit, ſi vindicta eſt iniuſta & magna. Jn corde etiam naſcitur indignatio, quâ iratus mouetur ad indignum habendum alium, qui contra ſe aliquid moliri auſus ſit; indignatio, ſi ad contemptum alterius peruenerit, vt indignus cenſeatur commertio, & ſocietate humana, non leuis erit culpa. Aliæ filiæ, ſeu peccata, ex corde profecta, linguâ ſe, & opere externo produnt, talis eſt clamor, in cõfuſa & inordinata verborum iactantia; quæ ſi nihil præter ſonum inconditum habet, tolerabilior, leuiorque eſt: ſed clamorem ſequitur plerumque rixa, & hæc vt plurimum, habet adiunctam contumeliam, cum ſequaci detractione, maledictis, ac blaſphemiâ.

5. Cõtumelia dedecoris notam præſenti irrogat, auferteque honorem; quemadmodum detractio tollit abſenti famam; & ſi tam honor, quam fama, non leuiter judicio prudentis læditur, multum delinquitur: poſſe autem grauiter lædi, oſtendit Saluator, Matth: 5. ita docens: *Omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri ſuo*

Digitized by Google

racha, reus erit concilio: Qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis. Magnum quoque committitur delictum, ſi quis maledicendo, optet alteri quoduis infortunium, aut damnum, tantòque maledictum erit grauius, quantò damnum magis nocet. Jtaque maledicendi hi ſunt gradus, vt minor ſit culpa (etſi letalis) cupere alteri notabile bonorū damnum; maior, optare damnum honoris; adhuc maior expetere detrimentum valetudinis, aut vitæ: maxima autem omnium deſiderare iacturam ſalutis.

6. Jam quidem peruerſus mos faciiè maledicendi adeò inoleuit, vt propter nimiam aſſuetudinem, non vertatur vitio, neque tribuatur culpæ, dicere: vtinam rapiat te dæmon, frangas collum, fulmine pereas, nihil vnquam habeas proſperi, & innumera perperam optandi proferre maledicta, ab irato profecta corde. Sed hic mos, quantumuis ſit vſitatiſſimus, non reddit immunem à culpa ſic maledicentem, niſi forte, aut paſſio ideò ſit vehemens, & concitata; vt ratio non aduertat id, quod euomitur, dicentis ore, & corde concipitur optantis, fiatque totum ex motu vt aiunt Theologi, primò primo: aut certe lingua tantum blateret, mente minimè conſentiente, ſed maledictionib⁹, tanquam interiectionibus paſſionem exprimentibus vtente; tunc enim nulla erit formalis veraque maledictio: poteſt tamen eſſe ſcandalum (ſi & hoc aduertatur à proferente) audientium, qui vel diſcant ſimilia, vt pueri ab adultioribus vel mirantur, indignèque ferunt, ex ore Chriſtiano talia prodire. Certè S. Paulus 1. ad Cor: 5. eiuſmodi præcipit vitare: *Scripſi* inquit, *vobis non commiſceri, ſi is, qui frater nominatur, eſt fornicator, aut auarus, aut maledicus; cum eiuſmodi nec cibum ſumere.* Hàc eàdem & non alia ratione de maledictis allata, excuſantur à grauiſſimo, plaſphemiæ peccato, qui perciti irà & triſtitià, non verentur ipſius Dei, Beatorumque eius conuellere honorem, ſanctaque profanare.

Sectio 2.

Sectio Secunda.

Rixarum magna incommoda.

SEX iſtæ filiæ iræ, in corde, & lingua, velut lectis, & receptaculis ſuis, inquietè quieſcunt, vt iam vidimus; porrò, vna earum, nempè rixa, fertilis admodum eſt, Materque copioſæ ſobolis, quæ non contenta corde & lingua, in manibus ſedem locat, opere ſe manifeſtat, tam multiplici, & tam noxio, quam multa ſunt, & quam noxia facta, quibus irati ſibi mutuò, in ſubſtantia, fama, honore, vita demum, nec caduca tantum, ſed immortali etiam ſolent nocere. Duabus ſimilitudinibus declarat Spirit⁹ Sanctus Prouerbi: 26. quid detrimenti pariat rixa; vna eſt talis; *Sicut qui apprehendit auribus canem, ſic qui tranſit impatiens, & commiſcetur rixæ alterius.* Canis auribus apprehẽſus, & latrat, & mordet, manus imprimis apprehendentis vicinas dentibus, tum veſtitum, & tandem reliquum corpus. Canibus ſimillimi ſunt, qui rixantur. verbis ſe illi imprimis inuicem proſcindunt, tum ad manus, opusque fit progreſſio; lacerantur veſtes; fama nimirum, honor, opes rapiuntur, quæ ſunt veluti indumenta, quibus ab extra tegimur, ſunt enim externa fortunæ bona; poſtremò patitur corpus vulnera, necemque, non rarò & anima æternum luget, rixantium telis pulſa è corpore, neque benè ad migrandum parata. Prorſus id à rixantibus mutuò fit, quod S. Auguſtinus Tom: 8. in Pſal: 14. ſcribens refert; *Inimicus hoc in te vult humiliare, vnde vincitur: ſi diuitijs tuis vincitur, pauperem te vult facere: ſi honore humilem; ſi viribus debilem.* 7.

Hanc anthiteſim S. Auguſtini proſequendo, poſſumus 8.

mus

mus tam ferum, & immanem reperire inimicum, qui iniquè ferens ſe vinci virtute, & gratia Dei, in vtroque humiliare velit, & quod ſæuiſſimum ac diabolicum prorſus eſt, reperti ſunt nonnulli, adeò in animam ſpiritumque crudeles, vt aduerſarijs ſuis vitam adimendo, tantillum temporis ſpatium, vel ad ſuſpirium in cœlum præmittendum nō concesserint; quin imò fuerunt tales, qui ſimul ac hoſtem ad nefarium induxère ſcelus, mox illi manus violentas intulerunt, vt vna corpus cum anima perderent; ſæuiores omni cane, ipſis Orci Cerberis quàm ſimillimi.

9. Altera ſimilitudo rixantium eodem loci, à Spiritu Sāncto allata eſt talis; *Sicut carbones ad prunas, & ligna ad ignem, ſic homo iracundus ſuſcitat rixas.* Carbones ad prunas appliciti fouent ignem, ligna in ignem injecta, excitant flammam, & incendium, vtrobique damnum interuenit, corruptioque iam carbonum, iam lignorum. Habent hoc iracundorum, intra præcordia, velut ab igne motus concepti, vt foueant rixas, & diſſenſiones, excitent jurgia, inimicitias, odia; ex quibus quid aliud ſequi oportet? quàm ingentia damna, & corruptionem multorum, magnorumque; ira vaſtante omnia, non ſecus atque ignis vorat ligna, & carbones? parumque eſt huic cordis flammæ, caduca demoliri, in ipſa quoque immortalia ſæuit. Quis poterit æſtimare damna, percenſere injurias, numerare perditorum necem, ſalutisque ſempiternam iacturam, à rixa, diſcordiaque hominum patratam, ſiue in congreſſibus; & in ſocietatibus paucorum, ſiue in plurium communitatibus, quales ſunt Vrbes & Regna? Quis inquam omnia mala, & veluti fœtus iræ; ac diſcordiæ deſcribat, ab illa prima inchoando, orta inter duos & primos germanos, Cain, & Abel? Linguā Apoſtolus Jacobus in ſua Epiſt: c. 3. ignem appellat, & vniuerſitatem iniquitatis, aſſeritque ab eadem lingua inflāmata à gehennā, inflammari rotam natiuitatis noſtræ.

10. Quo quid aliud vult indicare, quam linguam eſſe medium

dium inter cor & manus; & ignem non alium, quàm iræ, triſtitiæque paſſionem, quem & Salomon Prouerbi: c. illo 26. intelligit: propterea etiam Apoſtolus inuehitur ibi, in vitia linguæ profecta à dictis paſſionibus. Jn ipſa inquit ſcilicet lingua, maledicimus homines, & quis ſapiens, & diſciplinatus inter vos? oſtendat ex bona conuerſatione operationem ſuam, in manſuetudine ſapientiæ. Quoniam ergo lingua mediat inter cor & manus, & omne medium participat de vtroque extremo ſi lingua eſt vniuerſitas iniquitatis, ex corde, tanquam ex fonte id accipit, & illam gehēnæ flammam, turbulentam videlicet iram, amaramque triſtitiam hauſtam inde euomit in manus, vt hæ quoque vniuerſitatem iniquitatis in corde conceptam, & ad lingua deriuatam opere, vniuerſæ iniquitatis conſumment; vniuerſæ inquam; non ſolum ob id, quod ille gehennæ ignis; ad innumera incendat facinora, ſed quod innumeros, quorum vnus poſt alterum naſcitur, tanquam in rota mortalitatis decurrens, ſecum miſerum in modum, ad inferorum vſque deuoluat incendia. Hoc minatur, prædicitque rixantibus S. Jacobus, eodem capite, Epiſt: citata; *Quod ſi* inquit, *Zelum amarum habetis, & contentiones ſunt in cordibus veſtris, nolite gloriari, & mendaces eſſe aduerſus veritatem, non eſt enim iſta ſapiētia de ſurſū deſcendens, ſed terrena, animalis diabolica, vbi enim zelus & contentio, ibi inconſtantia, & omne opus prauum.* Non potuit plus dici; quantum ira, & triſtitia noceat ſaluti: quotque homini afferat mala, quàm quod vtraquè hæc habenis ſoluta paſſio, contineat vniuerſitatem iniquitatis, & omne opus prauum.

Sed videamus iam quid à contrarijs, manſuetudinis ſcilicet & tolerantiæ, virtutibus, ad æternam ſalutem adiumenti eſſe poſſit. 11.

Digitized by Google

Sectio Tertia.

Cur tot mala immineant ferenda in hac vita hominibus.

HIc porro, illud omnes æquè ſcimus, atque experimur, quod ea, quæ manſuetudini, & tolerantiæ ferenda obijciuntur, ſunt mala corporis & animi, vt ſupra attigi, num. 2. ſcilicet, ægritudo, fames, paupertas, bella, infamia, dedecus, mors, tum propria, tum charorũ, & alia, quæ quiſque ſentit, dum patitur; inter quæ non poſtremum tenet locum, tentatio, & pugna cum hoſtibus ſalutis; non externis modò, nempe diabolo, ac hominibus peruerſis, ſed cum internis etiam, carnalibus v. deſiderijs, quæ vt ſcribit S. Petrus 1. Petri 2. militant aduerſus animã.

12. Hæc vel omnia, vel aliqua, cur DEUS, *cuius*, (vt prædicat fidelium cætus, tota Eccleſia) *miſericordiæ non eſt numerus, & bonitátis infinitus eſt theſaurus*, cur inquam DEUS ita miſericors itaque bonus, immittat in homines, ſiue permittendo á malis, bonos, maloſue pati, ſiue affligendo ipſe tam hos, quam illos: duplicem aſſignat cauſam S. Auguſtinus Tõ:9. lib: vno de Paſtoribus c.5. amorem ſcilicet noſtri malum, quo nos proſequimur peccando, & amorem Dei, quem ille in nos ſanctum habet. Propter peccatum, ex amore male ortum, punit tanquam juſtus, juſtèque nos amans, vt ſeruum mancipiumque diaboli, caſtigationibus flagellatum, à & contagijs culpæ purgatum, in dilectum filium, & hæredem ſui regni recipiat; quemadmodum teſtatur S. Paulus Epiſt: ad Heb æos, c. 13. *flagellat omnem filium quem recipit.* Et 2. ad Tim: 3. c. *Omnes, qui piè volunt viuere in Chriſto IESV, perſecutionem patientur.* Amore etiã mo-

motus, flagellat idem DEUS, tanquam Pater, qui ampliſſima præmia, manſuetè, & patienter pro cœlo laborantib⁹, in cœlo recondit. *Para te*, loquitur Auguſtinus loco citato, *flagellari, aut certè non quæras* (infilium) *recipi; dices fortè exceptus eris; ſi exceptus à paſſione flagellorum, exceptus à numero filiorum, prorſus flagellat & omnem filium, vt & vnicum, & vnicus non habebat vnde flagellaretur, ad hoc carne indutus eſt, vt ſine flagello non eſſet: qui ergo flagellat vnicum ſine peccato, nunquid reliquit adoptiuum cum peccato.* Ex hoc teſtimonio S. Auguſtini, duplicem illam flagellorum cauſam ita intelligo, vt DEUS puniat, ex amore juſtitiæ, bonique noſtri, ob peccata, malumque amorem eos, qui puniti euadunt boni; ob amorem verò paternum eos, qui ex bonis fiunt meliores.

De malis, qui ad mortem vſque mali ſunt; an hi quoque in hac vita puniantur? nihil hìc dicit, cæterum alibi duo docet: primum malos eſſe flagellum, quod DEUS aſſumit ad probandos juſtos & bonos; quemadmodum autem flagellum non patitur, ſed is, qui eo caſtigatur, ita iniqui non patiuntur quando juſti probantur per eos. Oſtendit id S. Auguſtinus Tom: 8. explicans illa verba Pſal: 36. *Quæres locum eius, & non inuenies:* vbi ſic obijcit ſibi; *ſupra dixit; Adhuc puſillum, & non erit peccator; hic autem non inuenies; Quid eſt, non inuenies locum eius? vſum eius.* Hic vtitur illo DEUS ad probandũ juſtum, quomodo diabolo vſus eſt, ad probandum juſtum. Ardet palea, vt aurum probetur, ſic ſæuit impius vt juſtus probetur; modò quære locũ peccatoris, & non inuenies, de peccatore fecit DEUS flagellum, dedit ei honorem, & poteſtatem, flagellantur res humanæ; emendantur inde pij. Ad hanc commendationẽ, non ſolus à flagello incuſſus concurrit dolor, quando videlicet pauperiores ſpoliantur à ditioribus, infirmioreſque opprimuntur à potentioribus ſed ipſa etiam flagelli, à patiendo exempti, quaſi quædam oſtentatio; quod ij qui maximè

13.

ximè flagellari merentur, immunes ſint, alios perſequantur ij ipſi neminem timeant, aut reuereantur, bonis inſuper affluant, & quod maius eſt: *Mali* (inquit S. Paulus 1. ad Timot: 3.) *homines proficiunt in peius*, hoc eſt euadunt ſe ipſis peiores ſemper. Huiuſmodi flagella Dei, in flore felicitatis conſpicere, neque de Dei queri prouidentia, aut deſpe cadere, ad magnam facit bonorum emendationem, qui occulta Dei judicia laudant, miranturque, & ſi non intelligant, tantùmque ſibi aduerſam, quantùm illis prosperam gratulantur fortunam; perinde DEUM prædicant, in ipſorum felicitate, atque in ſuis quibuſuis anguſtijs.

14. Hæc emendatio, tot nimirum virtutum copia, ex intuitu flagelli, magna eſt, eo quod difficilis ſit. Senſit difficultatem Sanctiſſimus ab vtero Matris Hieremias Propheta, & ita piam coram DEO depoſuit querelam, c. 12. *Iuſtus quidem tu es Domine, ſi diſputem tecum, verumtamen juſta loquar ad te: Quare via impiorum proſperatur, benè eſt omnib⁹, qui præuaricantur, & iniquè agunt? plantaſti eos, & radicem miſerunt; proficiunt, & faciunt fructum; propè es tu ori eorum, & longè à renibus eorum.* Senſit idem, Sanctus & ipſe, nēpe vir ſecundum cor Dei Dauid, quando Pſalm: 143. petijt à DEO, vt liber eſſet ab eiuſmodi flagellis, ipſeque DEUS contentus eſſet laude, quam ob proſperitatem inquorum juſti ei offerunt; *DEVS inquit canticum nouum cantabo tibi, in pſalterio decachordo pſallam tibi*: Canticum nouum appellat eiuſmodi laudem, reuera enim noua res eſt, raraque virtus in mundo, non ſcandalizari felicitate impiorum, pergit deinde: *Erue me de manu filiorum alienorum, quorum os locutum eſt vanitatem, & dextera eorum. dextera iniquitatis. Quorum filij, ſicut nouellæ plantationes in iuuentute ſua: filiæ eorum compoſitæ, circumornatæ, vt ſimilitudo Templi: promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc, in illud, oues eorum fætoſæ, abundantes in egreſſibus ſuis: boues eorum craſſæ: non eſt ruina maceriæ, neque tranſitus, neque clamor in plateis eorum; beatum dixerūt populum, cui hæc ſunt.*

Sen-

Senſerunt idem flagellum & mali, ſed non ita vt boni tulerunt, è quorum numero fuit Conjunx Job, quæ cernens virum ſuum innocentem ab ijs flagellari; qui digniſſimi erant, multò maioribus flagellis, non in laudes Dei, ſed in blaſphemiam prorupit, ad quam tamen non pertraxit, quemadmodum voluit pium conjugem. Neque enim ita fuit potẽs, vt alia in ſuum maritum, nempe Eua in Adam, cum quo confert, & præfert S. Auguſtinus beatum Job: Tõ: 8. in Pſalm: 29. ſimul oſtendẽs, plus valere ad vitam æternam flagella, quam delicias mundi. Vnde etiam Job: nominat ibi Adamum; Adam enim ſignificat hominem de terra formatum, qualis quoquè fuit Job, *Adam*, inquit, *in paradiſo conſenſit Mulieri, vt de paradiſo emitteretur, Iob in ſtercore reſpuit Mulierem, vt ad paradiſum admitteretur. Quid ergo ille Adam in ſtercore, parturiens immortalitatem intrinſec⁹, vermibus fluens extrinſecus? quaſi vna de ſtultis mulieribus locuta es. ſi bona percepimus de manu Dei, mala quare non ſuſtinemus. Manum Domini dixit ipſe, quod eum diabolus percuſſerat quia non attendebat, quis percuteret ſed quis permitteret; & benè vocauit manum; nam hanc petebat à DEO dæmon: ſed mitte manũ tuam.* Ex quo Auguſtini loco, non incongruè poſſum⁹ inferre omnes pios qui flagellis à DEO permiſſis emendãtur, eſſe filios Adam in ſtercore proſtrati tantò DEO dilectiores, quantò ſunt minus degeneres à Patre ſuo. Omnes item qui non emendantur, delicati Patris eſſe prolem, hæredemque poſſeſſionis, quam ille exul reliquit exulibus. 15.

Sectio Quarta.

Mali etiam coguntur aduerſa pati. 16.

NON ita hæc de ijs, quibus DEUS vt flagellis vtitur, dicta intelligi debent, vt ab alijs ſentiantur ſemper, ipſi

nihil vnquam ſentiant, habent & illi ſua interualla, quibus non percutiunt, ſed percutiuntur. Longum, magnumq; eſt interuallum æternitas, quam niſi reſipiſcant, ſentient poſt mortem, nimiùm quam acerbam: talibus certò prædicit, id Hierem. c. 12. *Congrega eos quaſi gregem ad victimam, & ſanctifica eos in die occiſionis.* Congregatio hæc, eſt permiſſio peccatorum, quæ ſemper maiora perpetrant, vſque ad vltimum vitæ diem, poſt quem ſuccedit ſanctificatio juſtæ damnationis. Jngentem caſtigationem, iramque Dei putat eſſe S. Paulus, permiſſionem poſteriorum criminum; in pœnam, & vindictā priorum, id quod hiſce verbis, in Epiſt: ad Rom: c. 1. exaggerat: *Reuelatur ira DEI, de cœlo ſuper omnem impietatem, & iniuſtitiam hominum eorū. qui veritatem Dei, in injuſtitia detinent*: nempe qui norunt ſe malè agere, nec tamen faceſſunt. *Propter quod tradidit illos*, inquit, *DEVS in deſideria cordis eorum, in immunditiam, in paſſiones ignominiæ, in reprobum ſenſum, vt faciant ea quæ non conueniunt, repletos omni iniquitate, malitiâ, fornicatione, auaritiâ, nequitiâ, plenos inuidiâ, homicidio, contentione, dolo, malignitate, ſuſurrones, detractores, DEO odibiles, contumelioſos, ſuperbos, elatos, inuentores malorum, parentibus non obedientes, inſipientes, incompoſitos, ſine affectione, abſque fœdere, ſine miſericordia: qui cum juſtitiam Dei cognouiſſent, non intellexerunt, quoniam qui talia agunt, digni ſunt morte, & non ſolum qui ea faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.*

Sectio Quinta.

Permiſſio ſequentium peccatorum in pœnam priorum. eſt juſta DEO, magnaq; vindicta, & quidem interna duplex.

Tan-

Digitized by Google

TANTAM peccandi licentiam, in vindictam commiſſorum criminum, à DEO permiſſam, non reputant ſcelerati pœnam, ſed reuera eſt, & interna quidem magna, eaque duplex, cum enim vt docet S. Thō. 1. 2. q. 109. art. 2. ad 2. peccare ſit deficere à bono, quod conuenit alicui, ſecundum ſuam naturam, fatendum erit poſteriora peccata, eſſe pœnam priorum, eò maiorem, quò illa grauiora fuerint, & plura. nam priuant duplici bono, imprimiſque virtute & honeſtate naturæ hominis competenti, de qua aliquot huius libri primis capitibus actū eſt.

Priuans etiā gratiā Dei, quæ debetur quidē homini, 17.
ſed non ſecundū ipſius naturā, verū ex ſingulari, & altiſſimo Dei priuilegio, quo genus humanum euectum eſt ad ordinem prorſus Diuinum, vt quiſque non contentus vita honeſtatis proprio labore partæ, viuat inſuper, vt dicetur lib: 2. & 3. ipſo DEO, gratiâque eius, & honeſtate, quam Theologi vocant infuſam; quæ omnia habendo anima, ſit viua, vegeta, nitida, & ſplendida in oculis diuinis, vt eam deſcribit S Paulus Epheſeos 5. *vt exhiberet ſibi*, inquit, *glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam*: Hanc vitam, hancque gratiam ac pulchritudinem tollit quoduis mortiferum crimen vt eſt apud Orthodoxos certum, vel ex hoc Sancti Pauli citato loco. Quare S. Thomas 1. 2. q. 86. a. 1. & 2; & omnes Theologi docent, peccatum mortiferum eſſe maculam. ac priuationem diuini illius nitoris, ac gratiæ quorum ſententia, inter multa Sacræ Scripturæ loca; habet fundamentum in Pſalmo 14, Vbi S. Dauid, eos qui non peccant, ſed benè ac juſtè agunt, aſſerit carere macula, & talibus pollicetur fore; vt cum Deo in monte Sancto eius, hoc eſt in cœlo habitent ſemper. *Domine*, inquit, *quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requieſcet in Monte Sancto tuo? qui ingreditur ſine macula. & operatur juſtitiam*, Cum itaq; peccatum, priuet hominem bonis iam enumeratis, hone-

ſtate

ſtate, ſcilicet naturali & ſupernaturali gratia, vitaque animæ; quis dubitabit? permiſſionem illius, in ijs; qui conſcij ſunt præteritorum facinorum, pœnam eſſe, & quidem tanto maiorem quanto maiora hæc animæ bona ſunt opibus, ſanitate, honore, gloria, vitâ denique corporis, ac quibuſuis caducis bonis. Atque hæc eſt prima interna pœna. licentia videlicet peccandi à Deo, permiſſa in vindictam, præteritorum ſcelerum. Quod ſi vera eſt Theologorum ſententia vt puto eſſe omnino veram, qui affirmat grauitati, & multitudini peccatorum non ſolum pænam ſenſus, ſeu ignis æterni, ſed etiam pœnam damni, ſiue priuationem gratiæ, & gloriæ cœleſtis correspondere, ita quidem, vt quo ſunt maiora, & plura ſcelera, eo damnatus, & inteſiore igne & præſtantioris gratiæ, ac gloriæ priuatione mulctetur (cum vtraque hæc pœna reuera torqueat miſerum, & quod ardeat, & quod gloria cœleſti careat) ſequi neceſſe eſt, vt vtrâque etiam iſtam pœnam, ſeu tormentum, velit DEUS proportionari peccatis, vt eſt Apocalip: 18 *Quantū glorificauit ſe, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* Si igitur ita ſe hoc habet, ſequitur omninò, eò eſſe maiorem peccantium pœnam, quò in maiora permittantur ruere ſcelera, quibus maior correſpondet, & ſensûs, & damni pœna. Hanc tanquam magnam permiſſionis pœnam exaggerat S. Paulus: quando dicit capite illo 1. ad Romanos; *Reuelatur via Dei de cœlo, ſuper omnem impietatem,* &c. *Propter quod tradidit illos DEVS in deſideria cordis eorum.*

18. Et DEUS quidem tradẽdo in deſideria cordis, id eſt permittendo peccatum (neque enim tradere inducendo & perſuadendo peccatum ille poteſt, qui propter ipſum peccatum punit) ſanctè facit, quia juſtè punit, neque permiſſio illi vitio verti debet. Nam ſi principi terreno licet permittere mala, tum cum non poteſt illa prohibere, vt docet S. Thomas 1. 2. q. 93. art: 3. ad 3. cum alijs Theologis

gis, licebit etiam ſupremo Principi DEO eadem permittere, non quia non poſſit illa prohibere, ſed quia in pœna præcedentium peccatorum, non largitur illa ſingularia gratiæ ſuæ auxilia, quæ ſi largiretur, nullo modo ſequerentur poſteriora peccata, vt omnes docent cum eodē S Thō: 1. 2. q. 79. nulli tamen in mentem venire debet, Deum tunc relinquere hominem in eo ſtatu, in quo neceſſario peccaturus eſt: nam licet non det ei ſingularia ad euitanda peccata, auxilia, ad quæ danda non tenetur; dat tamen talia, quibus bene vtendo poteſt effugere mala, & quòd non effugiat ſibi ipſi imputet, ſed id ſcholis ſubtili' diſputādū relinquitur; hic ſatis eſt intelligere, ſanctè & juſtè à DEO permitti mala. Cæterum is qui pœnali permiſſionis ſubijcitur ſententiæ, non aliter ſecum actum iri putet, quàm minatus eſt Chriſtus omnibus ſcandala patrantibus Matth: 18. *neceſſe eſt, vt veniant* inquit *ſcandala, verumtamen, væ homini illi per quem ſcandalum venit.* Nam vt ſcandala veniunt permittente DEO; ſic & iteratio peccatorum, nouorumque & ſemper grauiorum accumulatio, eodem fit non prohibente. Verumtamen & ſcandalizanti, & impunè peccanti, juſtus judex væ minatur.

Sectio Sexta.

Vno peccato admiſſo, non admittere deinceps plura, eſt magnum Dei beneficium.

QUOD dum legit ille, qui vno patrato ſcelere, in alia, non item ſe, aut pronum ſentit, aut potentem vt ruat, non ſecum iniquè actum putet, ſed quas poteſt, agat DEO judici gratias, qui in abyſſo judiciorum

ſuorum, juſtiſſimam permiſſionis noui ſceleris occultat, differtque ſententiam.

19. Ita verò agat Diuinæ benignitati gratias vt meminerit gratũ ſe debere tãti exhibere beneficij, celeri pœnitudine, ne forte fauor præſtitus, & ſoli Deo nota ac ſecreta acceptio perſonæ rei, trãſeat in odiũ ingrati. Hoc præcauet S. Paulus ad Romanos 2. acriùs reatus ſui oblitum ita extimulans: *An diuitias benignitatis eius, & pœnitentiæ, & longanimitatis cõtemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitendum te adducit.*

20. Fauorem hunc judicis non tantùm putauerim illis exhiberi, qui letaliter peccant, ſed ijs etiam, qui minoribus delinquunt: maximè ſi hæc craſſiora ſint & ex deliberata fiant audacia: Nam ſi letalia, primò quidem ſimiliũ, deinde grauiorum vindicantur permiſſione, cur de venialibus idem nequeat dici? Et cum ſit conſtans Patrum ſententia, eum qui minoribus aſſueſcit, maiora tandem aggredi ſolere, quod atteſtatur Spiritus Sanctus Eccleſiaſtici 19. *Qui ſpernit modica, paulatim decidet*; quod quis ex vanitatibus vltrò & liberè admiſſis non decidat in letiferam culpam, fauori benigniſſimi illius Judicis ferat acceptum, gratuleturque ſibi quod non tinniãt aures eius graui illâ eiusdem judicis ſententia perculſæ, Apocalip: 3. *Quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo.* Inhibetur vomit⁹ nauſeabundorum Dei viſcerum, quando prohibentur pedes malè per venialia currentes, ne vſq; ad mortalia perueniant; prohibentur inquam à beneuola Dei prouidentia, difficultate currendi obiecta, occaſioneque ſemota peccãdi, vt procul abſit, quod cum non licet, liceat, vel ſi propè adeſt, iamque cernitur, ſpinæ interiacentes pungant progredientes pedes, hoc eſt, graues moleſtiæ, & infortunia, impediant, ne illuc veniat, vnde nõ ſit rediturus ſan⁹ & ſaluus. Neque ſic agi ſecum ſciat is tantum, cui poſt venialia, mortale eſt timendum ſed is etiam qui admiſſo vno mor-

Digitized by Google

mortali, facile in plura deteſtabiliora rueret, ni prohiberetur.

Hoc eſt quod benigniſſimus ille (millies iſto epitheto dignandus) Judex de ſe vult ſciri cum ita per Prophetam Oſeam c. 2. loquitur: *Fornicata eſt Mater eorum confuſa eſt, quæ concepit eas, quia dixit. Vadam poſt amatores meos, qui dāt panes mihi, lanam, linum, & potum meum.* Eò deſtinat greſſum ſuum peccator, ſemel orſus ſcelerum viam, ſed adeſt qui interrumpit DEVS. *Ecce ego,* dicit ille, *ſepiam viam tuam ſpinis. & ſepiam eam maceria, & ſemitas ſuas non inueniet, & ſequetur amatores ſuos, & non apprehendet eos, & quæret eos: & non inueniet; & dicet. Vadam & reuertar ad virum meum priorem, quia bene mihi erat, tunc magis quam nunc.* 21.

Ita peccatores redeunt ad DEUM, Verum animarum ſuarum ſublata spe, & opportunitate peccandi agnitoque errore, quem nunquam expediebat admiſiſſe; malumque redire potius, & errorem commiſſum corrigere, quam admiſſo addere nouum.

Sectio Septima.

Maxima omnium in hac vita tribulatio eſt, mala conſcientia.

NON cognoſcunt hoc modo ſuum errorem qui iterant, & augent illum, cum maxima pœna interna iam explicata, patiuntur ijdem, & aliam pœnam perinde intra ſe vt priorem, nempe remorſum cōſcientiæ; quæ pœna quam ſit magna, & multum torquens, dictum eſt ſupra c. 4. S. 6. & 7. & præterea declarat S. Auguſti. Tō: 8. explicans Pſalmi 45. illa verba. *Adiutor in tribulationibus,* 22.

bus, quæ inuenerunt nos nimis: vbi partim tribulationum genera, grauitatemque recenſet, partim oſtendit eum ad quem ſit, tunc recurrendum: *In omni*, inquit, *tribulatione*, ſiue ea ſit in re familiari, ſiue in ſalute corporis ſiue de periculo chariſſimorum, ſiue de aliqua re ad huius vitæ ſuſtentacula neceſſaria, omninò aliud refugium non debet eſſe homini Chriſtiano, quam Saluator eius, quam DEUS eius quò cùm confugerit, fortis eſt. Accedit iam S. Auguſtinus, ad maximam quæ poteſt eſſe in corde hominis, in hac quidem vita, tribulationem. *Verumtamen*, inquit, *inter omnes tribulationes, nulla maior quam conſtantia delictorum. Nam ſi ibi requies non eſt, quoniam ibi DEVS non eſt, quò effugiet? Fugiet ab agro ad ciuitatem, à publico ad domum; à Domo in cubiculum; & ſequitur tribulatio: à cubiculo iam quò fugiat, nõ habet, niſi interius ad cubile ſuum. Porro ſi ibi tumultus eſt, fumus iniquitatis, ſi flamma ſceleris, pellitur inde, & cùm inde pellitur, à ſe pellitur; & ecce hoſtem ſuum inuenit, ſe ipſum; quo fugiturus eſt, quocunque fugerit ſe talem trahit, poſt ſe & quocũque talem traxerit ſe, cruciat ſe.* Hæc S. Auguſtinus de cruciatu, ac tormento malæ conſcientiæ, quibus nihil addi poſſe videtur, quod magis appoſite cruciatum illum explicet, quem ipſa anima crudelior, omni carnifice in ſe exercet.

23. Eludunt quidem vel potius conantur eludere hanc iniqui, pœnam; adhibent ludos, inſtruunt conuiuia, eunt venatum, tractant iam ſeria, iam ludicra; edunt, bibunt, loquuntur, audiunt, faciunt quid non? tantum ne intus vociferantem & torquentem ſentiant conſcientiam; ſed nequicquam agunt, cum ei obſiſti nullatenus poſſit, qui quod iubet, facit, iubet autem id quod legimus Jſaiæ 66. *Vermis eorum non morietur.*

24. Quantum hic vermis mordeat; explicat id aptâ S. Auguſtinus loco citato, ſimilitudine; quemadmodũ enim ſi arbor, in cortice fiat putris, modò radix & medulla in-

tus

Digitized by Google

tus ſit ſana, benè ſe habet, idoneaque eſt, ſi præcidatur ædificijs. Quod ſi intus concipiat putredinem, quantumuis deforis conſpicabilis appareat, ad nullum valet vſum cum eo careat, in quo tota & omnis eius ſita eſt, conſiſtentia, neque maius quid aduerſi quam hoc ipſum, putredinē ſcilicet internam pati poſſit. Ad eundem modum homo qui è mente Philoſophorum arbor eſt inuerſa, ordinata ad domus illius conſtructionem (quam inhabitaturus eſt ſemper in cœlis DEUS) ſi tribuletur in bonis, quæ inſtar corticis externa ſunt, opibus videlicet, fama, honore, & ſimilibus; modo cordis medulla, hoc eſt conſcientia ſit tuta, habebit quo temperet illam externam tribulationem, cum mens ſecura quaſi iuge ſit conuiuium Prouerb: 15. Quod ſi mens intus torqueatur conſcientia facti, nulla rerum externarum affluentia, malo huic medebitur; & meritò ſanè: nam tormentum iſtud eſt in anima, qua corpus & omnia in homine conſtant reguntur que. Si ergo illa ſummi, internique boni, nempe Dei patiatur detrimentum, & ab hoc crucietur, quemadmodum cætera quæuis non pertingunt ad diuini bonī infinitam plenitudinem; ita nec ſua præſentia, poſſunt eiuſdem abſentiam ſupplere, aut aliquomodo ſolari. Quare hæc duo, nempe anima præſtātior pars hominis quæ ſentit, & Dei ſummi boni iactura, quæ ſentitur, ingentem neceſſe eſt, vt efficiant doloris cruciatum. *A ſe ipſe*, inquit, loco proximè adducto S. Auguſtinus, *ſunt tribulationes, quæ inuenerunt hominem nimis; acerbiores enim non ſunt, tanto acerbiores, quanto interiores.*

Sectio Octaua.

Mali patiuntur quædam externa grauiter affligentia.

HActenus dictum eſt quo pacto impij per peccata; & ea quæ ex his ſequuntur, ſoleant caſtigari à DEO. Quæ omnia intus in anima ſedem habent: non deſunt etiam quæ externè affligant.

Certe iniquo Sauli prædictũ erat 1. Reg: c. 13. *Quod*
25. *ſi non feciſſes, iam nunc præparaſſet Dominus regnum tuum, ſuper Iſrael in ſempiternum, ſed nequaquam regnum tuum vltra cõſurget. Quæſiuit ſibi Dominus virum iuxta cor ſuum.* Simile quid audiuit quod eodem lib: c. 15. ſcriptum eſt: *Pro eo quod abieciſti ſermonem Domini. abiecit te Dominus, ne ſis Rex.* Grauia ſunt hæc longe ãte prædicta; ſed multo fuit grauior prædictio proximæ cladis, & finis: funeſtæ tandem ſecutæ tragædiæ, quam merebãtur paccata mali regis. Nã vt legimus lib: 1. Reg: c. 28. Cum eſſet ille ab hoſtibus cinctus atque in extremis conſtitutus, videretque Samuelem à pythoniſta excitatum, atque hæc diceret. *Coarctor nimis, ſiquidem Philiſtijm pugnãt aduerſum me, & DEVS receſſit à me, & exaudire me noluit: audiuit ab eodem: quid interogas me? faciet tibi Dominus ſicut locutus eſt in manu mea, & ſcindet regnum tuum, quia non obediuiſti voci Domini. Et dabit Dominus etiam Iſrael tecum, in manu Philiſtijm, cras tu & Filij tui mecum eritis,* hoc eſt, vt interpretantur authores: Trucidabimini omnes, & ad alterũ mundum transferendi eſtis.

Talia qui volet innumera leget, in ſacris & profanis hiſtorijs impiorum flagella, diſcetque diuinam juſtitiam, etiam in hac mortali vita non parcere ſceleſtis, etſi ad aliquod, breue tempus, quaſi conniuere videatur.

Sectio Nona.

Manſuetudo & Tolerantia duplex commodum affert bonis; primũ eſt protegi, vel purgari à peccato.

Cum

CUM itaque mali bonique habeant, quod in hoc mundo patiantur; & mali quidem nullo ſuo profectu, quippe qui carent virtute tolerantiæ, & manſuetudinis, quibus proinde aduerſa, maledicendi, detrahendi, vlciſcendi, blaſphemandi, peierandi, & aliorū ſcelerum ſunt occaſio: reſtat vt videamus quid eadem aduerſa, in illis efficiant, qui ea tolerant patienter. Horū duorum video genera Alij enim ad aliquod temporis spacium, mali ſunt, cæteri ſemper boni, vtraque a DEO caſtigari licet ex ſupra dictis, & quidem magno animarum, & ſalutis bono; nam mali fiunt boni, boni euadunt meliores.

Hoc fine tam hos, quam illos, affligi teſtatur Sacra ſcriptura; de primis in Pſalm: 98. legimus loquentem Dauid; *DEVS tu propitius fuiſti eis, & vlciſcens, in omnes adinuētiones eorum.* Peccata vocat adinuentiones hominum, non enim illa DEUS in mundum inuehit, ſed is, qui peccat in corde ſuo reperit; quod nuſquam à DEO factum eſt. Aſſerit præterea propitium, & miſericordem fuiſſe Deum, quod vltus ſit adinuentiones, & quidem omnes, nullam, etiam paruam ſine debita pœna condonando: iam quia pœnam conſequitur pœnitentia facti, morum emendatio, ac ſanctitas vitæ, magna eſt Dei miſericordia vlciſci ſic, vt alia DEUS propitius, in corde peccantis inueniat, quam quæ adinuenit ipſe. 26.

Eodem loco tres nominat S. Dauid; Moyſem, Aarō, & Samuelem Prophetam, fortaſſe ideo, vt oſtendat DEUM etiam Sanctorum flagellare non rectas adinuentiones quamuis hæ, non vſque adeò à recto deflectant. Moyſis & Aaron adinuētionem diffidentiæ cuiuſdam leuis admodum (vt interpretes ſacræ ſcripturæ fatentur) legimus Numerorum 20. quos, quia aliquomodo hæſitarunt, nec crediderunt firmiter promanaturas è petra diuino iuſſu aquas, ita ipſe DEUS coarguit: *Quia nō credidiſtis mihi, vt ſanctificaretis me coram Filijs Iſrael, non introducetis hos populos in ter-* 27.

terram, quam dabo eis. De Samuelis aliquo errato, nihil in ſcriptura reperitur; cum tamen jungatur Moyſi & Aarō, poſſit aliquis opinari, etiam illum commiſiſſe quidpiam leue, propter quod punitus ſit in Saule à ſe in Regem vncto. Vt quamuis interponeret prc illo ſuas preces; audire tamen ſit coactus 1. Reg: 16. *Vſquequo tu luges Saul, cum ego proiecerim eum, ne regnet ſuper Iſrael.* Hoc tale reſponſum poſſet quis putare datum Samueli, in pœnam alicuius leuis eius delicti: ſed cum id non conſtet ex ſcripturis, aſſerendum non eſt. dicendumque aliam fuiſſe cauſam ob quā Samuel iunctus *ſit Moyſi & Aaron.*

28 Mihi ſi liceret coniecturam, huius coniunctionis afferre, dicerem id ideo à Dauide factum, vt nulli mirum videri debeat: aſſeri hanc conditionalem. Quod ſi aliquid ſimile errati Moyſis & Aaronis commiſit Samuel: juſte non eſt exauditus, fundens pro Saule preces quantumuis fuerit Vir Sanctus & Amicus Dei rectorque ac Judex populi Jſrael, quemadmodum & Moyſes atque Aaron paribus DEI, priuilegijs ornati erant, & tamen ob leuem culpam non leuiter puniti. Leue fuit Moyſis & Aaron delictum: graui tamen pœna punitum eſt; vt tāquam indigni excluderentur ab hæreditate terræ permiſſionis, propter quā tantos, iam ſuſceperant labores, tot terrarum emenſi ſpacia, tam crebris & firmis aſſecurati Dei promiſſis, Leue itidem potuit eſſe propter quod Samuel Propheta regni poſſeſſionem ſtabile Sauli ſuo clienti non erat dignus à DEO impetrare. Ex hac autem coniectura (quidquid ſit de eius probabilitate) & diſcurſu in ea fundato, magnum, elicio pro norma viuendi, emolumentum.

29 Vſitatum nobis eſt, aduerſi in negotio quopiam euentūs varias aſſignare cauſas; difficultatem rei, inuidias hominum, temporis anguſtias, inſidias Diaboli, & ſimiles perraro & paucis occurrit ſuſpicio, timorque peccati proprij. & ſi id occurrit, modò non ſimus conſcij grauis alicu-

ius,

Digitized by Google

ius, lætaliſque culpæ, quæ ſit illi negotio annexa putamus à nobis, nullam omnino datam contrarij ſucceſſus cauſam: ſed aliter Diuina juſtitia noſtra trutinantur demerita, apud quam modica (cum præſertim voluntario committitur aſſenſu) tranſgreſſio, in cauſa eſſe poteſt, vt regna ſiue promiſſa non dentur, ſiue data auferantur. Propterea de S. Patre noſtro Jgnatio legimus in eius vita, tria illum in quocunque negotio adhibuiſſe 1. Expendere ſolebat diligentiſſimè ne quid ſiniſtri, & DEO quoquomodo diſplicentis admiſceretur affectûs. 2. Omnem mouebat lapidem nulli parcendo labori. 3. Deo totum committebat ſumma cum fiducia; ab illo quemque rei euentum ita expectādo, vt debēt ij, qui cōſcij sūt, nulla ſe diuinæ prouidētiæ ſuâ culpa pigritiaue, ponere obſtacula; certiusq; erat omnē euētū, qui deinde ſequeretur magis è ſua re, & bono futurū.

Ad maiorem dictorum confirmationem addamus hic de ipſo Dauide (cuius occaſione hæc allata ſunt) ſimile quid ex 2. Reg: 24. Juſſerat ille Joab recenſere in regno ſuo omnes qui educerent gladium, in quo facto præter otioſam quandam animi complacentiam, leuemque vanitatem, aliud vix reperiri poteſt, & tamen diuina juſtitia non niſi ſeptuaginta millib' peſte abſumptis plenè ſatisfecit ſibi. Merito ergo Dauid ſuo, & aliorum edoctus exemplo ſcriptum reliquit de Diuina juſtitia, de illa inquam juſtitia quæ comitem habet miſericordiam; *Propitius fuiſti eis, & vlciſcens in omnes adinuentiones eorum.* 30.

31. Hoc eſt primum genus hominum, qui ideò puniuntur, vt ex malis fiant boni. Eſt deinde aliud eorum, qui caſtigantur, vt ex bonis fiant meliores euadantque victores hoſtium animæ, id eſt peccati, & eorum qui in illa aduerſis impellunt. Probat id S. Auguſtinus Tom, 9. tractatu 25. in caput 6. Joan: ex facto Domini, qui calcans mare peruenit ad Diſcipulos iuſſu ſuo nauigantes exorta graui tempeſtate. Per mare, intelligit hunc mundum in

quo fideles naui Eccleſiæ contenti, eo vſque nauigant quo ad portum attingant ſalutis: ſed crebrò inſurgunt tempeſtates tribulationum videlicet, ab eo procul dubio excitatæ, aut permiſſæ, de quo Matth: 8. legimus: *Qualis eſt hic? quia venti & mare obediunt ei.*

32. Porrò ideò procellas haſce, immittit Chriſtus, vt periclitantibus adſit calcando furens mare: vt ſedet motus, & ad portum deducat optatum. Quod antequam fiat, motus hoſce ſentiunt fideles, nam interdum tantæ ſunt tribulationes, vt etiã ipſi qui crediderunt in JESUM expaueſcãt ne deficiãt: *Chriſto fluctus calcante*, inquit Auguſtin⁹ *ſæculi ambitiones, & altitudines deprimente expaueſcit Chriſtianus. Quid timetis, Chriſtiani* (ſolatur idem Doctor) *Chriſtus loquitur: Ego ſum, nolite timere, ego iſta facio, neceſſe eſt vt iſta fiant. Et ſtatim fuit nauis ad terram, ad quam ibant, factus eſt finis ad terram de humida ad ſolidum, de turbato ad firmum, de itinere ad finem.*

33. Finis hic eſt feliciſſimus, & optatiſſimus portus, ad quem quid deferant ſecum manſueti & patientes, idem S. Pater fatetur, duo eſſe veluti mercium & pretioſorum theſaurorum genera. De primo Tom: 8. in Pſalm: 70. ſcribit in quo Dauid multa paſſus, tolerantiam ſibi à DEO gratulatur datam colloquens ſic cum ipſo: *Quoniam tu es patientia mea Domine, Domine ſpes mea, à juuentute mea In te confirmatus ſum ex vtero de ventre Matris meæ, tu es protector meus.* Jnuehitur deinde in eos, qui optant vt aduerſa animum deijciant, & in ea inducant quæ patrare ſolent ij, qui non ſunt ferendo mala huius mundi. *Confundantur*, inquit, *deficiant detrahentes animæ meæ, operiantur confuſione & pudore, qui quærunt mala mihi.* Loco (detrahentes animæ meæ) legit S. Aug: committentes animam meam, & ſic hæc verba interpretatur, vt velit magnum eſſe tribulationum bonum, magnaſque merces, quas fideles, ne à fluctibus abſorbeantur, manſuetudine & tolerantia tuentur.

bo-

Digitized by Google

bonum, inquam, & merces ſunt peccato non conſentire vlli, ad quod impellunt animæ hoſtes, Dæmon, iniquus homo, denique ipſa interni doloris, mærotiſque vehementia.

Quid eſt, inquit S. Auguſtinus, *(committentes) quam in rixã aliquam prouocantes nos, vt malis noſtris DEVS nobis diſpliceat quando enim rectus es, vt bonus ſit tibi DEVS Iſrael bonus rectis corde, vis audire? Quandò in eo bono quod facis DEVS tibi placet, in eo autem malo quod pateris, DEVS tibi non diſplicet. Videte quid dixerim, Omnes qui agunt, vt in tribulationibus fatigemini, id agunt vt exeat de ore veſtro; Quid eſt hoc? peccator ſũ, ſed nunquid tantum, quantum ille cui bonum eſt? & tamen video illum florere omnibus bonis, & ego patior Tu iuſtus es* (arguit ſic loquentem Auguſtinus) *ille injuſtus, ecce commiſſa eſt anima tua quanto grandiores lapides in cœlum miſeris, tantò te fortior ruina preſſura eſt. DEVS tibi diſplicet, erubeſce, nihil boni faceres, niſi ille bonus eſſet, & nihil mali patereris, niſi ille juſtus eſſet. Iniuſti erãt* (Job 2.) *qui juxta putreſcentem ſani ſedebãt, & tamen ille ſuſcipiendus flagellabatur, illis puniendis parcebatur. Illa Mulier* (Job 2.) *ſuggeſſit. Dic aliquid in Deum, & morere, & illa* (Job 2.) *Vbi ſunt juſtitiæ tuæ ad hoc dicebat, vt diſpliceret illi DEVS. Si nemo tribulando extorſerit, vt tibi diſpliceret DEVS, aut vt oderis homines, per quos pateris, non committitur anima tua, ſecurus dicis, quod ſequitur: Ego autem sẽper in te ſperabo, & adijciam ſuper omnem laudem tuam.* Hic eſt primus patientiæ fructus, tam latè patens, quàm multa ſunt peccata in quæ labuntur homines malorum impatientes, & quàm multi ſunt ij, qui ob eiuſmodi peccata naufragium in mari mundi huius procelloſo paſſi, merces iam dictas, ſimul & animas nunquam recuperandas miſerè perdiderunt. 34.

Qui verò modicum putat bonum paruumque patiẽtiæ fructum, non conſentire peccato, meminerit is, eo ſolo nomine S. Job. ab ipſo more extolli DEO, quod vt legi- 35.

mus in hiſtoria calamitatis eius c. 2. *In omnib' his non peccauit Iob labijs ſuis, neque ſtultum quid contra Dominum locutus eſt.*

Sectio Decima.

Cauſa quæ in omnia impellit peccata eſt duplex.

ET cùm ſit duplex cauſa quæ mortales impellit in offenſam Dei, periculūque ſalutis, expreſſa in oratione quadam pro moribundis ab Eccleſia vſurpari ſolita, nempe furor, & feruor, furor in aduerſis, feruor in proſperis (ſic autem habet illa Oratio: Ne memineris iniquitatum eius, quas ſuſcitauit furor, ſiue feruor mali deſiderij) cum inquam duplex ſit peccatorum cauſa, & radix, qui manſuetudine, ac tolerantia, eo furorem redegit, vt nihil in ſe poſſit contra DEUM, & animæ ſalutem, is tantum æſtimet ſe conſecutum boni, quantum Spiritus S. judicio comprehenſum eſt illo, Pſalmi 36. verſu; *Declina à malo & fac bonum, & inhabita in ſæculum ſæculi,* non quod manſuetudo, & tolerantia omne depellant malum, ſed quod ab illo protegant, in quod, vi quadam incitat furor.

36. Quam verò id rarum & præclarum ſit, à furore non vinci, argumento poteſt eſſe, vnus ex paucis, à condito orbe, primiſque hominibus Caim, qui quod irā dolorem, triſtitiamque cordis continere nollet, ita ſuccubuit oneri, quemadmodum Parentes eius feruori: quo ipſo quaſi teſtatus eſt, cæteros poſt ſe homines tam eſſe vicinos perdēdæ ſaluti, quam vicinus fuit tertius Caim, duobus hominū primis Adæ, & Euæ, peccans, peccantibus, niſi patientia muniantur.

37. Non ſine magno myſterio Saluator noſter, initurus

pugnam

pugnam, cum tædijs, pauoribus, & triſtitijs, in horto Getſemani, non hominum tantùm, quos tunc habuit fideliſſimos, & fauentiſſimos ſibi expetijt opem, ſed Angeli etiam admiſit ſuccurſum, & ab his adiutus, illud in Oratione ſæpius repetijt: *Pater non mea, ſed tua fiat voluntas.* Vt oſtēderet vnicuiq; in afflictione cōſtituto, è terra cœloq; aduocāda eſſe auxilia, ne quid tū contra Dei fiat voluntatē, & ſi nihil fit, fauoribus ſe æterni Patris ſciat dignatum, qui, vt vnigenito ſuo, in noſtra carne infirmo, adfuit, ita & illi non deeſt, pro quo ipſe infirmus eſt factus. Magnū itaque Dei beneficium, magnumque & rarum noſtrum bonum eſt, manſuetudo & tolerantia in aduerſis, cuius illud certum eſt argumentum, nihil contra, vel præter Dei voluntatem, in aduerſis committere, tantòque vtraque illa virtus eſt fortior, & ſolidior, quanto eſt potentior ad reſiſtendum malis: quod dum fit boni, nimirum mites, & patientes euadunt ſe ipſis meliores, maiores de aduerſis referendo victorias. Ita manſuetudo, & patientia, valent contra furorem; quid verò poſſint etiam contra feruorem, infra oſtendetur à n. 42.

Sectio Vndecima.

Alterum commodum manſuetudinis & patiētiæ eſt, copia virtutum.

ALIUS theſaurus mercesque, quas ſecum defert ad portum ſalutis, patiens, & mitis, ſunt eiuſdem S. Auguſtini ſententia, virtutes multæ, & magnæ, perfectioque Chriſtiana, id quod aptè probat, Tomo eodem 8. interpretans Pſalmi 66. primum verſum: *DEVS miſerea-* 38.

tur noſtri, & benedicat nobis, illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri. Jlluminationem hanc, dicit eſſe multiplices neceſſitates noſtras, quas oportet, vt reſpiciat miſerando, DEUS: *Alius, inquit, benedici ſe vult, vt habeat plenam domum, alius vt obtineat ſalutem corporis*, ſic pergit varias recenſendo neceſſitates, aſſeritque crebro euenire, vt in temporalibus hiſce & caducis bonis non benedicamur, ſed affligamur potius, earum inopia quod dum fit, ſuadet, vt ad bona animæ, æternaque conuertamus nos, ſecuti illud Spiritus S. conſilium Prouerb: 6. *Vade ad formicam ô piger.*

39\. Formica in æſtate, & quidem pallam colligit, quod hyeme clam abſumit, hanc quo pacto patiens imitetur, ſic declarat: *Vide formicam Dei, ſurgit quotidie, currit ad Ecleſiam, orat, audit lectionem, ruminat quod audit, recondit intus grana: Formica illa eſt, conterens iter, portans & recondens in conſpectu cernentium.* Quæ quidem per æſtatem fieri, ait Auguſtinus, iucunda videlicet, aſpirante tranquillitate, & proſperitate vitæ: cùm vero eadem faciet patiens aduerſa etiam vrgente fortuna, aduerſitas, tã æſtas quam hyems dicenda eſt, æſtas quia tunc recondũtur ea, quæ deinceps futura ſunt vſui: Hyems quia adhibentur ad vſum.

Sequitur iam in Auguſtino.

Venit hyems aliquando. Cui enim non venit: accidit damnũ, accidit orbitas, & cætera. *Cæteri miſerantur fortè, vt miſerum, qui non norunt, quid intus habeat formica, dicunt. Miſer ille cui hoc accidit tale cor habeât inimici mei. Ignorans ô homo.*

Verè tu tibi inimicus es, qui per æſtatem non colligis, quod iſte colligit. Modo intus formica comedit labores æſtatis, ſed eam colligentem videre poteras, manducantem videre non potes: Quã multi tribulationem ita patiuntur, vt non eis vacet, nec legere aliquid, nec audire, nec forte admittuntur ad eos qui conſolentur, remanſit formica in cauerna, videat, ſi collegit æſtate, quo ſe a- no-

auget hyeme. Similitudinis huius inter formicam, & aduerſa, ſtrenuè ferentem, in hoc eſt, vt ſicut illi, hyems, eſt cauſa mouens ad colligenda grana, tempusque iiſdem vtẽdi, ita hunc aduerſitas mouet ad tolerantiam imprimis cõparandam, qua præſente facilè aderunt cæteræ præclaræ virtutes, quæ ſanum, & ſaluum conſeruabunt patientem, vtentem illis, & ipſo vſu ad maiorem perfectionem eaſdẽ producẽtẽ. In quo vltimo claudicat (neq; enim in omnib' paritas eſſe debet) allata ſimilitudo: nam formica vſu granorum iam collectorum, non multiplicat, ſed minuit illa, cæterum is, qui fortiter tolerat dura, non ſolùm vtitur virtutibus iam ante partis, ſed tum planè atque ipſa tolerantiæ occaſione, & acquiſitas iam perficit, & nouas adipiſcitur, quod ſic paucis demonſtrat.

Quemadmodum enim, ſi quis fræna laxat iræ, & triſtitiæ, multa fieri ab illo, dicique iam contra DEUM, iam contra homines, fere ſemper videmus, audimuſque (impotens quippe ſui animus, in quoſuis, tanquam ſibi contrarios, inuolat, de omnibus ſe vlciſcitur, etiam ipſemet diſplicet ſibi) ita vbi manſuetudinis & tolerantiæ virtutes regimen tenent, comites earum erunt, primum pietas, & Religio in DEUM, à quo ſtrenuus iræ, triſtitiæque, victor, quiduis aduerſi pacatè, & debita excipit cum reuerentia, aliuſque ſe diuinæ tradit gubernandum prouidentiæ. Aderit deinde juſtitia in homines, è quibus etſi quos idem aduerſos ſentiat, aut tolerat patienter, aut tolerando juſtitiæ expectat ſententiam. Denique talis, neque in ſe quidquam committet, quod furor, & mania faciendum ſuadent; ſed fortis omnino, & ſtrenuus, quibuſuis obuiam ibit aduerſis, idem, temperans quoque erit vt dicetur infra à n. 42. Prorſus vt formica in hyeme diues eſt annonæ, ſecuraque in cauerna delitescit; Ita patiens mitiſq; fruitur in aduerſis virtutum copia non tam earum, quas in tranquilla, adeptus eſt vita (niſi forte deſiderio magis, & 40.

præ-

præparatione animi tranquilli, vt eas retineat) quam earũ, ad quas aſſequendas, veluti manu prehenſa, tolerans mãſuetudo adducit, eo quòd nolit, aut nequeat eſſe, niſi adiunctam habeat tantarum copiam, & coronam, exercitationemq; virtutum.

41. Præclaras has animæ diuitias videtur Saluator noſter indigitaſſe diuino illo apophtegmate apud Lucam c. 21. *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Dominium & poſſeſſionem ſubſtantiæ ipſius animæ nullus hominum habere poteſt: ſicut neque corporis, ſed vtriuſque, atque adeò totius hominis, Dominus eſt ille: qui ſe eum teſtatur Joan: 13. *Vos vocatis me Domine, & benè dicitis: ſum etenim.*

Cauſam cur ſit Dominus, non reddidit, ſed ea in promptu eſt, ſiquidem vnuſquiſque verè eſt Dominus illius rei, quam efficit: quo pacto, quia DEUS creauit, & animam, &
2. corpus hominis, eſt Dominus illius. Ex quo capite grauem iniuriam huic Domino facit is, qui violentas infert manus, aut vita ſe, aliumque priuando, aut corporis lædendo membrum, vt docent Theologi cum S. Thom: 2. 2. q. 39. art: 3. ad 2. Et licet homo non poſſit eſſe Dominus, ac poſſeſſor animæ, bene tamen actionum, affectionumque ſuarum, poteſt eſſe, imo & debet mandato ſui cõditoris, ita Gen: 4. malè iraſcentem arguentis: *Quare iratus es? ſub te erit appetitus, & tu dominaberis illius.* Jam cum Saluator patientiæ tribuat poſſeſſionem animæ, non in ſubſtantia eius, vt iam explicatum eſt, ſed in appetitionibus. Quid aliud per hoc voluit nos docere, quàm id quod ſupra eſt probatum, patientiam largiri ampliſſimas excellentiſſimarum virtutum poſſeſſiones? neque enim appetitiones aliter ſubijciuntur homini, quàm per virtutes. Hæ igitur præſtando hanc ſubiectionem, conferunt poſſeſſiones, & diuitias, non auri, neque agri, verùm eius, quod nullo precio comparari poteſt, id quod totum ſi credimus Chriſto, patientiæ tribuendum eſt: *In patientia,* inquit ille; *poſſidebitis animas veſtras*

Sect-

Digitized by Google

Sectio Duodecima.

Ad perfectionem tria requiruntur, ad quæ apprimè confert patientia mitis.

VEriſſimum hoc Chriſti dictum, planius intelligemꝰ, ſi aduerterimus tria eſſe ad perfectionem Chriſtianã neceſſaria; ad hæc reuocari debent, quæcunque alia, quæ in ſpecie, & ſigillatim exiguntur. Primum eſt recta operatio, à qua, qui non incipit, nunquam in perfectione conſiſtet. Secundum eſt id quod operantem, laborantemque efficit. Cùm enim opus honeſtum, habeat ſuas difficultates, nec paucas, nec paruas, niſi adſit quidpiam inſtar cibi, potuſue, vires recreantis, citò defectus, & laſſitudo timenda. Vltimum tandem eſt, culmẽ ipſum perfectionis. Omnia hæc tria, in patientiæ veluti ſinum recondita inueniet, qui diligenter quæret.

De primo iam ex parte ſupra n. 35. dictum eſt, cùm oſtendimus eum qui iram, & triſtitiam ſub fræno tenet, continere ſe quoque ab ijs peccatis, ac vitijs, in quæ præcipitat furor, quam continentiam comitatur pietas, juſtitia, & fortitudo, quod etiã declaratum iam eſt n. 40. Reſtat demonſtrandum, temperantiam quoque (in cuius oppoſitum inſtigat feruor concupiſcentiæ) non eſſe ſeparandam; de prudentia nil dico, cùm ex dictis c. 6. conſtet, eam ibi eſſe, vbi ſunt enumeratæ hæ virtutes.

Atque inprimis pro fundamento eius, quod dicturi ſumus, poni debet tanquam certis, & vſitatis probatum experientijs, moleſtiarum, atque aduerſitarum abſentiã, præſentiam verò felicis fortunæ, vehementer allicere ad peccata intemperantiæ, maximè luxuriæ. Hoc ipſe DEUS teſtatur Hieremiæ 5. *Saturaui eos, & mœchati ſunt & in domo meretricis luxuriabantur.* Hoc idem tremendo, in ſe fa- 42.

terram, quam dabo eis. De Samuelis aliquo errato, nihil in ſcriptura reperitur; cum tamen jungatur Moyſi & Aarō, poſſit aliquis opinari, etiam illum commiſiſſe quidpiam leue, propter quod punitus ſit in Saule à ſe in Regem vncto.

Vt quamuis interponeret prc illo ſuas preces; audire tamen ſit coactus 1. Reg: 16. *Vſquequo tu luges Saul, cum ego proiecerim eum, ne regnet ſuper Iſrael.* Hoc tale reſponſum poſſet quis putare datum Samueli, in pœnam alicuius leuis eius delicti: ſed cum id non conſtet ex ſcripturis, aſſerendum non eſt. dicendumque aliam fuiſſe cauſam ob quā Samuel iunctus *ſit Moyſi & Aaron.*

28 Mihi ſi liceret coniecturam, huius coniunctionis afferre, dicerem id ideo à Dauide factum, vt nulli mirum videri debeat: aſſeri hanc conditionalem. Quod ſi aliquid ſimile errati Moyſis & Aaronis commiſſit Samuel: juſte non eſt exauditus, fundens pro Saule preces quantumuis fuerit Vir Sanctus & Amicus Dei rectorque ac Judex populi Jſrael, quemadmodum & Moyſes atque Aaron paribus DEI, priuilegijs ornati erant, & tamen ob leuem culpam non leuiter puniti. Leue fuit Moyſis & Aaron delictum: graui tamen pœna punitum eſt; vt tāquam indigni excluderentur ab hæreditate terræ permiſſionis, propter quā tantos, iam ſuſceperant labores, tot terrarum emenſi ſpacia, tam crebris & firmis aſſecurati Dei promiſſis. Leue itidem potuit eſſe propter quod Samuel Propheta regni poſſeſſionem ſtabile Sauli ſuo clienti non erat dignus à DEO impetrare. Ex hac autem coniectura (quidquid ſit de eius probabilitate) & diſcurſu in ea fundato, magnum, elicio pro norma viuendi, emolumentum.

29 Vſitatum nobis eſt, aduerſi in negotio quopiam euentûs varias aſſignare cauſas; difficultatem rei, inuidias hominum, temporis anguſtias, inſidias Diaboli, & ſimiles perraro & paucis occurrit ſuſpicio, timorque peccati proprij, & ſi id occurrit, modò non ſimus conſcij grauis alicu-

ius,

ius, lætaliſque culpæ, quæ ſit illi negotio annexa putamus à nobis, nullam omnino datam contrarij ſucceſſus cauſam: ſed aliter Diuina juſtitia noſtra trutinantur demerita, apud quam modica (cum præſertim voluntario committitur aſſenſu) tranſgreſſio, in cauſa eſſe poteſt, vt regna ſiue promiſſa non dentur, ſiue data auferantur. Propterea de S. Patre noſtro Jgnatio legimus in eius vita, tria illum in quocunque negotio adhibuiſſe 1. Expendere ſolebat diligentiſſimè ne quid ſiniſtri, & DEO quoquomodo diſplicentis admiſceretur affectûs. 2. Omnem mouebat lapidem nulli parcendo labori. 3. Deo totum committebat ſumma cum fiducia, ab illo quemque rei euentum ita expectãdo, vt debẽt ij, qui cõſcij sũt, nulla ſe diuinæ prouidẽtiæ ſuâ culpa pigritiaue, ponere obſtacula; certiusq; erat omnẽ euẽtũ, qui deinde ſequeretur magis è ſua re, & bono futurũ.

Ad maiorem dictorum confirmationem addamus hic de ipſo Dauide (cuius occaſione hæc allata ſunt) ſimile quid ex 2. Reg: 24. Juſſerat ille Joab recenſere in regno ſuo omnes qui educerent gladium, in quo facto præter otioſam quandam animi complacentiam, leuemque vanitatem, aliud vix reperiri poteſt, & tamen diuina juſtitia non niſi ſeptuaginta millib⁹ peſte abſumptis plenè ſatisfecit ſibi. Merito ergo Dauid ſuo, & aliorum edoctus exemplo ſcriptum reliquit de Diuina juſtitia, de illa inquam juſtitia quæ comitem habet miſericordiam; *Propitius fuiſti eis, & vlciſcens in omnes adinuentiones eorum.* 30.

Hoc eſt primum genus hominum, qui ideo puniuntur, vt ex malis fiant boni. Eſt deinde aliud eorum, qui caſtigantur, vt ex bonis fiant meliores euadantque victores hoſtium animæ, id eſt peccati, & eorum qui in illa aduerſis impellunt. Probat id S. Auguſtinus Tom, 9. tractatu 25. in caput 6. Joan: ex facto Domini, qui calcans mare peruenit ad Diſcipulos iuſſu ſuo nauigantes exorta graui tempeſtate. Per mare, intelligit hunc mundum in 31.

Digitized by Google

quo fideles naui Eccleſiæ contenti, eo vſque nauigant quo ad portum attingant ſalutis: ſed crebrò inſurgunt tempeſtates tribulationum videlicet, ab eo procul dubio excitatæ, aut permiſſæ, de quo Matth: 8. legimus: *Qualis eſt hic? quia venti & mare obediunt ei.*

32. Porrò ideò procellas haſce, immittit Chriſtus, vt periclitantibus adſit calcando furens mare: vt ſedet motus, & ad portum deducat optatum. Quod antequam fiat, motus hoſce ſentiunt fideles, nam interdum tantæ ſunt tribulationes, vt etiā ipſi qui crediderunt in JESUM expaueſcāt ne deficiāt: *Chriſto fluctus calcante*, inquit Auguſtin⁹ *ſæculi ambitiones, & altitudines deprimente expaueſcit Chriſtianus. Quid timetis, Chriſtiani* (ſolatur idem Doctor) *Chriſtus loquitur: Ego ſum, nolite timere, ego iſta facio, neceſſe eſt vt iſta fiant. Et ſtatim fuit nauis ad terram, ad quam ibant, factus eſt finis ad terram de humida ad ſolidum, de turbato ad firmum, de itinere ad finem.*

33. Finis hic eſt feliciſſimus, & optatiſſimus portus, ad quem quid deferant ſecum manſueti & patientes, idem S. Pater fatetur, duo eſſe veluti mercium & pretioſorum theſaurorum genera. De primo Tom: 8. in Pſalm: 70. ſcribit in quo Dauid multa paſſus, tolerantiam ſibi à DEO gratulatur datam colloquens ſic cum ipſo: *Quoniam tu es patientia mea Domine, Domine ſpes mea, à juuentute mea In te confirmatus ſum ex vtero de ventre Matris meæ, tu es protector meus.* Jnuehitur deinde in eos, qui optant vt aduerſa animum deijciant, & in ea inducant quæ patrare ſolent ij, qui non ſunt ferendo mala huius mundi. *Confundantur*, inquit, *deficiant detrahentes animæ meæ, operiantur confuſione & pudore, qui quærunt mala mihi.* Loco (detrahentes animæ meæ) legit S. Aug: committentes animam meam, & ſic hæc verba interpretatur, vt velit magnum eſſe tribulationum bonum, magnaſque merces, quas fideles, ne à fluctibus abſorbeantur, manſuetudine & tolerantia tuentur.

bo-

Digitized by Google

bonum, inquam, & merces ſunt peccato non conſentire vlli, ad quod impellunt animæ hoſtes, Dæmon, iniquus homo, denique ipſa interni doloris, mærorisque vehementia.

Quid eſt, inquit S. Auguſtinus, *(committentes) quam in rixā* 34.
aliquam prouocantes nos, vt malis noſtris DEVS nobis diſpliceat quando enim rectus es, vt bonus ſit tibi DEVS Iſrael bonus rectis corde, vis audire? Quando in eo bono quod facis DEVS tibi placet, in eo autem malo quod pateris, DEVS tibi non diſplicet. Videte quid dixerim, Omnes qui agunt, vt in tribulationibus fatigemini, id agunt vt exeat de ore veſtro; Quid eſt hoc? peccator ſū, ſed nunquid tantum, quantum ille cui bonum eſt? & tamen video illum florere omnibus bonis, & ego patior Tu iuſtus es (arguit ſic loquentem Auguſtinus) *ille injuſtus, ecce commiſſa eſt anima tua quanto grandiores lapides in cœlum miſeris, tantò te fortior ruina preſſura eſt. DEVS tibi diſplicet, erubeſce, nihil boni faceres, niſi ille bonus eſſet, & nihil mali patereris, niſi ille juſtus eſſet. Iniuſti erāt* (Job 2.) *qui juxta putreſcentem ſani ſedebāt, & tamen ille ſuſcipiendus flagellabatur, illis puniendis parcebatur.*

Illa Mulier (Iob 2.) *ſuggeſſit. Dic aliquid in Deum, & morere, & illa* (Job 2.) *Vbi ſunt juſtitiæ tuæ ad hoc dicebat, vt diſpliceret illi DEVS. Si nemo tribulando extorſerit, vt tibi diſpliceret DEVS, aut vt oderis homines, per quos pateris, non committitur anima tua, ſecurus dicis, quod ſequitur: Ego autem ſēper in te ſperabo, & adijciam ſuper omnem laudem tuam.* Hic eſt primus patientiæ fructus, tam latè patens, quàm multa ſunt peccata in quæ labuntur homines malorum impatientes, & quàm multi ſunt ij, qui ob eiuſmodi peccata naufragium in mari mundi huius procelloſo paſſi, merces iam dictas, ſimul & animas nunquam recuperandas miſerè perdiderunt.

Qui verò modicum putat bonum paruumque patiē- 35.
tiæ fructum, non conſentire peccato, meminerit is, eo ſolo nomine S. Job. ab ipſo more extolli DEO, quod vt legi-

mus in hiſtoria calamitatis eius c. 2. *In omnib' his non peccauit Iob labijs ſuis, neque ſtultum quid contra Dominum locutus eſt.*

Sectio Decima.

Cauſa quæ in omnia impellit peccata eſt duplex.

ET cùm ſit duplex cauſa quæ mortales impellit in offenſam Dei, periculũque ſalutis, expreſſa in oratione quadam pro moribundis ab Eccleſia vſurpari ſolita, nempe furor, & feruor, furor in aduerſis, feruor in proſperis (ſic autem habet illa Oratio: Ne memineris iniquitatum eius, quas ſuſcitauit furor, ſiue feruor mali deſiderij) cum inquam duplex ſit peccatorum cauſa, & radix, qui manſuetudine, ac tolerantia, eo furorem redegit, vt nihil in ſe poſſit contra DEUM, & animæ ſalutem, is tantum æſtimet ſe conſecutum boni, quantum Spiritus S. judicio comprehenſum eſt illo, Pſalmi 36. verſu; *Declina à malo & fac bonum, & inhabita in ſæculum ſæculi*, non quod manſuetudo, & tolerantia omne depellant malum, ſed quod ab illo protegant, in quod, vi quadam incitat furor.

36. Quam verò id rarum & præclarum ſit, à furore non vinci, argumento poteſt eſſe, vnus ex paucis, à condito orbe, primiſque hominibus Caim, qui quod irâ dolorem, triſtitiamque cordis continere nollet, ita ſuccubuit oneri, quemadmodum Parentes eius feruori: quo ipſo quaſi teſtatus eſt, cæteros poſt ſe homines tam eſſe vicinos perdẽdæ ſaluti, quam vicinus fuit tertius Caim, duobus hominũ primis Adæ, & Euæ, peccans, peccantibus, niſi patientia muniantur.

37. Non ſine magno myſterio Saluator noſter, initurus

pugnam

pugnam, cum tædijs, pauoribus, & triſtitijs, in horto Getſemani, non hominum tantùm, quos tunc habuit fideliſſimos, & fauentiſſimos ſibi expetijt opem, ſed Angeli etiam admiſit ſuccurſum, & ab his adiutus, illud in Oratione ſæpius repetijt: *Pater non mea, ſed tua fiat voluntas.* Vt oſtēderet vnicuiq; in afflictione cōſtituto, è terra cœloq; aduocāda eſſe auxilia, ne quid tū contra Dei fiat voluntatē, & ſi nihil fit, fauoribus ſe æterni Patris ſciat dignatum, qui, vt vnigenito ſuo, in noſtra carne infirmo, adfuit, ita & illi non deeſt, pro quo ipſe infirmus eſt factus. Magnū itaque Dei beneficium, magnumque & rarum noſtrum bonum eſt, manſuetudo & tolerantia in aduerſis, cuius illud certum eſt argumentum, nihil contra, vel præter Dei voluntatem, in aduerſis committere, tantòque vtraque illa virtus eſt fortior, & ſolidior, quanto eſt potentior ad reſiſtendum malis: quod dum fit boni, nimirum mites, & patientes euadunt ſe ipſis meliores, maiores de aduerſis referendo victorias. Ita manſuetudo, & patientia, valent contra furorem; quid verò poſſint etiam contra feruorem, infra oſtendetur à n. 42.

Sectio Vndecima.

Alterum commodum manſuetudinis & patiētiæ eſt, copiâ virtutum.

ALIUS theſaurus merceſque, quas ſecum defert ad portum ſalutis, patiens, & mitis, ſunt eiuſdem S. 32.
Auguſtini ſententiâ, virtutes multæ, & magnæ, perfectioque Chriſtiana, id quod aptè probat, Tomo eodem 8. interpretans Pſalmi 66. primum verſum: *DEVS miſereatur*

Digitized by Google

tur noſtri, & benedicat nobis, illuminet vultum ſuum ſuper nos, & miſereatur noſtri. Jlluminationem hanc, dicit eſſe multiplices neceſſitates noſtras, quas oportet, vt reſpiciat miſerando, DEUS: *Alius,* inquit, *benedici ſe vult, vt habeat plenam domum, alius vt obtineat ſalutem corporis,* ſic pergit varias recenſendo neceſſitates, aſſeritque crebro euenire, vt in temporalibus hiſce & caducis bonis non benedicamur, ſed affligamur potius, earum inopia quod dum fit, ſuadet, vt ad bona animæ, æternaque conuertamus nos, ſecuti illud Spiritûs S. conſilium Prouerb: 6. *Vade ad formicam ô piger.*

39. Formica in æſtate, & quidem pallam colligit, quod hyeme clam abſumit, hanc quo pacto patiens imitetur, ſic declarat: *Vide formicam Dei, ſurgit quotidie, currit ad Eccleſiam, orat, audit lectionem, ruminat quod audit, recondit intus grana: Formica illa eſt, conterens iter, portans & recondens in conſpectu cernentium.* Quæ quidem per æſtatem fieri, ait Auguſtinus, iucunda videlicet, aſpirante tranquillitate, & proſperitate vitæ: cùm vero eadem faciet patiens aduerſa etiam vrgente fortuna, aduerſitas, tā æſtas quam hyems dicenda eſt, æſtas quia tunc recondūtur ea, quæ deinceps futura ſunt vſui: Hyems quia adhibentur ad vſum.

Sequitur iam in Auguſtino.

Venit hyems aliquando. Cui enim non venit: accidit damnū, accidit orbitas, & cætera. *Cæteri miſerantur fortè, vt miſerum, qui non norunt, quid intus habeat formica, dicunt. Miſer ille cui hoc accidit tale cor habeāt inimici mei, Ignorans ô homo.*

Verè tu tibi inimicus es, qui per æſtatem non colligis, quod iſte colligit. Modo intus formica comedit labores æſtatis, ſed eam colligentem videre poteras, manducantem videre non potes: Quā multi tribulationem ita patiuntur, vt non eis vacet, nec legere aliquid, nec audire, nec forte admittuntur ad eos qui conſolentur, remanſit formica in cauerna, videat, ſi collegit æſtate, quo ſe a-

no-

Digitized by Google

nocet hyeme. Similitudinis huius inter formicam, & aduerſa, ſtrenuè ferentem, in hoc eſt, vt ſicut illi, hyems, eſt cauſa mouens ad colligenda grana, tempuſque iiſdem vtēdi, ita hunc aduerſitas mouet ad tolerantiam imprimis cōparandam, qua præſente facilè aderunt cæteræ præclaræ virtutes, quæ ſanum, & ſaluum conſeruabunt patientem, vtentem illis, & ipſo vſu ad maiorem perfectionem eaſdē producētē. In quo vltimo claudicat (neq; enim in omnib' paritas eſſe debet) allata ſimilitudo: nam formica vſu granorum iam collectorum, non multiplicat, ſed minuit illa, cæterum is, qui fortiter tolerat dura, non ſolùm vtitur virtutibus iam ante partis, ſed tum planè atque ipſa tolerantiæ occaſione, & acquiſitas iam perficit, & nouas adipiſcitur, quod ſic paucis demonſtrat.

Quemadmodum enim, ſi quis fræna laxat iræ, & triſtitiæ, multa fieri ab illo, dicique iam contra DEUM, iam contra homines, fere ſemper videmus, audimuſque (impotens quippe ſui animus, in quoſuis, tanquam ſibi contrarios, inuolat, de omnibus ſe vlciſcitur, etiam ipſemet diſplicet ſibi) ita vbi manſuetudinis & tolerantiæ virtutes regimen tenent, comites earum erunt, primum pietas, & Religio in DEUM, à quo ſtrenuus iræ, triſtitiæque, victor, quiduis aduerſi pacatè, & debita excipit cum reuerentia, aliuſque ſe diuinæ tradit gubernandum prouidentiæ. Aderit deinde juſtitia in homines, è quibus etſi quos idem aduerſos ſentiat, aut tolerat patienter, aut tolerando juſtitiæ expectat ſententiam. Denique talis, neque in ſe quidquam committet, quod furor, & mania faciendum ſuadent; ſed fortis omnino, & ſtrenuus, quibuſuis obuiam ibit aduerſis, idem, temperans quoque erit vt dicetur infra à n. 42. Prorſus vt formica in hyeme diues eſt annonæ, ſecuraque in cauerna delitescit; Ita patiens mitiſq; fruitur in aduerſis virtutum copia non tam earum, quas in tranquilla, adeptus eſt vita (niſi forte deſiderio magis, & 40.

præ-

præparatione animi tranquilli, vt eas retineat) quam earũ, ad quas aſſequendas, veluti manu prehenſa, tolerans mãſuetudo adducit, eo quòd nolit, aut nequeat eſſe, niſi adiunctam habeat tantarum copiam, & coronam, exercitationemq; virtutum.

41. Præclaras has animæ diuitias videtur Saluator noſter indigitaſſe diuino illo apophtegmate apud Lucam c. 21. *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Dominium & poſſeſſionem ſubſtantiæ ipſius animæ nullus hominum habere poteſt: ſicut neque corporis, ſed vtriuſque, atque adeò totius hominis, Dominus eſt ille; qui ſe eum teſtatur Joan: 13. *Vos vocatis me Domine, & benè dicitis, ſum etenim.*

Cauſam cur ſit Dominus, non reddidit, ſed ea in promptu eſt, ſiquidem vnuſquiſque verè eſt Dominus illius rei, quam efficit: quo pacto, quia DEUS creauit, & animam, & corpus hominis, eſt Dominus illius. Ex quo capite grauem iniuriam huic Domino facit is, qui violentas infert manus, aut vita ſe, aliumque priuando, aut corporis lædendo membrum, vt docent Theologi cum S. Thom: 2. 2. q. 39. art: 3. ad 2. Et licet homo non poſſit eſſe Dominus, ac poſſeſſor animæ, bene tamen actionum, affectionumque ſuarum, poteſt eſſe, imo & debet mandato ſui conditoris, ita Gen: 4. malè iraſcentem arguentis: *Quare iratus es? ſub te erit appetitus, & tu dominaberis illius.* Jam cum Saluator patientiæ tribuat poſſeſſionem animæ, non in ſubſtantia eius, vt iam explicatum eſt, ſed in appetitionibus. Quid aliud per hoc voluit nos docere, quàm id quod ſupra eſt probatum, patientiam largiri ampliſſimas excellentiſſimarum virtutum poſſeſſiones? neque enim appetitiones aliter ſubijciuntur homini, quàm per virtutes. Hæ igitur præſtando hanc ſubiectionem, conferunt poſſeſſiones, & diuitias, non auri, neque agri, verùm eius, quod nullo precio comparari poteſt, id quod totum ſi credimus Chriſto, patientiæ tribuendum eſt: *In patientia, inquit ille; poſſidebitis animas veſtras*

Sect-

Sectio Duodecima.

Ad perfectionem tria requiruntur, ad quæ apprimè confert patientia mitis.

VEriſſimum hoc Chriſti dictum, planius intelligemꝰ, ſi aduerterimus tria eſſe ad perfectionem Chriſtianã neceſſaria; ad hæc reuocari debent, quæcunque alia, quæ in ſpecie, & ſigillatim exiguntur. Primum eſt recta operatio, à qua, qui non incipit, nunquam in perfectione conſiſtet. Secundum eſt id quod operantem, laborantemque efficit. Cùm enim opus honeſtum, habeat ſuas difficultates, nec paucas, nec paruas, niſi adſit quidpiam inſtar cibi, potuſue, vires recreantis, citò defectus, & laſſitudo timenda. Vltimum tandem eſt, culmẽ ipſum perfectionis. Omnia hæc tria, in patientiæ veluti ſinum recondita inueniet, qui diligenter quæret.

De primo iam ex parte ſupra n. 35. dictum eſt, cùm oſtendimus eum qui iram, & triſtitiam ſub fræno tenet, continere ſe quoque ab ijs peccatis, ac vitijs, in quæ præcipitat furor, quam continentiam comitatur pietas, iuſtitia, & fortitudo, quod etiã declaratum iam eſt n. 40. Reſtat demonſtrandum, temperantiam quoque (in cuius oppoſitum inſtigat feruor concupiſcentiæ) non eſſe ſeparandam; de prudentia nil dico, cùm ex dictis c. 6. conſtet, eam ibi eſſe, vbi ſunt enumeratæ hæ virtutes.

Atque inprimis pro fundamento eius, quod dicturi 42.
ſumus, poni debet tanquam certis, & vſitatis probatum experientijs, moleſtiarum, atque aduerſitatum abſentiã, præſentiam verò felicis fortunæ, vehementer allicere ad peccata intemperantiæ, maximè luxuriæ. Hoc ipſe DEUS teſtatur Hieremiæ 5. *Saturaui eos, & mœchati ſunt & in domo meretricis luxuriabantur.* Hoc idem tremendo, in ſe fa-

Digitized by Google

cto vindictæ exemplo docent nos incolæ Sodomæ, de quibus ſcriptum eſt Ezechielis 16 *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ, ſuperbia, ſaturitas Panis, & abundantia, & otiũ ipſius.* Quod ſi proſperæ fortunæ fætus eſt luxus, & intemperantia (cûm contrariorum contrariæ ſint cauſæ) aduerſa patientia animo tolerata, progignent continentiam, ſobrietatem, caſtitatem, & cæteras temperantiæ, filias. Quod non ſolum in amatoribus mundi, ſed in Sanctis etiã locum habet. Certe Dauid Vir (1. Reg: c. 13.) ſecundum cor Dei, nunquam tum applicuit animum, ad vendicandam ſibi vxorem alienam, cum fugeret Saul, cùm in abditis ſyluarum, & cauernarum ſe abſconderet, cùm periclitaretur de vita die ac nocte, vt narrat hyſtoria 1. Reg: à. c. 17. ad finem libri. At vbi regium impoſuit capiti ſuo diadema, poſtquam regnum, & fines eius, latè occupauit, pace demum potitus eſt, otio inprimis diffluere cæpit, mox deinde, refert liber 2. Reg: c. 11. accidit, *vt ſurgeret de ſtrato ſuo poſt meridiem & deambularet in ſolario domus Regiæ, viditque mulierem ſe lauantem, erat autem pulchra valde. Miſſis itaque Dauid nuncijs tulit eam.* Diſſimilem culpã, ex ſimili tamen cauſa otij, & pacis admiſit aliam, idem Vir Sanctus quando vanitatis impulſu juſſit Joab 2 Reg: 24. vt recenſeret omnes, quotquot in ſuo regno ad bellandũ eſſent apti. Quamobrem DEUS quaſi experientia edoctus, eam ſuæ prouidentiæ tenuit rationem, vt crebris illum exerceret caſtigationib⁹; quaſi veritus, niſi his careret, facile in aliquid laberetur.

43. Hoc qui conſiderat, ſimul & ſuam perpendit, fortè maiorem, quàm fuit in illo Viro Sancto, infirmitatem, timebit, ne currendo mortalitatis huius proſperam viam, offendat, & ſi aduerſi quid obiectum fuerit, tolerandum æquo animo putabit, tanquam à diuina prouidentia ad vitandas mundi illecebras ordinatum; illud Themiſtoclis, quod in eius vita ſcribit Plutarchus ſibi accõmodando, *Peri-*

rieramus niſi periiſſemus, perieramus labendo in ea quæ non vult DEVS, niſi periiſſemus patiendo ea quæ vult nos pati DEVS.

Quanquam non cum illis tantùm, in quibus ſuſpicio ſubeſt lapsûs, hunc modum ſeruat diuina prouidentia: ſed ibi etiam vbi nullus eſt talis metus, immittit affligentia, vt occaſionem præbeat temperantiæ. Tritum eſt apud Philoſophos, formã ſequi ad introductas diſpoſitiones, & has, illi proportionari debere: neque enim anima hominis (cùm vita ſit in ſanguine calido) corpus frigore concretum formabit, aut ignis forma, rigidum gelu. Mihi tam corporis, quàm animæ moleſta, videntur eſſe aptiſſimæ diſpoſitiones, ad introducendam in animam temperantiæ formam; nam ſiue temperantiæ nomine, eam velimus intelligere virtutē, quæ cibū potūque moderetur, ſiue eam, quæ reprimit delectationes tactûs impuras, ſemper habet aliquid in ſe moleſti quod affligat. Cui enim non graue, cibo delectabili, aut potu, & ſimilibus carere. Cùm ergo aduerſa affligant moleſtentque, atque in hac moleſtandi ratione, ſimilia ſint, dictis virtutibus Abſtinentiæ, & Caſtitatis, ſequitur, vt in quo illa præcedunt, iſtæ etiam ibidem conſequantur, veluti naturali quadam ſympathia connexæ. 44.

Nouerunt id bene, vel ipſo innato lumine illuſtrati, in quorum perſona S. Hieronym. lib. 2. contra Jouinianum dixit: *Sine Cerere & Baccho friget Venus.* Quod idem eſt ac dicere, vbi crebra jejunia, & parcitas cibi, potuſque, ibi viget caſtitas. Agunt nonnulli pœnitentiam, queruntur quod non ſint continentes; quod impuri ſint: agant ſanè querantur, ſed ſi nihil habent, vel à ſe ſibimet impoſitum, vel à DEO immiſſum; quod tollerent: aut ſiquid immittatur detrectant pati; vereor vt illa pœnitentia ſit vera, & ſufficiens, hoc eſt cum ſerio, & ſincero conjuncta corrigendæ vitæ propoſito. Querimoniæ illæ erunt perſimiles ijs, quas DEUS in Judæis Jſaiæ 1. reprehendit. Querebantur 45.

illi de DEO, quod ſua ſacrificia, & poſtulationes non acceptarentur ab ipſo; à quo dici ſibi audiebant. *Cúm extenderitis manus veſtras, auertam oculos meos à vobis, & cùm multiplicaueritis orationem. non exaudiam,* Cauſa cur ita à DEO negligerentur, affertur eodem loco, eò quòd noluerint, ſibi vim inferre, vt aliqua opera pia exercerent, cum modica ſua moleſtia: *Audite,* inquit Propheta, *Verbum Principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei noſtri populus Gomorrhæ, diſcite benefacere, ſubuenite oppreſſo, judicate pupillo, defendite viduam, & venite, & arguite me, dicit Dominus, ſi fuerint peccata veſtra, vt Coccinum, quaſi nix dealbabuntur, & ſi fuerint rubra, quaſi vermiculus, velut lana alba erũt.*

Non aliud etiamnum reſpondet DEUS, querentibus de peccatis temperantiæ inimicis, & quadantenus de ipſo DEO, qui non dat petentibus gratiam continentiæ. Diſcite benefacere, cum moleſtia animi corporiſque veſtri, diſcite pati, & tunc arguite me, ſi vobis & petentibus, & laborantibus non dedero caſtitatem.

46. Hanc vocem diuinam audierunt omnes, quotquot relictis ſæculi illecebris, ordines Religioſos ſunt amplexi, qui à Sanctis Patribus appellantur ſtatus pœnitentiæ, vt in eo tum pro præteritis culpis (ſi fortè genio indulſerũt) luant pœnas, tum eas comparent virtutes, quæ carnem jugulant, & concupiſcentias eius, id quod neutiquam aſſequerentur, niſi armati patientia, & manſuetudine. *Omnes,* clamat vnus ex eis 2. ad Timoth: 3. *qui piè volunt viuere in Chriſto IESV perſecutionem patientur,* & S. Auguſtinus Tom: 8 lib: Sententiarũ, ſententia 204. *Ad hoc,* inquit, *ex coquuntur homines tribulationibus, vt vaſa electionis euacuentur nequitia, & impleantur, gratiâ.* Jtaque patientia mitis & ad alias plurimas morales virtutes acquirendas, & ad ipſam temperantiam apprimè eſt neceſſaria. De induſtria addo ad plurimas virtutes, neceſſariam eſſe patientiam, quæ enim ſine graui moleſtia acquiruntur, ad has patientiæ non

requi

Digitized by Google

requiritur auxilium. Conducit eadem, ad illud quoque alterum, magnum Chriſtianæ perfectionis adiumentum, dat videlicet vires, alacritatemque ad cæptum continuādum ſtudium, honeſtatis, atque ſalutis.

Quanti refert, adeſſe eum, qui labore diuini obſequij detentum, recreet, animet, & ſoletur, docuit S. Paulus Galat: 6. *Fratres,* inquiens, *etſi praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui ſpirituales eſtis, huiuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis, conſiderans temetipſum, ne & tu tenteris.* Tētatione pulſatum, aut etiam victum ſuauiter inſtruendum cenſet Apoſtolus, ne vni malo addatur alterum, ſi aſperiꝰ cum illo agatur, ſed non ſemper adſunt, qui hoc Spiritu leni inſtruant, aut ſi adſunt, non omnes illos præditos ſcimus. Porrò, accidit non raro, vt grauiſſimè tentatus, à nullo hominum poſſit, quantumuis leniter tractetur, in tranquillo cordis reponi; dolore, ſiue timore mali, magnitudinē ſolatij ſuperante. Teſtis eſt DEUS, in carne noſtra, per omnia, vt inquit S. Paulus Hæbr: 4. abſque peccato tentatus, id eſt grauiſſima paſſus; quorum adeò fuit ingens moles, atque acerbitas, in Gethſemani horto, vt ab Angelo confortatus humi iaceret, ſanguineo madens ſudore, & cū agone luctans, is erat tum cordis dolor, cui ne Angelus quidem, mitigando ſuffecit. 47.

In hoc euentu patientiæ & manſuetudinis virtus eſt, quæ cuiuis, quantumuis immenſo obuiam it malo, non ita ſolum, vt non ſuperetur ab ipſo, ſed vt magna animi alacritate, interdum ingenti cum gaudio ſuſtinetur, fitque nonnunquam in patientis corde eiuſmodi pugna, doloris, & gaudij, vt ægrè dignoſcas, illiusne maior eſt ſenſus; an huius voluptas. Non id habet à ſe patientia aut manſuetudo, cui ſatis eſt illud Poetæ adimplere. *Tu ne cæde malis, ſed contra audentior ito;* quod dum fit, ſine ſenſu doloris fieri non poteſt: alacritas ergò illa, inter perferendum acerba; pax item, & lætitia, animi in malis geſtien- 48.

 tis,

tis, ab illo datur qui tolerantiam mitem tali præmio dignatus eſt, Matth: 5. *Beati qui lugent, quoniã conſolabuntur.*

Sectio Decimatertia.

Quinam in afflictione diuinis abũdant ſolatiis?

PRomiſſi huius diuini veritas, vt & cuiuſcunque alterius axiomati illi etiam diuino innititur; *Cælum & terra tranſibunt, verba mea non præteribunt*, Matth: 24. Quod ſi quis dictam veritatem, non experiatur in ſe, ita vt optaret; aliud non puto impedimenti eſſe; quàm quod non ſit è numero beatorum lugentium. Si enim quis partim luget, partim ridet, aut certè luxit, ſed amplius non luget, conſolatio illi meritò deneganda, quæ nonniſi lugentibus eſt promiſſa, nempè ijs qui tanta perferunt, vt nihil in humanis aut vix aliquid læti habeant, quo caſu memor eſt promiſſi ſui DEUS. Doctrina hæc clarè eſt tradita à Spiritu S. Pſalm: 93. vbi beatum dicit Pſaltes eum, cui DEUS in malis ſuccurrit *Beatus*, inquit, *homo quem tu erudieris Domine, vt mitiges ei à diebus malis*: vt tamen homo ſciat, quando, & quanta hæc mitigatio ſit futura, docet ſequentibus verbis. *Secundum multitudinem dolorum meorũ: in corde meo conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam.*

49. Hinc liquido patet modus, & menſura diuini illius explendi promiſſi; Primò enim qui nihil patitur, ſed omnia pro voto habet, nam eſt de eorum ſorte, quib' Chriſtus dixit: *Conſolabuntur*: Nam non habet luctum, aut dolorem vllum quem conſolatio debere mitigare. Secundo qui patitur quidem, ſed ſimul habet admixta, aut mox ſuccedentia humana ſolatia, diuinis illis carebit, quæ lugentibus debentur duntaxat, non partim lugentibus, partim

tim gaudentibus; aut iam lugentibus, iam mox gaudentibus. Tertio igitur, hi qui lugent, & dolent, patienter ferendo aduerſa, ſperent & certiſſimo expectent promiſſam à Chriſto conſolationem, in tanta illius magnitudine, quanta eſt luctûs & doloris multitudo, vt vtrumque verũ ſit. *Beati qui lugent quoniam conſolabuntur. & ſecundùm multitudinem dolorum, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam.*

50. Occurret forſan cuipiam, fuiſſe quoſdam gentiles patientiſſimos, nec tamen narrari quidquam de ſolatijs ijs diuinitus conceſſis. Nunc etiam inter Chriſtianos, latrones reperiri qui exquiſitiſſima tormenta, æquo ferant animo, quibus diuina ſolatia deberi abſurdum videtur. Primum horum ita diluendum eſt, vt dicamus patientiam gẽtilium, non eſſe dignam præmio illo, quod fidelibus Chriſtus pollicitus eſt, & ijs, qui ad æternam beatitudinem præordinati, etiam in mortali vita iam præguſtant illius primordia. atq; ideò appellantur à Chriſto beati. Nunc in luctu, beatiores multò. *cùm abſterget DEVS omnem lachrymam ab oculis eorum.* Apocal: 21. De Latronibus qui Chriſtiani de hac vita decedunt, nihil abſurdi eſt aſſerere eos quoque participes eſſe huius ſolatij diuini, id quod cõmendat excellentiam meritorum Chriſti Domini, qui etiam facinoroſis, juſtitiâ pœnas æquaminitèr ſoluentibus, tantum promeruit donum. Quapropter viſi ſunt nonnulli ſupplicio afficiendi, tantæ contritionis, & lachrymarum gratiâ donati, vt licet poſſent fauore condonantium, viuere, maluerint tamen mori, dignaque factis perpeti tormenta. Talis erat Latro comes Chriſti in cruce à dexteris Luc: 24. ſe, non illum dignum morte affirmans. *Nos quidem,* dicebat alteri Latroni, *juſtè, nam digna factis recipimus,* & mox illam ſpei, ac fiduciæ plenam vocem emittens exclamauit. *Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum.* Denique pleniſſimum lætitiæ excepit reſpon-

Digitized by Google

ſponſum. *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiſo.* Hic idem latro, documento nobis eſſe poteſt, quodnam temporis ſpacium ſit patienti definitum à DEO, quo elapſo expectāda ſit promiſſionis executio; id enim perutile eſt cognoſcere, quantum ex reuelatis licet, vt eo patientia mitis ſit conſtantior, & firmior, quò eſt certior, & de promiſſo, & de modo ac tempore illius. Ergò latro prædict⁹, non prius ſpe, fidiciâ, & gaudio repletus eſt, quàm teſtat⁹ ſit idquod res erat, ſe pati, & quidem juſtè, nimirum DEO per ſuos in terris Miniſtros, ac Judices juſtitiā ſanctam exequēte, adjunxit deinde orationem, breuem quidem, ſed erumpentem è dolentis corde. *Domine memento mei.* Jn quo eius facto tria videmus; duo in ipſo mærente, tertium in DEO leniente dolorem, & mærorem: in illo cernitur patientia, ac manſuetudo conformans ſe Dei ordinationi, item Oratio; Jn DEO elucet, approbatio, quâ illius patientiæ, quâ orationis ad hoc, vt præmium conferatur promiſſum. Quare totum tempus patienti diſignatum ad expectandum cœlitùs ſolatium eſt, pati, conformando ſe diuinæ voluntati, ſiue juſtè punienti, ſiue amanter probanti, & Oratio ad DEUM, quoad afflicti memor ſit, quemadmodum promiſit.

Sectio Decimaquarta.

Nullus patitur ſine cauſa, modo is ſit, qui vel leuiter peccauerit aliquando.

PONO quidem alteram, & diſtinctam diuinæ punitionis cauſam, ſcilicet Amorem Dei probare volentis eum, qui non meruit caſtigari; ſed ita pono, vt

vix illa, aut ne vix quidem ſola conſiſtere poſſit; quis enim ob aliquam ſuam culpam, non eſt caſtigatione dign⁹? neq; verò quærenda eſt culpa magna ad promerendam Dei pœnā, id quod ex dictis hoc c. à n. 27. palam eſt. Clarè id inſuper affirmat S. Auguſt: Tom: 8. in Pſalm: 148. *Iuſti*, inquit, *qui hîc ſunt, pericula, labores, moleſtias, paſſiones pro meritò patiuntur, iuſto iudicio Dei; quia ille ſolus poteſt dicere; ſine cauſa paſſ⁹ ſū, qui ideò nō ſine cauſa, quia propter nos; qui ſol⁹ poteſt dicere. Quæ nō rapui tūc ſoluebā.* Pſal: 63. *Ecce venit Princeps mūdi huius & in me non habet quicquam.* Ioan: 14. Et quaſi diceretur, Quare ergo pateris, ſequitur; *ſed vt ſciant omnes, quia voluntatem Patris mei facio, ſurgite eamus hinc. Cæteri omnes meritò ſuo iudicio Dei, & pro iuſtitia, quæ patiuntur, non ſibi arrogent, quia habent paſſionem innocentiæ, qualis in Chriſto erat. Audi Apoſtolū Petrū* 1. Petri 4. *Tempus eſt*, inquit, *vt iudiciū incipiat à Domo Dei, exortans Martyres, vt omnes minas furētis ſæculi patientiſſimè tolerent in ſemetipſis. Hæc S. Auguſtin⁹.* 52.

Cæterum quacunque de cauſa patiamur, ſi adhuc, ſancta ducti curioſitate inquirere ſingularius velimus, patientiæ ipſius atque orationis quodnam ſit determinatum tempus, quo elapſo mereamur ſolatium, horane, vel dies, menſis vel hebdomada? Ad hoc ipſe qui promiſit ſolatiū reſpondet Actor: 1. *Non eſt veſtrum noſſe tempora, vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate, ſed accipietis virtutem ſuperuenientis Spiritus in vos.* Nobis eſt ſatis noſſe, vbi completa fuerit patientia, & oratio, in eo meriti pondere quod DEUS nouit, ſuperuenturam virtutem à fonte omnis ſolatij, Spiritu S. in ea etiam abundantia, qualitate ac magnitudine, quam ipſemet nouit. Aliquos enim ſolatur citiùs, tardiùs alios, hos intra cor duntaxat, illis vltra interna ſolatia, largitur etiam externa, & quidem in hoc mundo; ſic de alijs placiti diuini diuerſis modis; quorum plena ſunt in Sacris ſcripturis & hyſtorijs Sanctorum exempla. Certè de Apoſtolis Actor: 5. ſcribitur, eos mox vt 53.

paſſi ſunt, *iuiſſe gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine IESV contumeliam pati.* Ita S. Athanaſius Epiſcopus Alexandrinus, toties ſede Epiſcopali eiectus, toties iterum non cum lætitia animi tantum, ſed cum laude, & honore eidem erat reſtitutus; è contra S. Chryſoſtomus, Epiſcopatu pulſus, in exilio mortuus eſt: quanquã non ſine exultatione animi, quam maximè tunc ſenſit, cum à S. Baſiliſco Martyre audiuit: *Ioannes Frater, craſtinus dies, nos loco conjunget.*

54 Tantùm, & ita declaratum tempus, non paucis eſt difficile expectatu, ac propterea ijdem aut deſpondent animum, minuſque credunt DEO promittenti, aut certè patiendi perdunt conſtantiam; vtrumuis horum fiat, tollit, vel ſaltim minuit conſecutionem præmij. Quod ne fiat adeſt, liberalior in nos DEUS, quàm ipſi nobis ſumus fauentes, atque vt afflicto animum addat, duo per Habacuc Prophetam c. 2. conſideranda proponit. Nempe patienti videri longiſſimum expectationis tempus, quod illi ante phantaſiæ oculos depingitur, cæterùm ſe, & certiſſimo & ſine mora daturum id, quod ſanctè pollicitus eſt. *Scribe* loquitur ad Habacuc *Viſum, & explana eum ſuper tabulas, percurrat qui legerit eum. Quia ad hoc viſus procul,* (en longitudo, ſed quàm breuis ſit, ſtatim oſtẽdit) *& apparebit,* inquit, *in finem & non mentietur, ſi moram fecerit expecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit; Ecce qui incredulus eſt, non erit recta anima eius in ſemetipſo; juſtus autem in fide ſua viuit.* Confert hic DEUS á ſe depictam breuitatis & certitudinis figuram, cum ea quam pingit, & fingit phantaſia atque inconſtantia, dicitque, eum, qui plus huic, quam illi tribuit, eſſe incredulum, & non rectè ſibi fauere. Non rectè certè fauet, qui cum fuerit multa paſſus, ob diffidentiam & inconſtantiam ſuam priuat ſe merito & præmio.

Verùm

Digitized by Google

Verùm qui ita patitur, vt ordinat DEUS; nõ fruſtrabitur, eo quod ſe daturum, recipit idem DEUS, quemadmodùm ſunt ipſi teſtes qui illud egerunt, hoc retulerunt ex 55.
multis aliquot adducam. Scribit Turſelinus lib: 2. c. 1. in vita S. Xauerij è Societate noſtra, Jndiarum Apoſtoli, qui Chriſti amore, & ſalutis animarum cauſa plurima grauiſſimaque egit, & paſſus eſt, terrenis prorſus deſtitutus ſolatijs: porrò cœleſtium quanta fruebatur copia, conſtat ex literis ad ſocios datis, quos ad ſimiles inuitauit labores hæc ſubjungens: *Tanta vis eſt ſolatiorum cœleſtium, quæ DEVS impertit ijs, qui in hac vinea; Indijſque ad Chriſtum conuertendis elaborant, vt, ſi quod eſt in hac vita gaudium, hoc vnum mihi eſſe videatur.* Hanc gaudij exuberantem, & cor mortale ſuperantem magnitudinem, exprimere ſolebat idem Vir Sanctus, quoties illo plenus, cubiculo ſe prorumpere cogebatur, & tempeſta nocte deambulans per aream, altius exclamare. Satis eſt Domine; tantum vitæ æternæ reſerua. De quodam Diacono ſcribit Baronius Tomo 2. ad Annũ Domini 179. qui acerrimè ob Fidem Chriſtianam tortus, nullomodo induci potuit vt diceret cuias eſſet. Hoc ſolum ingeminabat. Chriſtianus ſum. hæc eſt mea ciuitas, hæc Patria, hoc genus. Meminerat iſte dictum ab Apoſtolo 1. Petri 4. *Nemo veſtrum patiatur vt homicida, aut fur, ſi autem vt Chriſtianus glorificet DEVM in iſto Nomine.* Glorificauit hic DEUM alio quouis honorificẽtiſſimo licet ſpreto Nomine, vberrimumq; retulit ſuæ patientiæ fructũ, quo repletum cor riſit tormenta. Non alio fructu reficiebatur intus, Conſtantinus Magnus, quando vt ſcribit idem Author Tom: 3. An: Dom: 324. pro comperto habẽs effigiem ſuam ab hæreticis Melitianis fædari, per contemptum findi, vilipendi; nihil contra eos egit. rogatus tandẽ cur ſe Jmperator non vindicaret; manu vultui admota reſpondit: *Ego nullam ſentio in facie cicatricem.* Hoc in iſto Heroe, alijſque perſimilibus eſt alterum patientiæ Chriſti-

Digitized by Google

anæ inſigne ſupra n. 41. allatum, ſtudium videlicet atque alacritas ferendi quiduis, quod pro ſalute noſtra, Deique obſequio ferendum occurrit.

Sectio Decimaquinta.

Culmen perfectionis tolerantiæ, ac manſuetudini tribuendum eſt.

56. POſtremo tandem eiſdem virtutibus acceptum ferri magna ex parte debet, culmen ipſum & finis perfectionis Chriſtianæ, quam in amore Dei & proximi ſitam eſſe norunt fideles, cum legant ab ipſo DEO dictum Marci 12. *Primum omnium mandatum eſt; Audi Iſrael. Diliges Dominum ex toto corde tuo. Secundum ſimile illi. Diliges proximum tuum tanquam te ipſum, maius horum aliud mandatũ non eſt* Dilectio iſta tam in DEUM quam in proximum, operatione ſe prodere debet, Sancto Joanne Epiſtola 1. c. 3. mandata illa duo ſic ex ſententia Chriſti interpretante. *Filioli non diligamus verbo neque linguâ, ſed opere & veritate.*

Jam opus ad quod charitas mouet, varium & multiplex eſt, ſed vnum cæteris præfert tanquam præſtantiſſimum omnium, is, qui non opera tantum, ſed & corda põderat Chriſtus, ita hac de re Joannis 15. locutus: *Maiorem hâc dilectionem nemo habet, vt animam ponat quis pro amicis ſuis.* Vbi imprimis ſuam commendat in nos beneuolentiæ atq; amicitiæ charitatem, quæ illum impulit ad mortem pro ſalute noſtra ſubeundam. Deinde docet ſumpto à ſe ſimilitudinis argumento, ab omni illo qui amore atque amicitia ipſius ſanguinem proprium fundit (quemadmodum faciunt Martyres) ita DEUM diligi, vt plus non poſſit. Atque

Digitized by Google

que hæc eſt conſummata, & ſuis numeris abſoluta charitas, culmenque perfectionis Chriſtianæ, qualis in mortalitate iſta optanda eſt. Merito tantum, operi Martyrij tribuit Chriſtus, magna enim debet eſſe dilectio in ei9 animo, qui vitam cuique hominum cariſſimam, illi poſtponit.

Hanc tam inſignem charitatis perfectionem ſi patiē- 57.
tiæ & manſuetudini adſcribamus, nihil derogabimus ſentētiæ Saluatoris de præſtantia Martyrij prolata, cum fieri nequaquam poſſit, vt quis ponat illius gratiâ animam ſuā, præſidio harum virtutum deſtitutus, vt patebit parte 2. huius libri c. 1. Multi ſunt Martyres qui non fuerunt Virgines, caſti, miſericordes, liberales, quos, dum cruciarētur, pœnitebat non fuiſſe tales: ſed qui abſque debita manſuetudine ac tolerantia conſecutus ſit Martyrij lauream, reperietur nullus. Neque id tanquam certum, vlteriore eget probatione. Legat qui illam deſiderat S. Thomam 2. 2. q. 124. art: 2 in corp: vbi diſertè docet, non poſſe quemquam fortem eſſe, in ſuſtinenda morte, niſi idem patiens ſit & mitis, ſiue talis qui propter vehementiam triſtitiæ & iræ non patiatur ſe abduci à perferenda morte, & diris cruciatibus.

Jllud hîc in dubium vocari poteſt, quod Dominus 58.
de martyrio aſſerit, vtrum id, ita ſit dictum ab illo, vt ſola Martyrij tolerantia maximæ ſit dilectionis argumentum, neq; dari poſſit vllum aliud pœnitentiæ aut alterius virtutis opus, illi par, quod perinde ac Martyrum teſtetur in DEUM maximum amorem. Dubitationi huic ſatisfaciēdum puto, adhibita diſtinctione: nam cum Saluator noſter tantam charitatis perfectionem. tribuat morti pro ſe toleratæ, eò, quod graue ſit, atque arduum, magnique doloris ac triſtitiæ indicium, priuari chara vita: quod totum ſine inſigni patientia & manſuetudine eſſe non poteſt; ſi in quopiam eueniat, vt æquè tolerabile, vel certè tolerabiliùs ſit mori, quam pati aliquid, in hoc opus patientiæ & man-

ſuetudinis, aut parem aut certe maiorem martyrio, declarabit in DEUM charitatem. id quod fuſius oſtendetur par:
59. 2 huius libri c. 1. Quod autem Saluator noſter, ſoli martyrio maximam adſcripſerit dilectionem, hoc ideò fecit, quia plerumque homines vitam corporis amant, præferūtque cæteris caducis, & externis bonis ac priuationem ei⁹ maximè dolent, ex quo optimâ conſequētiâ intulit, eum, qui ipſius Sancto amore, vitam adeo ſibi charam contemnit, non poſſe habere maiorem hâc charitatem. Nempè quæ ſuperat amorem & bonorum externorum, & ipſius vitæ hiſce bonis longè charioris. Cum tamen aliqua ſint bona (de quibus hic Dominus conferendo, amorem ſui, cum amore duntaxat vitæ, non agit) vitâ ipsâ meliora, & chariora, quorum deſtitutio, magis hominem afficiat, magiſque contriſtet, quam ipſa mors, minimè ambigendum dari aliquam tolerantiam, maiorem, quam eſt mortis corporalis, & eadem tali tolerantia, maiorem in Deum declarari charitatem, quam declaratur amiſſione vitæ. Id quod non difficulter oſtēdi poteſt, ratione fundata in ſcriptura & teſtimonio Patrum. Clarum enim perſpectumque eſt, apud omnes, quod docet S. Thō: 2. 2. q 73. art: 3. in corp: *bona animi, qualia ſunt virtutes, ſalus animæ, & DEVS ipſe, in quo conſummatur ſalus vitaque beata, maiora eſſe & longe præclariora bonis corporis, ſanitate nimirum, & vita illius. Quēadmodum etiam anima ipſa, nempe ſpiritus intelligens, præſtantior eſt corpore.* Illud quoque non minus certum eſt, tantò nos magis triſtari ac dolere, quantò maioribus priuamur bonis, aut periculum inſtat, ne priuemur, ſiquidem triſtitia conformatur amori (quod de omnibus affectionibus, ad amorē relatis vniuerſim probauimus ſupra capite 11. à n. 21) ſi ergo maiora bona magis amamus, quemadmodum digna ſunt, quæ amentur magis, magis etiam triſtamur, ob amiſſionem illorum, & ſuccenſemus illis, per quos amittimus.

60: Ex hoc iam efficitur planè, vt longe ſit maior, & acer-

cerbior illa patientia, quæ luctatur cum hoſtibus, virtuti ſalutique inſidiantibus, quam ſit illa, quæ ſuſtinet hoſtes vitæ corporalis. Cum multo ſit triſtitia maior, quâ afficimur ne amittamus bona animi, quam ſit triſtitia ob amiſſionem bonorum vitæ corporalis. Neque tantum facit, ſi quis dicat non omnes grauiùs ſentire hoſtes animæ, periculumque omittendæ virtutis aut æternæ ſalutis, quam vitæ corporalis; hoc inquam parum facit, non enim de talibus loquimur, ſed ijs, qui rationem ſecuti Ducem, maiora bona pluris æſtimando, plùs agunt, & plùs patiuntur pro indemnitate eorum, quam paterentur ſi illis vita adimeretur corporalis, Atque horum talium aſſerimus patientiam eſſe maiorem, maioriſque in DEUM dilectionis argumentum in ſe continere.

Exemplis id clarè patebit omnium eorum, qui Chriſti Saluatoris ſui conſilia ſecuti, vitamque Religioſam amplexi, tantò p ùs de vita corporali, & incolumitate ſibi demunt, quantò ſunt obſeruātiores diſciplinæ ordinis ſui, qui partim rigore Regularum, jeiuniorum, parſimoniæ, & ſimilium carnis mortificationum; partim labore, præſertim intenti aſſiduo literarum ſtudio, eneruant vires corporis, morbos & debilitatem contrahunt, vitæ denique accelerant finem. Quæ omnia amore Chriſti & perfectionis eius ſanctè ſuſcipiuntur, accedenteque præſertim ſedis Apoſtolicæ judicio è mente Saluatoris talia viuendi genera approbante. Religioſi itaque perfectionem Chriſtianam, vitæ ſaniori, cōmodiori & longiori anteponunt; neque hoc contenti, adeò ſuum quiſque viuendi genus amat, vt paratus ſit vita corporis, quam illâ priuari. Quam animi præparationem veram efficacemque fuiſſe euentus in multis probauit. 61.

De Sancto noſtræ Societatis Fundatore legim⁹ in vita eius à Patre Ribadeneira edita, illum captum fuiſſe quadam vice, & carceri addictum, catenis onuſtum, ſententia 62.

tia tantum neque leuis expectabatur; totum id amore perfectionis Chriſtianæ quam tum ordiebatur) pertulit, ad quam proximos lingua & vita inuitabat. Decretum quidem latum eſt pro innocentia Jgnatij, ſed ille palam paſſus eſt, ſe amore & imitatione Chriſti, paratum tot & tanta ferre, quanta non eſſent in illa ciuitate reperta, in qua captus detinebatur. Beato Stanislao Koſtka, noſtri etiā Ordinis alumno, vt refert in vita eius, Turſelinus, ſcripſerat ex Polonia parens, ad deſerendum Religioſæ vitæ ſtatum adhortans, addenſque ſe ni id faceret, catenâ vinctū, inde in Poloniam velle adducere. Lectis hiſce literis, leuauit Sanctus Adoleſcens (vt erat æger lecto affixus) caput, prompteque collum catenis obtulit, paratus procul dubio vita deſtitui potius, quàm Chriſto ſeruiendi propoſitum mutare. Scribit Matthæus Veſtmonaſterienſis in Hiſtoria Anglicana, de Ebba Collinganēſis Cęnobij Abbatiſſa, quæ quod ſibi, alijſque ſanctimonialibus timeret aliquod periculum Caſtitatis, à Danis Ethnicis, Angliam tunc depopulantibus, inijt diuinitus procul dubio ſuggeſtum conſilium. Ergò conuocatas monuit omnes Virgines, vt quod ipſam viderent facere, id ſine mora agere non dubitarent; illicò arreptâ nouaculâ naſum ſibi præſcidit; factum ſecutæ omnes, atque ita impudicorum euaſerunt libidinem, nō tamen necem, nam omnes eò quòd ſe ita fædaſſent, vna cum Monaſterio cremārunt. Jmitatæ ſunt hæ virgines, item etſi DEO non conſecratas: ſed tamen pudorem amātiſſimas filias Ducis Agilulphi in Jtalia quæ, vt ſcribit Paulus Diaconus lib. 4. c. 12. ne quid ad Auaribus ignominiæ paterentur, crudorū pullorum carnes maxillis circūpoſitas, ſub faſcia geſtârunt, vt fætore è putredine exhalante, quemque obuium à ſui contactu depellerent: quod & conſecutæ ſunt, præmiumque Sancti doli retulerunt. Nam ſæpius venundatæ, & ſemper intactæ, eum finem habuerunt tandem, vt vna ex eis Alemannorum Regi,

Digitized by Google

gi, alia Bauariorum Principi connubio ſit tradita. In noſtris quoque Polonicis Annalibus apud Sarnicium lib: 6. legimus, de quadam virgine religioſa, quæ Sancto quodã aſtu decepit vnum ex hoſtibus, è Lituania tunc adhuc DEI ignara irrumpentibus; perſuaſit illi ſe callere artem quandam, qua qui vteretur, nullius vnquam enſe lædi poſſet; credidit miles virgini, ſumptâque frameâ (vt erat ab illa rogatus) periculum fecit in tenui ipſius jugulo, à quo vt vidit caput præciſum, illuſum ſe indoluit. Simile prorſus ſcribit Nicephorus lib: 7. c.13. de virgine Euphraſia. Omnes iſti eorumque ſimiles factis declarârũt ſe in maioribus bonis habuiſſe virtutem Caſtitatis, aut perfectionem, ordinẽque Religioſum, quàm corporis vitam, multoque acerbiorem ſibi fuiſſe luctam cum illis, qui moliti ſunt illa auferre, quàm qui vitam ademerunt, aut adimere voluerunt. Denique vitam periculis promptè obiecerunt, tanquam modicum paſſuri, ne quod magis timebant paterenrur. Verùm enim eſſe debet illud Philoſophorum dictum: propter quod vnumquodque eſt tale; & illud magis. Quare ſi paſſi ſunt vitæ iacturam, ne paterentur damna religioſæ ſanctitatis, aut perfectionis Chriſtianæ, plus timebant ne hac fruſtrarentur, plus dolebant, pluſque triſtabantur ob pericula huic imminentia; poſtremo plura tolerabant, ſentiẽdo huic contraria quàm aut timebant, aut dolebant, aut patiebantur propter aduerſa vitæ.

Hæc ratio quæ facta comparatione bonorum animæ cum bono vitæ corporis, oſtendit meo judicio clarè maiorem eſſe, & præſtantiorem patientiæ virtutem, quæ obſiſtit ne quid anima de ſuis amittat bonis, & hanc eandem patientiam, maioris eſſe ſignum dilectionis in DEUM, quàm eſt patientia vitæ ſuſtinens iacturam. Hæc inquam ratio amplius confirmari, & roborari poteſt, facta eorundem duplicium bonorum collatione, non in ſe tantùm, ſed in dolore, ac triſtitia quam illa afferunt ſui amiſſione. Si e- 63.

nim triſtitia eſt longè maior ſecuta iacturam bonorum animæ, quàm eſt juſtitia, orta ex vitæ detrimento, maior eſt & excellentior patientia, quæ priorem quàm quæ poſteriorem moderatur triſtitiam. Poſuim⁹ quidem paulo ante n.59. tanquam certum, tanto nosmagis triſtari, quanto maioribus priuamur bonis, id quod in vniuerſum verum eſt, dequibuſcunque bonis, facta eorum ad inuicem comparatione. Neque ſolùm bona animæ interna cum bonis externis, & corporis, ſed etiam ipſa bona externa inter ſe, aut cum bonis coporis comparando. Nam poteſt euenire, vt quis pluris faciat. v. g. famã, & honorem, quàm vitam corporis; ſiue id faciat errore, imprudentiâ, immoderato affectu, ſiue quod in aliquo caſu, fama ſit præferenda vitæ. Quo in euentu non dubium eſt, maiorem fore triſtitiam propter amiſſionem famæ, & honoris, quàm vitæ; ſemper ergò magis triſtamur propter iacturam bonorũ maiorum, vel quod ſint maiora in re; vel certe in apprehenſione hominum, & hoc eſt quod ſupra erat ſuppoſitum.

64. Cæterum quod nunc probare intendimus eſt, oſtendere longe maiorem eſſe triſtitiam, quæ ſentitur in anima, propter aliquam bonis eius internis vim illatam, quàm eſt triſtitia, orta ex aliqua violentia facta vitæ, aut quib⁹uis bonis externis; quod ſic oſtendo. Obiectũ, & materia triſtitiæ, in eo cui vita aufertur eſt, aut continui diuiſio, dum membra ab inuicem ſeparantur, aut qualitatum, ſeu diſpoſitionum materialium, magna variatio, vt dum corpus igne crematur; ex quo vtroque ſequitur animæ diſceſſ⁹ è corpore, ſeu mors, quæ omnia ſunt corporea, vel ſaltim corpori permixta, vt manifeſtum eſt conſideranti.

Et priora quidem duo, nempe diuiſio corporis, & alteratio eiuſdem ſua reali præſentia, efficiunt in anima triſtitiam; tertium cauſat eandem per apprehenſionem menti obiectam, nempe mors, tanquam certò, & breui futura.

ra. Jam verò triſtitiæ illius, quam patitur anima propter bona ſua interna, obiectum & materia eſt virtutis gratiæ cœleſtis, & DEI ipſius ſiue ſeparatio ab illa, ſiue vis aliqua eam intentans, vbi omnia videmus eſſe ſpiritum, & ſpiritualia, nempe animam, virtutem, gratiam, DEUM, ipſa quoque horum ſeparatio debet eſſe proportionata ſpiritui, ac proinde ſpiritualis; at verò in amiſſione vitæ, omnia, vt dixi ſunt materialia, videlicet membra, diuiſioque eorum, qualitates, ipſarumque mutatio; & licet anima ſit ſubſtātia ſpiritualis, tamen corpus, cui vnitur, & à quo ſeparatur, materiale eſt, & vnio ex parte corporis materialis. Cum itaque ſpiritus & ſpiritualia longe ſint excellentiora corporeis, & maximè ſi ſpiritus infinitæ perfectionis ſe admiſceat, cuiuſmodi in noſtro propoſito eſt DEUS, quemadmodum ſpiritualium poſſeſſio, multò maius parit gaudium quàm poſſeſſio corporalium, tum quia illa maiora ſunt, tū quia ſubtilius, & penitius, nempe ſpiritualia ſibi vniuntur; ita eorundem ſpiritualium amiſſio, aut periculum ne amittantur, maiorem affert triſtitiam, quàm amiſſio, periculumue amittendi corporalia. quæ & minora ſunt, & nō ita intime (videlicet naturâ ſuâ craſſa) ſibi aut animæ adhærent. Non explicamus hîc, quo pacto DEUS vniatur animæ noſtræ, id quod declarandum erit lib: 3. ſatis eſt nunc pro certo habere, inter bona animæ noſtræ, vltra virtutem, & gratiam Dei, eſſe ipſummet DEUM, vt de ſe teſtatur Geneſis 14. *Noli timere Abraham, ego merces tua magna nimis:* & Exodi 33. *Ego oſtendam tibi omne bonum.*

Ex his facilè etiam eſt aſſerere, ab hac eadem triſtitia orta ex bonis animi, ſuperari triſtitiam natam ex amiſſione bonorum externorum, cùm opes ſint res corporeæ, nec vniuntur animæ, niſi per quādam politicam, ſeu moralem poſſeſſionem; honor autem, licet debeatur excellentiæ in bonis animæ fundatæ, atque ex hoc capite accedat quodāmodo ad eadem bona; eſt tamen res prorſus externa, nec

 vni-

vnitur honorato, niſi per apprehenſionem honorantis. Et cùm vtrumque hoc bonum externum ſit, iactura eius non tantùm ſentitur, quantum ſuâptæ naturâ ſentiuntur illa, quæ intime ſunt vnita, quemadmodum & vniuntur, & ſẽtiuntur bona animæ. Rationi ſic enucleatæ, & confirmatæ accedat authoritas Sacræ ſcripturæ, & SS. Patrum. Beatiſſimæ Virgini prædixit S. Simeon ſenex Luc: 2 *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius*, quà prædictione hæc ōnia S. Spiritus indicat; principio gladium hunc fuiſſe doloris, aliàs enim materialis gladius, animam attingere (ne dum penetrare) non poteſt.

65. Deinde eundem gladium idem effeciſſe in anima, quod gladius corporeus in corpore facit. vt enim hic diuiſione corporis dolorem efficit, & mortem affert: ita ille triſtitiã, & mortem talem, qualem poteſt pati res immortalis. Huius talis mortis habemus euidens exemplum in damnatis, qui in æternum moriuntur, non corporis (hoc enim ſuo malo viuet ſemper) ſed animæ morte, teſte S. Joanne Apoc: 18. *In vna die venient plagæ ejus mors & luctus & fames & igne comburentur.* Et Apoc: 20. *Infernus & mors miſſi ſunt in ſtagnum ignis, hæc eſt mors ſecunda*, qui non eſt in libro vitæ ſcriptus, miſſus eſt in ſtagnum ignis. Omnes ergò damnati vere moriuntur, eò quòd priuantur bonis animæ, quæ vt oſtendimus hoc libro c. 2. & dicetur lib: 2. ac 3. ſunt vita eiuſdem, nempè, virtus, gratia DEI, & ipſe DEUS.

66. Ex ea animæ morte, infelicium animarum, poſſumus deuenire in notitiam mortis, qua dolentiſſima Deiparæ anima, mortua erat, toto illo triduo paſſionis Filij ſui. Summum illius bonum, ac omnis, & tota vita fuit idem Filius, magiſque illo, quam ſua propria viuebat anima, Rectè enim dixit alicubi Auguſtinus, *Anima magis eſt ibi, vbi amat quàm vbi animat*, hoc eſt amans amore præſtantiſſimo, qui eſt amicitiæ, & beneuolentiæ, plus de-

ſide.

Digitized by Google

ſiderat bonorum, & felicitatis illi, quem amat, quàm ſibi Beatiſſima igitur Virgo, cùm ſummis votis optauerit Filio ſuo vitam, gloriam, & quiduis aliud, quod DEO incarnato omni debebatur jure, atque hoc eius Sanctiſſimæ animæ erat bonum; hæc vita, Chriſtus DEUS & homo, Rex gloriæ, & felicitatis omnis; priuata fuit dono tanto, non quidem ita, vt damnati, aut in hac vita adhuc degentes mortali, priuantur DEO, & gratia eius ob ſua peccata; ſed ita; vt priuatur is ſuo bono, qui illum quem diligit videt aduerſa pati, nam amantis bonum; eſt proſperitas amati, aduerſitas illius. eſt malum huius, Jtaque paſſio & mors ignominioſa Chriſti, fuit malum Genitricis eius, eò quòd gladium dolens in animum eius infixerit, mortemq; omni corporis morte longè acerbiſſimam intulerit; tanta ſiquidem fuit illa triſtitia dolenti animæ, tantaque in éius exactiſſima moderatione tolerantia, quanta ſentiri non poteſt, in quauis atrociſſima corporis morte.

Quapropter de triſtitia, dolore, patientia & man- 67.
ſuetudine tali Sacroſanctæ Virginis hæc ſunt teſtimonia Patrum Guilhelmus apud Pintum in Crucifixo lib: 1. tit: 3. loc: 6. n. 7 vocat illam Martyrem, & Commartyrem Filij: *De cuius inquit ſanguine tanquam commartyr Filio, Mater intus rubebat, ſicut ſuo Martyres ſanguine foris rubent;* Magna doloris virginei potentia, quæ dat coronam Martyrij, & quidem præſtantiſſimi, quale eſt eſſe ſocium, & collegã Chriſti Martyris. S. Bernardus Serm: 4. de B.V. ſuper verba ex Apocalipſi 1. *Signum magnum apparuit in Cœlo.* Scribẽs præfert illam Martyri verba illius ſunt: *Poſtquam emiſit ſpiritum tuus ille IESVS, planè non attigit animam, crudelis lancea, quæ nec mortuo parcens, ipſius cui nocere non poterat, aperuit latus; ſed tuam vtique animam pertranſiuit, vt plus quàm Martyrem non immerito prædicemus,* Præfert S. Bernardus virginem dolentem Martyrib' ipſi etiam Chriſto in Martyrij qualitate, qui eſt in corporis dolore, ac morte; nullus

 enim

enim Martyr patitur quidquam poſt obitum; neq; Chriſtus Lanceam illam ſenſit. At Beatiſſima virgo etiam tum doloris gladium pertulit acutiſſimum. cùm eſſet mortuus eius JESUS; ſiue enim viuus adhuc patiebatur indigna, ſiue mortui corpus, ſemper illa Martyrij tormenta in anima ſua ferebat.

68. Sunt demum Patres, qui dolores & martyrium Matris DEI, omnibus omnium Martyrum cruciatibus, & martyrijs præferunt, imo & ipſius Chriſti tormentis; quæ quidē ipſe ſenſit in Corpore ſuo. Anſelmus lib: de Excell: virgini: c. 7. ſic ait: *Quidquid crudelitatis inflictum eſt corporibus Martyrum, leue fuit, aut potius nihilcomparatione tuæ paſſionis.* Diuus Bonauentura in Curſu de Compaſſione MARIÆ Virginis Lec: 1. affirmat de illa: *Hæc maiorem dolorem habuit, quàm Saluator qui tot ſuſtinuit.* Noſter Salaſar in c. 8. Prou: n. 82. vult hoc dictū eſſe a S. Bonauētura in eo ſēſu, vt plus fuerit paſſa virgo, quàm Filius, non in obiecto, ſed in ſubiecto; quia non habendo tantam animi fortitudinem, quanta erat à Spiritu S. munitus Chriſtus, magis angebatur, & perturbabatur, etſi non fuerit tot paſſa, & tanta, quanta ille. Jd quidem verum eſt ſi fortitudinem cum fortitudine, hominem purum cum homine, qui ſimul DEUS eſt, conferamus: Nam is qui debilior eſt magis aflicitur minoribus malis, quàm fortior maioribus; proinde & Beatiſſima Virgo ex hoc capite magis angebatur tanquam minus fortis Chriſto. Cæterum id non videtur è mente eſſe S. Bonauenturæ. qui illo ſuo dicto magnum quid, & rara dignum laude in virgine commendabat. Quid vero laudis eſt aſſerere plus paſſam Magdalenam, quàm Chriſtum, eò quòd magis illam vt minus fortem, perturbarit eius paſſio, quàm ipſummet? Quare in obiectis, quæ Chriſtus, & virgo paſſi ſunt, faciendo comparationem, dicendū S. Bonauēturā cōtuliſſe dolores Chriſti, quos in corpore paſſus eſt, cum doloribus animæ virginis Matris, atque

hos

hos fuiſſe acerbiores illis, ſemper enim dolores interni & purè ſpirituales, maiorem vim exercent in animam, quàm externi, & materiales.

Quapropter crebrum eſt inter homines, vt faciliùs vulnera, & mortem ferant, quàm aliquas vehementes melancholias, triſtitias, & tædia, quippè, qui vt hæc vitent, manus ſibi nefandas interdum inferunt. Hæc tot, & tanta doloris, ac patientiæ DEI Matris inſignia, ob vnicam illam rationem, tanquam præclariſſima afferuntur, & ſecurè prædicantur, quam ſupra attulimus, quod intern᷒ animi dolor, ortus ex internorum, & ſpiritualium bonorum priuatione, ſit multò acerbior, quàm quiuis alius corporeus dolor. Neque ſola priuatio donorum ſpiritualium, dolorque internus illam conſequens; ſed quæuis alia triſtitia, melancholia (qui ſunt actus interni) orta ex quacunque re, grauius torquêt, quam vulnera, crucitat᷒, & ipſa mors corporis; id quod etiam ſupra c. 4. n. 6. & 7. oſtendimus, agendo de dolore malę conſcientiæ, & hoc ipſo c. à n. 22. Quapropter ſentit D. Thomas 1. 2. q. 88. art: 4. in corp; & cum illo Theologi, pœnam damni, ſiue carentiam Diuinæ viſionis, cum dolore interno, qui inde oritur, eſſe maximam omnium aliarum, ſeu maiorem omni pœna ſenſûs, quam patiuntur damnati. 69.

Addatur & alter Sacræ ſcripturæ locus, ad idem propoſitum. 70. Legimus Lucæ 21. teſtimonium, Domini de Viduæ cuiuſdam pauperis liberalitate. Vidit inquit S. Lucas, quandam viduā pauperculam, mittentem æris minuta duo, & dixit: *Vere dico vobis quia Vidua hæc pauper, plus miſit quàm omnes;* dat Dominus dicti ſui cauſam; *Nam omnes hi ex abundanti ſibi miſerunt in munera DEI; hæc autem ex eo quod deeſt illi, omnem victum ſuum quem habuit miſit.* Præfert Saluator donum pauperculæ mulieris, donis diuitum, non in re, & materiâ donationis (ſic enim plus dederunt diuites) ſed in modo, ſeu animi præparatione. Nam illis ſuper-

ſuperfuerunt diuitiæ, in quibus fiduciam habebant, vitæ, deinceps ſuſtentandæ: hæc ad extremam ſe adegit egeſtatis paupertatem, & omni humana fiducia in modica illa pecuniola, prorſus abdicauit totam eam in DEUM, pauperū tranferendo tutorem. Quod vtrumque egeſtas ſcilicet, & ſpei abrenunciatio, virtus item magnanimis cuiuſdam paupertatis, & hæroicæ in DEO fiduciæ, magnæ fuit triſtitiæ anſa, cauſaque inſignis patientiæ, quali carebant diuites, & quia carebant, non erant tanta laude digni; qui multò plus auri contulerant, ſed minus vel nihil ſentiebāt internorum animæ bonorum acquirendorum difficultatē, nimirum uoluntariæ paupertatis, & fiduciæ, non in ære, ſed in DEO collocatæ. Hoc Domini & Saluatoris noſtri teſtimonio, docemur præclariorem eſſe illam patientiam, quæ in anima viget; occaſione triſtitiæ ortæ, ex adeptione bonorum animæ, virtutum ſcilicet, gratiæ diuinæ, & ipſi⁹ DEI, quàm eſt patientia tolerans triſtitiam ortam ex amiſſione bonorum corporis externorum.

71. Ex eodem etiam Diuino teſtimonio, euidenter inferre poſſumus, patientiam dictam interdum adeò eſſe DEO gratam, vt Martyrio æquetur, aut etiam ſit ſuperior pro magnitudine perfectionis ſuæ; quæ perfectio ſumenda eſt partim ex præſtantia bonorum animæ; bona corporis, & externa ſuperante, partim ex conatu, & ſtudio, quod adhibetur ad bona illa animæ conſequenda: Si enim exēpli cauſa, plura quis patitur propter virtutem quampiam, quàm propter bona corporis, meritò patientia illa huic eſt præferenda.

72. Clare id teſtatur S. Chryſoſtomus homil: 3: in 1. ad Teſſalonic: *In morbum, inquit, incidiſti, & multi adſunt qui cogunt, alij quidem incantationibus, alij amuletis, alij verò quibuſdam alijs ſuperſtitionibus ſedare malum; tu verò propter DEI metum, forti animo tuliſti, & maluiſti quiduis pati, ac ſuſtinere, quàm aliquid impium agere: Hoc tibi affert coronā Mar-*

Martyrij, nec dubita; quomodo? ſicut ille fert dolores tormentorum, ita tu quoque fers dolores morbi: & ſunt illi vehementiores; ſed iſti longiores, ſæpè autem ſunt etiam vehementiores.

Hic Chryſoſtomus partim æquat patientem ægrū Martyri, partim præfert, ſi diutiùs, & vehementiùs patiatur mala corporis, & depellat animæ mala, nempè incantationum, & ſuperſtitionum vſum, ob DEI metum, & reuerentiam; ſicut etiam Martyr patitur mala corporis, & reſiſtit inducentibus ad perfidiam. Cæterum in Pſalm: 127. idem S. Pater hoc ipſum tribuit patienti, occaſione animæ duntaxat; *Fer*, inquit *forti & generoſo animo quæ accidunt: hoc enim eſt tibi Martyrium, non enim eum qui ſacrificare iubetur, non ſacrificare, ſed potius dilaniari, & excarnificari, quàm hoc facere, ſolum facit Martyrem, ſed etiam dum dolor impellit, ad blaſphemandum, toleranter ferre laborem, & nihil turpe, & inhoneſtum dicere, facit Martyrem.* S. etiā Auguſtinus Serm: 231: de temp, ſobrio idem tribuit: *Ille*, inquit, *qui ebrietati reſiſtit, ſi cum DEI adiutorio perſeuerauerit & pro ipſo aliquas pertulerit tribulationes omnia ei Dominus ad Martyrij gloriam reputabit.*

Sufficiant hæc dicta ad oſtendendam, patientiā Martyrio donare, eſſe que argumentum maximæ in DEUM dilectionis; non illam ſolum quæ tolerat corporis mortē 73. amore DEI, ſed quæ æquè grauia, aut grauiora (judicio experientiâque ſentientis) ipſa ſuſtinet morte; quanquam illa quæ ſuſtinet, non corpus, ſed animam afficiant. Quāobrem qui multa neque leuia, quin ipſi morti æqualia ſuffert, ſalutis & perfectionis gratia, hic verè martyr eſt, tanto corona glorioſior, quanto inſignior patientia. Martyr qui ne doloribus, aut melancholijs, aut infortunijs adact⁹ plaſphemet DEUM, peieret, deſperet, vlciſcatur ſe iniquè; ne inqā hæc & ſimilia committat, egregiè ſe vincit intra girum tolerantiæ, & manſuetudinis ſe concludendo. Martyr qui caſtitatis tuendæ cauſa, poſthabet quæ-

Digitized by Google

uis ſenſuum commoda, ſuſtinet grauiſſimas carnis moleſtias, & tentationes, nihil intactum relinquit, quod ad illius conducat ſecuritatem. Martyr eſt, qui vt licentioſorũ impurorum, & audacium hominum vitet impiam ſocietatem, patienter tolerat, cùm irridetur, contemnitur, tãquam ſtultus vilipenditur. Martyr denique is omnis, qui (vt perfectionis aſceticæ ſectatores attingamus, quorum ipſa viuendi ratio, Martyrium longum ſolet à Patribus appellari) ita religioſæ diſciplinæ ſemel ſuſceptæ amans eſt, & zelans, vt re, & facto ipſo nulli cedat labori (quantumuis hic dolorem non paruum, affert) qui neceſſarius ſit ad integram, atque abſolutam ſuæ regulæ obſeruantiam.

74. Hoc dubio procul, diuino eoque altiſſimo ſenſu intellexit S. Pater Noſter Ignatius; quando vt ſcribit Ribadeineira interrogatus à Patre Laine, qui illi Generalis ſucceſſit, quænam eſſet ad perfectionem charitatemque compẽdioſiſſima via, ita reſpondit; *Si multa magnaque patiare; & hanc gratiam à DEO petas. Hac ratione citò inſignem conſequere perfectionem.* Non alio hic Vir, iſta ſpiritu protulit, quàm quo à Chriſto dictum eſt Jonnis 11. *Maiorẽ hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.* Ad maximum quippè amorem DEI, vnicum eſt (vt hactenus vidimus) medium martyrij, ſiue in corpore, ſiue quod longè præſtantiùs eſt, in animo tolerantia.

75. Hìc verò non omittendum judico; id quod tolerantiæ, & mãſuetudinis virtutes longè reddit excellentiores: copioſamque affert lætandi, ac fiduciæ materiam omnibus quibus à Chriſto prædictum eſt Joan: 15. *In mundo preſſuram habebitis.* Nam quemadmodum eum, qui aliquò pergit, certo affirmare ſolemus, peruenturum tandem (ni ab eundo deſiſtat) ad deſtinatum locum, ipſaque illius profectio, eſt ſignum vt aliquando attingat metam, quale non habet is qui viam non eſt ingreſſus: non aliter dicendum de ijs, qui virtutum harum duarum præſidio fulti, veluti duobus

pe-

Digitized by Google

pedibus iter ſalutis, & perfectionis emetiuntur, magnum ſanè argumentũ, tales præſeferunt, vt niſi pigritiæ in cæpto flacceſcant. metam perfectionis & ſalutis aſſequantur omnino, id quod illis, vt vidimus ſupra n. 41. hoc c. pollicetur Chriſtus cum dicit. *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* ac ſicut ijs, qui nihil patiuntur timendum ne prosperitas ſit ruinæ ſignum; ita in ſpem, fiduciamque erigendi omnes, qui aduerſa tolerant manſuete, & patienter.

Multa ſunt de hoc præclara SS. Patrũ teſtimonia, quibus prætermiſſis, vnum afferam S. Ambroſij, quem narrat Paulinus in eius vita, peregrinãtem aliquando vnâ cum comitibus Clericis, vergente iam die, ad quendam viæ vicinum hominem opulentum diuertiſſe. Suſcipitur hoſpes amanter, parantur cibi digni Epiſcopo Sancto, & copia, ac liberalitate diuitis: meminerat interim Vir Dei ſe legere in Paulo 1. ad Cor: 9. *Si nos vobis ſpiritualia ſeminauimus, magnum eſt, ſi carnalia veſtra metamus.* hoc in memoriam adducto, ponit Diuini verbi ſemen, iacit in terram cordis, percunctatur ex Patrefamilias, quonammodo ei res familiaris cæteraque ſuccedant; reſpondet ille ſibi è ſententia animi cunctà euenire ſemper, nec quidquã domi, foriſque eſſe, quod illum contriſtet. Non plura præſtolatus vir Sanctus cõuerſus ad ſuos ait: *Fugiamus ne vna cum eo pereamus;* atque extemplo loco ſe mouet. Increduli comites moleſtè forſan primo tulêre dictum, & factum; at deinde non longè progreſſi, conſpexerunt totam illam Diuitis ædem, ſubitò corruiſſe, & eos quos intus concluſerat oppreſſiſſe, clarè coniecerunt, non ex ſe, ſed ex DEO, & dixiſſe, & feciſſe S. Ambroſium, quippè qui ſciebat duo certiſſima, à Chriſto dicta; alterum illis qui nihil in mundo aduerſi ferunt, & ſi quid contrarij occurrat, illud conãtur ſemper aut minuere, aut prorſus extinguere voluptatum, condimentis. Talibus Dominus Lucæ 6. promittit æterna 76.

ma!a: *Væ*, inquiens, *vobis Diuitibus, qui habetis conſolationem veſtram: væ vobis qui ſaturati eſtis, quia eſurietis; væ vobis qui ridetis nūc, quia lugebitis & flebitis; væ cùm benedixerint vobis homines.*

77. Alterum ſciebat Vir Sanctus omnibus afflictis, & tribulatis dictum à Domino apud eundem Euangeliſtam eodem loco: *Beati pauperes quia veſtrum eſt regnum DEI, beati qui nunc eſuritis, quia ſaturabimini, beati qui nunc fletis, quia ridebitis.* Hæc oppoſita conferens inter ſe S. Doctor, væ & miſeriam illis. beatitudinem iſtis promiſſam; pro certo habebat, quàm fortunatum à ſalute longè abfuturum, tam infortunatum, eandem DEI promiſſo conſecuturum. Nouerat quidem ille mutari res humanas. vt qui hodie proſpera lætatur fortunâ, cras aduersâ prematur, atque ita pro viciſſitudinis ſtatu, ac conditione, iam poteſt væ timere; iam expectare beatitudinem. Jd tamen ad DEI notitiā, occultaque referens judicia quamdiu quiſque iā felix, iam infortunatus hìc ſit futur⁹, vt vel timere debeat, vel ſperare: illud indubitatè aſſeruit, quod clarè à Saluatore dictum legerat; nimirum. væ illis qui nihil patiuntur, quippe qui à DEO, & eius occultâ deſeruntur gratiâ, beatos verò qui grauia ſuſtinent, & per hoc dignos, qui DEUM, & diuinū eius fauorem preſentem habeant, ac tandē, ſi ita ad mortem perſeuerent cœleſtem conſequantur gloriam; verumque ſit, quod DEUS in Pſalm: 90. de ſe teſtatur: *Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum, & oſtendam illi ſalutarem eum.*

78. Sed vt omnium hoc capite dictorum breuiſſimum compendium, viuumque & ſincerum afferamus exemplar, quo & concludamus; Magiſter omnis perfectionis Chriſt⁹, quod pro tolerantiæ, & manſuetudinis exemplo fecit, paſſuſque eſt, id ore ſuo Sacroſancto docuit. Paſſus eſt prius immenſos animi dolores, quando in horto cæpit tedere, triſtis & mæſtus eſſe vſque ad ſudorem ſanguinis, & ago-

Digitized by Google

agoniam: Lucæ 22. deinde dolores, & mortem corporis; quæ igitur pertulit ipſe, hæc nobis pro cuiuſque modulo imitanda propoſuit, & quam perfectionis viam prius decurrit, eandem fidelibus oſtendit, itaque Matth: 16. locutus eſt: *Si quis vult venire poſt me, tollat Crucem ſuam, & ſequatur me.* Hanc vocem à Magiſtro ſalutis prolatam, quicunque eiuſdem ſalutis cupidus, manibus, & corde excipiendo dum viuit, & vbicunque viuit, hoc eſt: ſemper eſt in omni loco (quando enim, & vbi nam deſunt quæ tolerentur) diſcipulum ſe tanti Magiſtri, exhibere non erubeſcat; memorque ſit hanc legem ſibi, cæteriſque impoſitam, vt nec ille fuerit author ſalutis, niſi per patientiam, & manſuetudinem, neque nos poſſeſſores illius, niſi per eandem ſimul futuri, Et ille quidem iam à ſe factum, quod neceſſe erat teſtatur Lucæ 24. *Oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in Regnum ſuum;* à nobis expectat faciendum; neque contentus ſuâ illâ Magiſtri voce, diſcipulum quoque ſuum præconem eiuſdem eſſe juſſit 2. ad Timoth: 3 *Omnes,* (clamat Paulus) *qui piè volunt viuere in Chriſto IESV perſecutionem patientur.*

CAPVT XV.

In quo ſit ſita Caſtitas, quam multiplex, & quæ illi oppoſita?

QVAM ſit præclara virtus Caſtitas, & quantū ſaluti proſit ſi colatur, obſit ſi vilipendatur fuſius declaratum eſt c. 10. à n. 18. per aliquot, & à n. 28. etiam

per aliquot. c. item 11. à n. 19. per aliquot, hoc præſenti demonſtranda eſt vis, & honeſtas eius, vt tanto, vel diligentiùs quæratur, vel ſecuriùs poſſideatur, quanto fuerit clariùs cognita; ne ſi obſcurum quid in illa manſerit, vitium teneatur pro virtute: quod in hac quidem lubrica materia eſt facillimum. Nam vehemens & carni inſita ad delectationes venereas propēſio, incautè, & minùs accuratè ea, quæ caſtitati ſeruiunt expendenti non difficulter perſuadebit, vt decorum atque honeſtum reputet, quod reuera turpe eſt, & fædum.

1. Optimè ad hoc propoſitum dixit alicubi Ariſtoteles: *Prout quiſq; affectus eſt, ita judicat*; quod ſi affectus vſu comparatus, deprauet judicium, efficacius id præſtabit, vehemēs innata affectio; neque vni cuipiam hominis, ſed omni, quippe quæ totum peruaſit humanum genus. Præmiſerim hoc ideo, vt quiſque videat, quàm eſt diligenter honeſtas caſtitatis ab eo inueſtiganda, qui erroris expers eſſe cupit.

2. Jtaque virtus hæc qua de agimus, eſt habitus qui ita voluntatem perficit, ſtabilitque, vt ea appetitum, ipſamque carnem ab omni cohibeat illicita delectatione.

Sectio Prima.

Delectatio prohibita carnis, multis modis poteſt ſentiri, & expleri.

JLLICITA porro delectatio multiplex eſt, multiſque admittitur modis. Eſt imprimis ipſa actûs venerei conſūmatio, prohibita omnibns extra matrimonium conſtitutis. Eſt deinde præpoſterus copulæ carnalis

vſu

Digitized by Google

vſus, qui etiam in matrimonio debet vitari, vt cum v. g. non adhibentur vaſa ad illam à natura ordinata.

Hæc delectationis ipſo actu prohibita consũmatio, alia atque alia reperitur, pro eorum diuerſitate, qui illam complet. Interdum enim vnus complicum liber eſt à conjugio, quo alter ligatur, aliquando vterque eſt ligatus, vel certè ambo ſunt ſoluti: nonnunquam à ſanguine iunctis malum perpetratur, aut ab ijs qui voto DEO facto, ad abſtinendum ab eiuſmodi actu obſtricti ſunt, ſiue ſaltem vnus eorum voti eſt violator. Vltra hæc poteſt committi facinus cum beſtia; aut ſolitariè mare ſolo, vel fæmina ſola, procurante delectationis actum, opuſque externũ: denique euenire poteſt, vt mas cum mare, vel fæmina cũ fæmina turpiter miſceatur. 3.

Tam multiplex explicata iam ad opus externum deducta carnis delectatio, varijs adhuc, ijſque illicitis poteſt admitti modis. Primus eſt interna mentis & phantaſiæ apprehenſione, ſimul & voluntatis deliberata, appetituſque cum delectationis ſenſu complacentia; quod tunc fit, cum de actu venereo ab illo cogitatur, qui non eſt coniunx, (huic enim vt actus ipſe, ita & delectatio eſt licita) hoc dũtaxat propoſito ac fine; vt illa, quam Theologi vocat ſimplex cõplacẽntia (diſtincta ab efficaci voluntate, cõsẽſuque peccandi ipſò opere) percipiatur à voluntate; ſiue interim ſentiatur, cõmotio vehemens carnis, & in appetitu vehemens etiã voluptas; quæ vt plurimũ, cogitationem huiuſmodi ſolet conſequi; ſiue non, vt fit in frigidis, & impotentibus, eo quod deficiat in illis calor, ſpirituſque vitales, qui ſenſum tactûs deliniendo, magnam ſolent delectationem in appetitu excitare. Jn talibus frigidis non alia eſt delectatio, quam voluntatis deliberatè cõplacentis (cui etiam ex ſympathia naturali coöperatur aliqua delectatio appetitus) mora in cogitatione intellectiua, & apprehenſione phantaſtica, operis carnalis prohibit, vt 4.

docet

docet S. Thom 1. 2. q. 24. art: 6. & eſt communis Theologorum ſententia.

5. Vocatur hæc complacentia ſimplex (delectatio moroſa) idcircò, quod aliquo tempore duret aduertente ratione, non tam ipſam præciſè moram (hæc enim vt mox dicam non facit illam cogitationem malam) quàm propoſitum, & finem illum complacentiæ in re mala, & prohibita. Nam quoties opus quodpiam, ſeu obiectum eſt malū, ac prohibitum, etiam complacentia mala in illo ſit oportet, quantūuis opus ipſo facto, non cōmittatur, atque in illud committendum conſenſus præbeatur. Hanc ob cauſam Dominus Lucæ 11. Judæis minabatur: *Væ vobis qui ædificatis monumenta Prophetarum, Patres autem veſtri occiderunt illos; profectò teſtificamini quòd conſentitis, operibus Patrū veſtrorum.* Certe Judæi illi quos tunc Saluator arguebat, nō præbuerunt conſenſum in cædem Prophetarum, quos nec nouerant, ſed ſolū approbabant cædem Prophetarum à ſuis Prædeceſſoribus factam, hadebātque delectationem in animo peruerſam, quoties recordabantur cædis admiſſæ. Propterea Dominus etſi filios à Patribus diſtinguebat, homicidij opere externo, quod Patres non filij executi ſunt; non tamen diſtinguebat peccata homicidij interni, tam enim Patres occidendo, quàm filij approbando homicidij erāt rei. Hoc indicant verba Domini: *Cōſentitis operibus Patrum veſtrorum*, quoniam ipſi quidem illos occiderūt, vos autē ædificatis illorū ſepulchra. Nihil eſſet mali ædificare ſepulchra Prophetarum, imo pium in mortuos opus, niſi hoc pacto probarent auſus Patrum iniquos, cum lætitia animi, & complacentiæ cuiuſdam voluptate.

6. Ex qua Chriſti Domini noſtri doctrina, in vna indebitæ cædis materia, inferenda eſt generalis, eaque duplex veritas, tenendumque inprimis certo, omnem cogitationem eſſe malam, quæ ad moralem praxim, ſeu finem dirigitur

Digitized by Google

gitur malum, ſiue is ſit opus aliquod externum motum, & prohibitum, ſiue internum: applicuimus iam hanc doctrinam ad materiam veneream, diximuſque apprehenſionē deliberatam, copulæ carnalis eſſe peccatum, ſi ideò duret. vt cōſequatur inde delectatio: pari modo ad alias quoque materias eſt accōmodāda; ita enim malum eſt delectari cogitatione cuiuſuis infortunij, caſusque aduerſi, aut damni, quod quiſpiam injuſtè ſit ab alio paſſus; ita delectari cogitatione furti, ebrietatis, fraudum, & ſimilium, ſemper erit malum. Non nego quidem poſſe nos interdum honeſtam capere voluptatem ex cogitatione operum alias malorum; verū tunc adhibenda eſt ſubtilior Theologorū doctrina, vt voluptas illa non deriuetur ex opere malo, ſed ex adiuncta aliqua circumſtantia de ſe indifferenti. Hoc pacto honeſtè recreamur audito fortium Athletarum duello, non approbando duelli opus, quod omni jure eſt prohibitum, ſed arte & dexteritate confligentium. Pari ratione pōſſum⁹ nec vitioſè lætari de cuiuſpiā cæde, etſi cū injuria illata, non quod iniquè ſit è viuis, hoc enim cùm malum ſit, malam quoque parit lætitiam; ſed quod juſto DEI judicio, permiſſuque ſit ille interfectus, qui ſceleſtus fuit, multorumque patrator facinorum. Sicut ergo judicium permiſſioque DEI recta, & ſancta ſunt; ita & lætitia inde concepta non reprobanda.

Aliud dogma ex eadem doctrina Saluatoris inferendo, aſſerendum, cogitationem eſſe licitam, de quouis opere, & obiecto malo, quantumuis ſit longæ moræ, modo non habeat adjunctum finem, & propoſitum practicum delectationis, ac complacentiæ in malo, ſed ipſam veri indagationem, notitiamque ſcientiæ. Talis cogitatio, ſpeculatiua à moraliſtis dici ſolet, veritatem enim quærit, quæ eſt finis omnis ſpeculationis, & nudæ cognitionis rerum; non opus, aut affectionem quampiam, quæ praxis dici ſolet, & finis voluntatis atque appetitûs. Quia tamen 37.

omnis actio deliberata hominis, vt bona ſit honeſtate ſua carere non debet; etiam ſpeculatio, & cognitio operationũ malarum, non ſeparanda ab hac honeſtate, ne alioqui mere ſit curioſa, & otioſa. Itaque ſpeculatio honeſta imprimis eſt, hoc ipſo quod veritatem indaget. Bonũ quippe eſt operationum intellectûs verum inquirere; deinde eadem ſpeculatio, poteſt ordinari ad fines practicos, multiplices, & ſemper bonos. Quapropter Dominus intuitè illa Prophetarum monumenta (vt paulo ante retulimus) vſus eſt notitia contemplante, id, quod factum erat, ad arguẽdos, corrigendoſque ſcribas, & legis peritos, quæ correctio erat optimus finis. Non aliter faciunt qui expendunt opera carnis, modoſque quibus expletur libido, vt tũ arguant peccantes, tum doceant quid in hac materia rectum, quid obliquum, & illicitum ſit. Quod ſi inter cogitandum, hoc honeſto fine & propoſito excitetur aliunde aliquis inordinatus motus, & delectatio; id nihil refert, cùm non ideò aut aſumatur aut continuetur illa cogitatio, vt ſenſus atque appetitus huiuſmodi afficiatur voluptate. Hic eſt primus modus experiendæ illicitæ delectationis mente, & affectu, ad quem etiam reducitur conſenſus in opus, nondum re ipſa impletum; eſt enim in tali conſenſu aliqua ſita delectatio.

8. Sequitur alter modus non iam cogitatione, ſed loquela, auditu, & geſtibus externis. Nam ſi ſermo fiat de materia, actibuſque impuris; ſi etiam adhibentur indecori geſtus, ſiue vt hinc oriatur libido carnalis, ſiue vt complacẽtia, & delectatio interna, ſiue, vt opus tandem conſequatur, ad quod ſe mutuo excitant ſermocinantes, ſemper illicitam quærunt voluptatem quam S. Paulus ad Epheſ. 5. damnat: *Fornicatio*, inquiens, *& omnis immunditia, nec nominetur in vobis, aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinet.* Quod ſi quis ioci, & recreandi ſe, alioſque gratia, huiuſmodi immũda in ſermonem inducat,

au-

audiatur, immunis quidem erit à culpa illicitæ delectationis, directè, & ex propoſito intentæ. Cùm tamen raro abſit ſcandali diſcrimen, vt vel loquens, vel audiens (ſi præſertim ſint pueri, puellæue ignaræ adhuc mali) non concipiat animo ſaltem moroſæ delectationis illecebram (vel non poſſit concipere) propterea ferè ſemper. tam loqui, quàm audire, talia grauis eſt culpa, minimum illicitæ delectationis indirectè intentæ; hoc eſt præuiſæ tanquam vt plurimum ex colloquio tali ſecuturæ. Niſi fortè ita impura dicantur, audianturque, vt neque directè illicita quæratur delectatio, neque putetur ſecuturum ſcandalum, ſiue inductio atque excitatio ad opera carnis, ſed ad iocandum, fallendumque tempus adhibeantur omnia: tum fieri poteſt, vt ſcurilitas huiuſmodi venialis ſit. (Quod cum alijs docet Caietanus in 2. 2. q. 148. art: 6.) Craſſa tamen & valdè indecora; nimium quæ oculos aureſque pudicas non leuiter offendit, de quo diximus aliqua ſupra c. 12. à n. 13. de Eutrapelia agentes, ſeu honeſta animi inter agendũ colloquendumuè voluptate. Addendum tamen hîc eſt, fieri poſſe, quin ſæpius euenire, vt & loqui, & audire liceat, de hac materia abſque vlla culpa, cum ſcilicet adeſt honeſta audiendi loquendique cauſa: ita licet diſputandi, & neceſſariæ doctrinæ gratiâ, inducere eiuſmodi ſermonẽ. Hac etiam ratione poſſunt coniuges de actu ipſo ſibi licito inter ſe conferre, medici quoque curando cauſa agunt de huiuſmodi rebus.

9. Eſt & tertius modus illicitæ delectationis, per aſpectus, tactus, & oſcula, quæ triplici fine poſſunt vſurpari. 1. vt docet S. Thom: 2. 2. q. 54 art: 1. tanquam acceſſus, & præparatio ad futuram carnis copulam. 2. vt percipiatur quicunque libidinis ſenſus. 3. demum. vt beneuolentiæ, atque amicitiæ per huiuſmodi ſigna fiat declaratio, aut certè naturæ iuuandæ gratiâ contactus aliquis ſit neceſſarius. Vt cum Chirurgi medentur partibus corporis. Priori

Digitized by Google

ori modo adhibiti tactus, erunt peccata illicitæ delectationis, in ijs quibus copula ipſa eſt prohibita, hoc eſt omnis extra ſtatum coniugij. Nam vt eſt communis ſenſus Doctorum media à fine ſuam ſortiuntur boni maliuè differentiam; ex quo fit vt quibus copula eſt honeſtè conceſſa, tactus quoque præuij honeſtè aſſumantur; tanquam media ad finem ordinata. Cæteris ergò omnibus extra Matrimonium, tam copula, quàm tactus pari iure ſunt prohibita. Pari modo aſpectus, tactuſque, & oſcula. qui libidinis cauſa exercentur impudici ſunt & prohibiti, ſicut & ipſa delectatio prohibita eſt, ſi ab alijs, quàm à coniugibus vſurpentur: quanquam & coniuges, ſi aſpectu, aut tactu mutuo ita abutantur, vt extra matrimonij actum ſe polluant, & quidem deliberata voluntate, non fortuito caſu, non carent graui culpa, ſiquidem vaſa, & inſtrumenta ad ſobolem concipiendam, à natura deſtinata, ſtudio negligunt. Poſtremo tam aſpectus, quàm tactus, & oſcula, poſſunt licitè fieri, cum ordinantur ad honeſtum finem (præter iam dictum Matrimonij) neceſſitatis, aut vtilitatis cuiuſpiam; nam cùm eiuſmodi tactus, & aſpectus, ſunt actiones, de earum numero, quæ naturâ ſuâ dicuntur indifferentes, atque vt docet S. Thomas 1. 2. q. 18. art: 8. & 9. in corp: bonitatem vel malitiam moralem deſumunt à fine, ad quem diriguntur, ſequitur, vt prædicti aſpectus, & tactus honeſti ſint; ſi finis illis præfigatur honeſtus. Qualis eſt vtilitas amicitiæ, & beneuolentiæ declarandæ, aut neceſſitas curandi corporis vel quid ſimile.

10 Non omittendã tamen hìc puto cautelam in materia hac, vt ſupra memini, ſat lubrica, ne fortè quid turpe, & vitioſum honeſto fini ſe admiſceat, aut loco eius, ſiue cum illo, ſimul callidè, & clanculo ſe inſinuet; quidlibet horum fuerit, tactus, aſpectus vituperandi erunt. *bonum enim ex integra cauſa, malum ex quolibet fieri defectu*, recte aſſerunt morum Doctores. Jtaque ſi bono fini admiſceatur malus, aut

Digitized by Google

aut circumſtantia aliqua incongrua; tota iam actio, aſpectûs, & tactûs, de qua agimus ex defectu admixti mali, mala ſit oportet.

Multo id veriûs eſt, ſi in locum boni finis ſubſtituatur malus, & ſi occultè modo tamen id aduertat ratio. Oſculabatur pedes Domino peccatrix Magdalena, teſte S. Luca c. 7. tergebat capillis, lauit lacrymis, quid non fecit, quidue omiſit, quod facere tunc potuit? hæc videns indignabatur Phariſæus, lætabatur Chriſtus, damnabat ille, laudabat iſte; neq; aliam laudis attulit cauſam quàm quod dilexiſſet multum. Non alias proprias laudes, neque aliā ob cauſam, de ſe reliquit ſcriptus Diſcipulꝰ ille quem diligebat JESUS, quando vt legimus in Euangelio c. 21. meminit recubuiſſe ſe ſupra pectus eius, & ardentiſſima procul dubio oſcula Diuino cordi fixiſſe. Idem & audacius quidem fecit Judas Lucæ 22. nam non pedes, vt Magdalena, neque pectus vt Joannes, ſed ipſum venerandū Chriſti vultum oſculatus eſt, longè tamen aliter hic quàm ille; illi ardentem in Chriſtum amorem, quo intus æſtuebant externo teſtati ſunt ſigno; hic fraudis, dolique plenus vſus eſt ſimili indicio, ad patrandam proditionem; ad quā paucorum nummorum ſtipendio, iam erat infelix conductus. Notus fuit hic abuſus ſigni natura ſua indifferentis, ei, cui, vt teſtatur dilectus ipſius diſcipulus, c. 2. Euangelij ſui. *non erat opus vt qui teſtimonium perhiberet de homine, ipſe enim ſciebat quid eſſet in homine:* propterea etſi faciē fraudulento Judæ ori non ſubtraxit, humanitate vincens nimium inhumanum; tamen quid inimicitiæ amicum illud ad ſpeciem tegeret ſignum, vltimam iam iā æternum perituro, amoris adhibiturus medicinam dixit: *Iuda oſculo Filiū hominis tradis.* 11.

Meminerint huius dicti homines, quotquot prædicta ſigna, ſimulant ſeſe vſurpare honeſtam ob cauſam, amicitiæ nimirum, aut alterius virtutis, carnis reuera morem 12.

Digitized by Google

rendo concupiſcentiæ, doloſque, aut aliud quid moliẽdo. Tradunt illi tum Chriſtum, vel ſaltem nituntur tradere, hoſti animæ; iniquitati, aut corporis aduerſitati, nõ quidem ipſum in ſe, ſed in membris eius, quibus ſiue benè. ſiue malè à quopiam fiat, ſibi ille reputat factum, quando Matth: 25. teſtatur: *Quam diu feciſtis vni ex fratribus meis minimis, mihi feciſtis*, & Actor: 4. de Saulo quæſtus eſt: *Saule Saule quid me perſequeris?* in membris videlicet meis. Neque ſolum illa DEUS tanquam ſibi facta dolet, vel gaudet, quæ à fratre fert accepta, aut patitur frater. Sed & hæc quæ quiſque ſibi ferenda imponit. Eſto enim non inducat alium ad concupiſcentiam, is qui ſimulata amicitia impurè tangit, nihilominus injuriam facit Chriſto, nam ſe membrum eius indignè tractat, facitque ex ipſius membro membrum luxuriantis: id quod ſic impijs in Chriſtum exprobrat Apoſtolus 1. Cor: 6. *Neſcitis quoniam corpora veſtra membra ſunt Chriſti? tollens ergò membra Chriſti faciam mẽbra meretricis, abſit.* Quocunque fine, vel propoſito malo, quicunque vtitur eiuſmodi externis ſignis, ſemper dictũ ſibi à Chriſto putet: *Oſculo, Filium hominis tradis.*

13. Poſtremus illicitæ delectationis modꝰ eſt ipſum opus externum; de quo non pauca iam ſunt dicta à n. 2. & infra dicentur plura hoc c. Porrò hæc tã multiplex delectationũ illicitarum ſeries, idcircò longius eſt expoſita, vt conſtet, quæ partes ſint, quæue efficacitas virtutis caſtitatis, cuius vt ſupra meminimus munus eſt, omnes iam recenſitas, & ſi quæ aliæ, vel ad dictas reduci, vel nouæ excogitari poſſint, moderari carnis voluptates. Operoſum quippe eſt periculique plenum. tot ſuſtinere hoſtes, potentiâ acres, rebellione aſſiduas, præſentia internos, vni caſtitati: ſed habet, illa veluti auxiliatrices quatuor quibus fortior euadet ad reſiſtendum & ad vincendum animoſior.

Sectio Secunda.

In quo ſita ſit pudicitia, & qua ratione tuenda?

EST inprimis pudicitia quæ licet nō cōſtituit diſtinctam ſpecie à caſtitate virtutem, cum (vt optimè docet S. Thomas *2. 2.* q. 151. art*:* 4.) non habeat peculiarem honeſtatis ab ea formam, & rationem, ſed pertineat ad integritatem, & perfectionem illius, in hoc ſitam, vt nihil aſpectu, colloquio, tactu, geſtibuſque committatur, quod præuium ſit ad illicitam, vltimamque venereā voluptatem, vel ordinetur ad aliquem alium libidinoſum finē. Rectè monet S. Auguſtin' lib: de perſeuerantia c. 20. *prædicanda eſt pudicitia, vt ab eo, qui habet aures audiendi, nihil genitalibus membris perpetretur;* hoc eſt, ne propter concupiſcentiam carnis dicantur, audianturque talia, quæ honeſtæ aures ferre non debeant. Et quod in auribus cauet Auguſtinus, idem intelligit dictum, de oculis, tactib' geſtibus, quibus ſe concupiſcentia prodere ſolet. Itaquè caſtitas pudicitiā munita, vel abſtinet, ab omni prorſus aſpectu, tactu, verbis, & ſignis, verita ne quid illicitum ſubſequatur, vel ſi quid eorum vſurpat, licito, & honeſto totum agit fine, ac modo, vt ſua gaudeat integritate. 14.

15. Magni hanc ſociam facere debet caſtitas, ſemperq; illius vti præſentiā, ſi tuta eſſe velit; quod nī fiat, certum diſcrimen ſubibit etiam in ijs qui longè in virtutum & ſanctitatis via prouecti ſunt. Vnum è multis in exemplum ſumamus S. Dauid, qui quòd, vt refert hiſtoria Regū lib: 2 c. 11. incautè, & impudicè *vidit mulierem ſe lauantem, ex aduerſo ſuper ſolarium ſuum (erat autem mulier pulchra valde)* magnum caſtitatis coniugalis paſſus eſt diſpendium, quod de-

deinde ſecuta ſunt alia ſanè enormia facinora; vt enim oc-
cultaret adulterium, inebriauit Vriam, vt Berſabee aſſci-
ſceret ſibi coniugem, eundem juſſit necari, ſcilicet maritū
eius. Quod ſi per longum ſpacij interuallum protenſus,
aſpectus; nimirum è palatio regio, in locum, in quo ſe la-
uabat illa mulier, tantum excitauit in Dauide libidinis i-
gnem; quæ incendia timenda, à vicinis tactibus, & collo-
quijs. De colloquijs clarum eſt teſtimonium Spiritus S. 1.
Cor: 15. *Corrumpunt mores bonos colloquia praua.* Et Eccleſ: 9
*Speciem mulieris alienæ, multi admirati: reprobi facti ſunt, collo-
quium enim illius quaſi ignis exardeſcit.* De tactibus Eccle: 13
ita idem loquitur: *Nunquid poteſt homo abſcondere ignem in
ſinu ſuo, vt veſtimenta illius non ardeant, aut ambulare ſuper pru-
nas, vt non comburantur plantæ eius. ſic qui ingreditur ad mulie-
rem proximi ſui, non erit mundus cùm tetigerit eam.*

16. Hæc diuina teſtimonia expendentes, caſtitatis non
amatores tantum, ſed & ſtrenui cuſtodes, quædam apud
ſe firma ſtatuerunt, in primis id, quod omnes pari jure ſer-
uare debent, vt aliquod ex prædictis ſignis vſurpaturi, pri-
mò quidem ſincerè præfigant ſibi finem decentis honeſta-
tis, ab omni terrenarum affectuum contagio expeditæ, &
quanto hæc præſtantior erit, atque ad DEUM puriſſimum
ſpiritum magis ordinata, tanto remotiores erimus ab eo,
quod infimum eſt, nempè ab immunditia carnis. Rectè
S. Paulus 1. Cor: 10 cùm dixiſſet: *ſiue manducatis ſiue bibitis,
ſiue aliud quid facitis,* non addidit omnia tēperatè, & ca-
ſtè facite, ſed hoc præ ſuppoſito, tanquam minus præſtā-
ti, adjunxit id quod excellentius eſt: *omnia, inquit, in gloriā*
17. *DEI facite.* Præter hanc honeſtatem finis, adhibent de-
inde ijdem caſtitatis cultores maximam cautelam, timo-
rem, & diffidentiam ſui, recurſumque ad DEUM, ſine cu-
jus ope, nullus vnquam tutus eſſe poteſt in rę periculis
plena. Hanc cantelam in vſu apud ſe fuiſſe fatetur S. Job:
c. 31. quando dicit: *Pepigi fædus cum oculis meis, vt ne cogitarē*
qui

Digitized by Google

quidem de virgine. Parum videtur ſubeſſe periculi cogitare de viſa virgine, ſed multum apud hominem timentē, ſibique non fidentem, ita timidus, & diffidens ſibi Job ad DEUM recurrebat; *Quam*, inquit, *partē haberet in me DEVS deſuper, & hæreditatem omnipotens de excelſis*. Eadem cautela tuebatur ſe Braſilienſiū Apoſtolus vita, & præſertim miraculis ſtupendus, Pater Joſephus Ancheta è Societate JESU, qui vt refert Pater Beretarius in hiſtoria geſtorū eius, dum propter lucrandos DEO, ac fidei ſanctæ in Braſilia homines, verſaretur, inter illos, qui Chriſti & omnis honeſti, tum ignari, nudi prorſus incedebant viri, fæminæque, torquebatur eâ re, periculaque caſtiſſimæ ſuæ menti obijciebat, quæ ille non aliter ſe putabat euaſurum, quàm creberrimo ad DEUM recurſu, carnis caſtigatione, & maximè ſpe, & fiducia in eum defixa, cuius amore ibi tum degebat.

Tertium quod caſtiſſimi homines firmum apud ſe habent, non quidem ab omnibus paſſim vſurpatum, verùm à paucis, quo oſtendat, quàm ſit timendum cæteris periculum caſtitatis, qui ad eius conſeruationem ſimilia non adhibent. Fuerunt ergo Sancti, qui omnem non dico conſuetudinem honeſtam; ſed aſpectum etiam fæminarum vitabant & acceſſum. De B. Aloyſio Gonzaga noſtræ Societatis Alumno, legimus in vita à Patre Cepario deſcripta, eū dū eſſet in aula Hiſpaniarum Regis, nunquā oculos intendiſſe in Reginam, quæſitumque aliquando qualis formæ eſſet, reſpondiſſe, ſe non ſcire. De quodam Presbytero nomine Vrſino in Nurſiæ prouincia, ſcribit S. Gregor: in Dialogis lib: 4. c. 21. qui per longum tempus Vxori tanquam ſorori in ſumma conuixit continentia: & cùm ita viuendo, ad extrema tandem deductus eſſet, iamque putaretur mortuus, vxor faciem ori eius admouit, expiſcādi gratiâ, num aliquis remaneret halit⁹; mox æger quaſi è ſomno excitatus, in has prorupit voces; *Recede à* 18.

me mulier adhuc igniculus viuit, tolle paleam. Quod hic tota egerat vita, cauendo etiam acceſſum vicinæ id ipſum in agone mordicus tenuit, ratus pericula caſtitatis, non in ſanis tantum & vegetis, ſed in ægris, quoque iamque animam agentibus reſidere, neque emori niſi cum corporis morte.

19. Tantas cautelas, tãtoſque vigores his caſtitatis amatoribus perſuauit magna potentiarum animæ in pœnam primi peccati ſecuta debilitas, quam teſtati ſunt Parentes noſtri, fugiendo oculos DEI, folijſque nuditatem corporis in paradiſo tegendo; ſic enim DEO interroganti: *Adam vbi es,* reſpondit idem: *Timui, eò quòd nudus eſſem, & abſcondi me.* Geneſ: 3. ſenſerunt nimirum magnam carnis rebellionem, ex mutuo aſpectu exortam, neque vt ante rationi parentem appetitum, quod & diuinis occultare volebãt oculis. Jtaque cùm rebellio dicta, in omnes eorum poſteros, propagine ſit deducta; ſemper illa aſpectum comitatur, multo que magis auditum, & tactum, hos videlicet ſenſus, qui propinquiores ſunt exequendo opera carnis.

20. Ab hac rebellione nemo eſt liber, niſi ſingulari DEI dono, & ſemper quidem, atque ita, vt ne poſſit ſentiri, nullum alium liberum, præter ſolum virginis Filium, & ipſam Matrem virginem agnoſcit Eccleſia, alij etſi ſpectata naturæ infirmitate, ſemper reconditum habeant concupiſcentiæ fomitem, qui poſſit excitare libidinis ignem, de facto tamen nihil ſentiunt, vel pro aliquo tempore, vel fortè etiam nunquam, vel ſaltem non adeò acriter, quali priuilegio eos potiſſimum dignatus Dominus, qui egregia exercitatione ex ſerio ſtudio huius virtutis, diuinæ liberalitati offerunt ſe idoneos. Jta S Thomas Aquinas, quemadmodum in eius vita refertur, poſt inſignem ſui victoriã, quam adeptus eſt, titione à ſe abigendo impudicam mulierem; meruit vt deinde liber eſſet, à moleſtia carnis.

21. Quanquam priuilegij talis, non tam meritum, aut

ſanctitas noſtra, eſt regula, quàm diuina voluntas, quæ ſua dona diſtribuit pro vt vult, propoſito ſibi fine diuinæ ſuæ gloriæ, noſtroque virtutum profectu. Quis meritis, ac ſanctitate par S. Paulo? hic tamen faſſus eſt ſe huiuſmodi caruiſſe bono, quando de hac ipſâ amarè querebatur rebellione, Rom: 7. *Sentio aliam legem in membris meis, infelix ego:* & 2. Cor: 12. *Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, qui me colaphizet,* putabat ille ſe mereri, & impetrare donum, non ſentiendi hunc ſtimulum, propereaque fudit non ſemel preces ad DEUM: *Ter inquit, Dominum rogaui,* ſed in antiqua infirmitate relictus eſt, dictumque ſibi à Domino audiuit: *Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur.*

Hæc infirmitas nota eſt caſtimoniæ cupidis, perſpectum etiam illi habent commune Patrum dogma, ad colendam hanc virtutem conferens, vt cùm ad aliarum virtutum ſtudium, pugna, cùm exorbitante appetitu, aut cum hoſte Diabolo, plurimum conducat, in caſtitate tuenda, & augenda, tentationum, occaſionumque mirè excellat fuga. Quare quo quis eſt aut eſſe cupit caſtior, hoc præcauet magis, quaſuis experiendæ rebellionis occaſiones, incertuſque vbi illa corpus, mentemque occupauerit, & de facultate, longo vſu, ad reſiſtendum comparata. & de tanta DEI, tamque efficaci ope (de ſufficienti enim, & cuique ad pugnandum idonea, nullum eſt dubium) quæ ad victoriam importuni, & die noctuque inſidiantis hoſtis eſt pernecesſaria; importunum hoſtem voco, nam toties abactus, victuſque nihilominus pertinaciter redit; propter quam importunitatem rectè à S. Thoma vocatur alicubi puer, qui crebrius correctus, nihilominus impingit. Cæterum ſiue hi, qui inter homines degunt, adhibita omni cautela, ne quid conſuetudo obſit, ſiue illi, qui rigidiores ſunt, in vitandis periculis, dictum ſibi in cōmune à S. Paulo arbitrentur, Philip: 4. *Quæcunque ſunt pudica hæc cogitate.* Quaſi dicat: nolo præſcribere pudicitiæ leges; il-

las ſibiquiſque ſeruandas putet, quas concipere, & adinuenire poterit.

Sectio Tertia.

Ratio tuendæ caſtimoniæ, vbi de fine, & modo eius.

23. PRÆTER pudicitiam habet caſtitas aliā quoque in ſuo comitatu caſtimoniam, videlicet coniugalem, quæ non eſt ſpecie, & natura diuerſa à communi caſtitate, ſicut nec pudicitia, ob parem ſupra allatā n. 14. rationem, Jdque docet D. Thom: 2. 2. q. 152. art: 3. ad 5. ſed eſt diuerſus actus numero, ab alijs caſtitatis actibus. Caſtitas enim pro formali ſua honeſtate, ac obiecto, habet, vt temperet appetitui ab illicitis delectationibus, cuius hactenus vnum attulimus actū, nempè pudicitiam, ratione iam explicata, moderantem illa, quæ præcedunt conſummationem venereæ delectationis: Alter iam ſequitur, vocatur caſtimonia matrimonialis, qui eſt ipſe vſus carnalis copulæ, debito fine, & modo. Tam pudicitia ergò, quàm caſtitas coniugalis, ad eandem ſpectat caſtitatis communis honeſtatem, quæ ſe pluribus munero prodit actibus. Porro finis matrimonij eſt, animorum vnio, prolis ſuſceptio, & remedium concupiſcentiæ: ipſa actio honeſta ſupra iam deſcripta à n. 2. per aliquot, nempe vt cōiugi petenti, reddatur debitum, aut etiam petatur pro arbitrio à coniuge; nunquam verò ad thorum extraneus vel extranea admittatur, ſeruenturque inſtrumenta ad hoc, ab authore naturæ ordinata. Et cùm ad moralem honeſtatem, (vt parte 2. huius lib: circa finem oſtendim⁹) præter finem, & obiectum, ſeu operationem motus, & cir

circumſtantiæ etiam ſint neceſſariæ, quæ ſunt in matrimonij vſu circumſtantiæ, mox dicetur. Atque ita qui in hoc vſu tam finem quàm modum, cum debitis circumſtantijs tenet, caſtus eſt, non coniugali ſolum caſtitate, debitè exercendo actus licitæ copulæ, ſed illa etiam communi, quæ prohibet illicitas delectationes, & cuius caſtitas coniugalis eſt veluti fætus, nimirũ operatio, quam caſtitas cõmunis, in certis perſonis, hoc eſt coniugatis exercet.

Cæterum tam fine, quàm modo, ac circumſtantijs illæſis, quadruplici ratione poſſunt coniuges caſtè viuere. 24.
Primo, ſi reddant ſibi debitum, adhibitis, fine, & modo, & circumſtantijs. *Secundo*, Si non reddant vnquam debitum, ſed inito matrimonio, animo reddendi ex conſenſu, deinde mutuo abſtineant à petitione, & redditione debiti, in quo caſu eſt verum matrimonium, modo poſſit vſus eius ſequi, & per habilitatem corporis, & per alia quæ ad eſſentiam matrimonij requiruntur. Sicut enim ad veritatem hominis, nõ requiritur vt ipſo facto ratione vtatur, diſcurratque, ſatis eſt, ſi habeat animam rationalem, qua id poſſit facere. Ita & ad veritatem matrimonij non requiritur vſus, ſatis eſt, ſi poſſit eſſe, Atque hoc manifeſtè in S. Paulo legimus: 1. Cor: c. 5. qui cũ præcepiſſet coniugibus, vt ſibi mutuo reddant debitum; addit poſſe illos ab hoc debito abſtinere: *niſi fortè*, inquit, *ad tempus ex conſenſu, vt vacetis orationi, & iterum reuertimini in id ipſum, ne tentet vos Sathanas.* Ex quo intelligimus primo, coniuges, eſſe coniuges, etſi ab opere vacent. 2. Poſſe illos ſemper neque petere, neque reddere, ex mutuo conſenſu, ſi ſeper volunt aptiores eſſe ad orandum, reſiſtendo tentationi cum DEI auxilio; ſi enim ad tempus id ſanctè faciunt, cur non ſemper? *Tertio*, poſſunt coniuges inire matrimonium, tradendo ſibi mutuo corpora, non tamen animo petendi, & reddendi debitum, id etiam eſt certum, apud Theologos, cum S. Thoma 3. parte, q. 29. art: 2. in

Digitized by Google

Corp: vbi docet id, quod iam diximus; formam, & eſſentiam, finemque intrinſecum matrimonij, conſiſtere in animorum mutua coniunctione, quæ debet eſſe inſeparabilis, vt ſit ſignum vnionis Chriſti perpetuæ cum Eccleſia. Generatio autem, & educatio prolis, & remedium concupiſcentiæ eſt operatio, & ſecundarius finis; ſine quo veritas matrimonij perfectè ſubſiſtit. Quis enim dicat, tunc tantum coniuges eſſe verè coniuges, cùm generationi, aut educationi vacant. Hac ratione Beatiſſima Vir-
25. go contraxit, cum S. Joſeph matrimonium. Vouerat illa virginitatem ſuam DEO: id quod ex reſponſo illius Archangelo dato, manifeſtè colligitur, ſuadenti enim ei, vt vellet Mater eſſe Filij DEI; ac dicenti; *Ecce concipies, & paries Filium* respondit Lucæ 1. *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Quod reſponſum, niſi votum præceſſiſſet, non pertineret ad rem; fruſtra enim dixiſſet quomodo concipiam, pariamuè, cùm breui poſt, potuiſſet ſuccedere vſus matrimonij, ſicut & debuiſſet communi aliorum coniugum conſuetudine; præſertim cùm iam eſſet S. Joſeph deſponſata. Voto ergò obſtricta, decreuit ſe velle ſemper virginitatem tueri. Cum hoc tamen voto inijt matrimonium; vt quemadmodum ſcribit S. Auguſtinus lib. 12. de conſenſu Euangeliorum c. 10: *Hoc exemplo magnificè inſinuatur fidelibus coniugatis, etiam ſeruata pari conſenſu continentia, poſſe manere coniugium; non permiſto corporis ſexu, ſed cuſtodito mentis affectu.* Quarto, tandem & poſtremò, poſſunt coniuges ſiue poſt vſum, ſiue ante omnem vſum matrimonij, ſiue inito matrimonio, cum animo reddendi, petendique debitum, ſiue abſque hoc animo, voto ſe obſtringere, abſtinendi à debito. Hoc totum eſt conforme communi Doctorum ſententiæ, & S. Thomæ nunc citato, clarèque deducitur ex iam dictis, atque ipſo S. Paulo epiſt: illa 1. ad Corinth: c. 5. Si enim Beatiſſima Virgo verè fuit coniunx Joſeph, licet (propter votum) in copulam non con-

conſenſit, niſi fortè, vt loquitur S. Thomas, ſub conditione: ſi DEO placeret: profectò licebit idem, aut quid ſimile vouere coniugibus. Quale eſt votum abſtinendi à debito. Rurſus ſi eſt pium, gratia colendi & precandi DEUM, vacare ab opere coniugali; pium etiam, & religioſum erit, ad hoc ipſum, voto ſe obſtringere. Omne ſiquidem opus quod aliquam præſefert perfectionem, eſtque ex numero eorum, quæ dicuntur bona meliora, modo non præiudicent iuri cuiuſpiam, poteſt condecorari voto: vt docet S. Thom: 2. 2. q. 88. art: 1. in corpore, & alibi. Tale eſt opus abſtinere ab vſu matrimonij, ob maiorem cultū DEI, neque præiudicat iuri coniugum, quod habent in corpora ſua, modo ita fiat, vt docent Theologi: nempe ſi coniuges ex mutuo conſenſu voueant continentiam nec petere, nec reddere debitum poſſunt. Si vnus tamē eorum altero non conſentiente vouit, petere is qui vouit non poterit, iam enim ſe priuauit, jure petendi per votū; reddere tamen debebit, neque enim deuotio eius, præjudicare poteſt juri, quod alter habet in corpus coniugis.

Hic eſt quadruplex modus contrahendi ſeruandique matrimonium, & ille perfectior cæteris, in quo potiorem habet locum animorum vnio, & vinculum, quàm cōmixtio corporum, tum quia illa ſpiritualis eſt, hæc carnalis, brutis etiam communis; tum etiam quia ſpiritualis vnio, magis in ſe refert ſimilitudinem Sacramenti, ſeu vnionis, inter Chriſtum DEUM puriſſimum ſpiritum, & Eccleſiam eius, ſiue animas præſertim ſanctas. 26.

Propter quam ſimilitudinem ſignificandam, magna cum reuerentia tractare debent fideles matrimonium, meminiſſeque dicti S Pauli Epheſ: 5. *Sacramentum hoc magnum, ego autem dico in Chriſto, & Eccleſia*; quanquam ad perfectiones. matrimonij iam explicatas, non obligantur coniuges, quippe quæ ſunt conſilij, non præcepti, conſilia autem non neceſſitati, ſed deuotioni, & maiori in DEUM 27.

amo-

Digitized by Google

amori relinquere Chriſtus voluit, tum in alijs operationib⁹ ſanctis, tum in hac qua de agimus caſtitate coniugali: cui etiam ſuo modo, illud Matthæi 19. ſeruit: *Qui poteſt capere capiat.* Vnde multi pij coniuges, de quibus hiſtorijs proditum eſt, ab inito mox matrimonio, ante omnem vſum, vt S. Alexius, Cæcilia, & ſponſus eius Valerianus; aut ſuſcepta iam prole, vt S. Heduigis cum Henrico Longobardo Principe Poloniæ, S Brigitta cum ſuo coniuge, & multi alij continentiæ ſanctæ vltro ſe manciparunt.

Sectio Quarta.

Parua, nunc iam poſt tempora Chriſti, Matrimonii neceſſitas.

ET certè ſi expendamus verè, paruam iam nunc eſſe, hiſce Chriſtianis, & vltimis mundi temporibus, matrimonij vtilitatem, nullam verò, vel leuem neceſſitatem; fatendum erit, plurimos iam huius Chriſti conſilij ſectatores debere eſſe, vt aut non iungantur matrimonio; aut ſi illud ineant, viuant, abſque vſu copulæ, aut certè breui ei valedicāt, quēadmodū nūc nominati fecère cōjugi. Jd quam ſolidè, & piè demonſtrat S. Auguſtinus, qui Tom: 6. lib: de bono conjugij, contra Jouinianum Hæreticum, damnantem matrimonium, defendit inprimis ſtatum conjugalem, recenſetque c: 34. triplex illius bonum; prolem videlicet, propter quam, (ſi placuerit DEO) habendam, initur matrimonium, tum fidem mutuam, tam in reddendo debito, vrgente præſertim concupiſcentiæ periculo, quàm in tuendo caſtè thoro maritali; poſtremo Sacramentum, quod per animorum ratam, & conſtantē

vni-

Digitized by Google

vnionem, ſignificat vnionem Chriſti æternam cum ſua ſponſa ſancta Eccleſia. Præmittit etiam c. 8 docetque contra Hæreticos, diuerſos eſſe bonorum operum gradus, quædam enim ſunt bona, alia meliora, quod ſic probat: *Bonum*, inquit, *erat quod Martha faciebat, occupata multum circa miniſterium; ſed melius, quod Maria ſoror eius ſedens ad pedes Domini, & audiens verbum Domini. Bonum Suſannæ in coniugali caſtitate laudemus; ſed tamen ei, bonum viduæ Annæ, & multò magis Mariæ Virginis, anteponimus. Bonum erat quod faciebant, qui de ſubſtantia ſua Chriſto, ac diſcipulis ſuis neceſſaria miniſtrabant; ſed melius, qui omnem ſubſtantiam ſuam dimiſerunt, vt expeditiores eundem Dominum ſequerentur*. His præmiſſis oſtendit S. Auguſtinus, quod iam nunc hiſce noui Teſtamenti temporibus cenſendum ſit, de matrimonio, num & quomodo ineundum: de quo tria docet; *primo*, ſi initum, & conſummatum fuerit, laudabilius eſſe, abſtinere tandem à thoro maritali; *ſecundo*, melius eſſe, ſi neque ineatur animo experiendi debiti, *tertio*, matrimonia nunc eſſe minus perfecta, quàm erant, ante Aduentum Chriſti.

Primum ſic, libro illo 6. de bono conjugij c. 2. ſuadet: *In bono, licet annoſo conjugio, etſi emarcuerit ardor ætatis, inter maſculũ, & fœminam, viget tamen ordo charitatis inter maritum, & vxorem, qui quàntò meliores ſunt tantò maturiùs, à commixtione carnis ſuæ, pari conſenſu ſe continere cæperunt; non vt neceſſitatis eſſet, poſtea non poſſe, quod vellent, ſed & laudis eſſet, primum voluiſſe, quod poſſent. Si ergo ſeruatur fides honoris, & obſequiorum inuicem debitorum, ab alterutro ſexu, etſi langueſcentibus, & propè cadauernis vtriuſque membris, animorũ tamen ritè coniugatorum, tantò ſincerior, quantò probatior, & tantò ſecurior, quantò placidior caſtitas perſeuerat*, Placidiorẽ vocat S Doctor, illam in conjugibus caſtitatem, quæ ſibi temperat ab vſu matrimonij; hic enim multas habet inquietudines, atque, vt ſcribit S. Paulus, 1. ad Cor: 7 *tribulationes carnis*, quas idem S. Auguſtinus, eodem lib: c. 16. ita

interpretatur: *Nihil* inquit, *mihi, interim ſanius occurrit, quàm eum, (hoc eſt S. Paulum) noluiſſe aperire, & explicare verbis, eandem ipſam carnis tribulationem, in ſuſpicionibus zeli conjugalis, in procreandis filijs, atque enutriendis, in timoribus, & mæroribus orbitatis. Quotus enim quiſque, cùm ſe connubij vinculis alligauerit, non iſtis trahatur, atque agitetur affectibus, quos neque nos exaggerare debemus, ne ipſis non parcamus, quibus parcendum* (1. Corinth: 7) *exiſtimauit Apoſtolus.* Jam ſecundum quod melius ſit, non inire, deſiderio copulæ cójugium, vt probet, Idem S Pater, notat, c. 9. bonorum quædam eſſe per ſe appetenda, vt eſt, ſapientia, amicitia, & ſimilia; quædam propter aliud, vt doctrina propter ſapientiam, conjugium propter amicitiam, ex qua ſequatur ſocietas humani generis, per procreatam prolem, & ſic de alijs. Priora illa honeſtè appetuntur, ſi expetantur propter ſe, poſteriora, ſi referantur ad aliud, quod ſi in ipſis ſiſtatur, perturbatur, & inuertitur ordo bonorum; hoc notato, ita intentum proſequitur: *Primis temporibus generis humani, maxima propter DEI populum propagandum, per quē, & prophetaretur, & naſceretur, Princeps, & Saluator omnium Populorum, vti debuiſſe Sanctos, iſto, (non propter ſe expetendo, ſed propter aliud neceſſario) bono, nuptiarum. Nunc verò ad ineundam ſanctam, & ſinceram ſocietatem, vndique ex omnibus gentibus, copia ſpiritualis cognationis exuberet; etiam propter filios ſolos connubia copulare cupientes, vt ampliore continentiæ bono, potius vtantur admonendi ſunt.* Quia verò multos, huic ſuæ ſententiæ contrarios præuidebat Sanctus Doctor, ſic illis obuiat c. 10. *Sed noui quoſdam, qui murmurant; quod ſi, inquiunt, omnes velint, ab omni concubitu abſtinere, vnde ſubſiſtet genus humanum? vtinam omnes hoc vellent duntaxat, in charitate, & de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta.* 1. Timot: 1. *multo citius, DEI ciuitas compleretur, & acceleraretur, terminus ſæculi: Quid enim aliud apparet hortari Apoſtolum: vellem omnes eſſe ſicut me ipſū.*

pſum. 1. Cor: 7. aut in alio loco etiam 1. Cor: 7. *hoc autem dico fratres, tempus breue eſt.* Plurimi, hoc conſiliũ S. Auguſtini non erant ſecuturi, propter concupiſcentiæ fragilitatem, quidquid ſit, quod non videant nunc prolis, eſſe neceſſitatem eam, quæ fuit antea, (niſi forte in rariſſimis caſibus ob Regum & Monarcharum, ad bonum commune conſeruandam poſteritatem) quapropter permittit ille quidem matrimonium, ſed noſſe vult omnes, illud eſſe lõgè imperfectius nunc, quàm fuit ante Chriſti tempora, ſi propoſito complendi debiti ſuſcipiatur. Si enim in animorum tantum ſiſtat vnione, ſicut de S. Joſeph, & Beatiſſima Virgine ſupra n. 24 & 25. diximus. Sic multò erit perfectius matrimonium nunc, quàm fuit olim, tùm ob annexam omnimodam continentiam; tum propter excellentiam Sacramenti, quo matrimonia veterum non erãt decorata: nullum enim ante Chriſtum habebãt fideles Sacramentum. De Matrimonijs ergò horum temporum, quæ animo petendi, & repetendi debitum eliguntur, ſic ſentit, eodem illo loco lib: 6. c. 17. S. Auguſtinus: *Quotquot nunc ſunt, quibus dicetur: ſi ſe non continent, nubant, non comparandæ ſunt etiam tunc nubentibus Sanctis. Homines qui ſe non continent, tanquam aſcendunt in nuptias, gradu honeſtatis; qui autem ſe ſine dubio continerent; ſi hoc illis ratio permiſiſſet,* (cur autem non permiſit paulo ſuperius notatum eſt, ex eodem S. Auguſtino, eodem lib: c. 9.) *quodammodo in nuptias deſcenderunt gradu pietatis, nunc quippe nullus pietate perfectus, filias habere niſi ſpiritualiter quærit, tunc verò ipſius pietatis erat operatio, etiam carnaliter filios propagare: quia illius populi generatio, nuncia futurorum erat, & ad diſpenſationem propheticam pertinebat;* Hæc S. Auguſtinus. Quæ ſi à deliberantibus, eligendus necne ſit matrimonij ſtatus, accuratè, & DEI ope inuocata, legerentur, neque præcipitanter, atque affectu duce (vt communiter fit) agerentur omnia: reperirentur fortè non pauci, qui ſalubri Chriſti conſilio,

de perẽni Eunuchorũ continentia (Matth: 19.) locũ darẽt.

Sectio Quinta.

Quot modis vitiatur Matrimonium?

28. SED iam videndum eſt, quot modis, non tam perfectio matrimonij quàm acceptio eius & vſus vitiari poteſt. Nam tam fini eius, quàm vſui, & modo, qui tenendꝰ eſt in vſu, bifariam poteſt fieri præjudicium. Primo directè, & ſubſtantialiter, deinde aliquomodo, & accidentariè. Et primarius quidem finis, tollitur directè, ſolutione vinculi animorum, cùm abeſt conſenſus in contractum; ſecundarius autem per contrarium, & vt dici ſolet, per finem alterius ſubſtantiæ, ab illo iam expoſito: vt cùm quis vtitur copula, vt expleat libidinem duntaxat, neque ab illa abſtineret, quantumuis non eſſet, finis hic ſecundarius à DEO conjugibus prefixus; talis copula eſt illicita, quippe quæ diuinæ contrariatur ordinationi. Atque hic præpoſterus coniugij vſus, in cauſa fuit, ob quam maritos, Saræ Raguelis filiæ ſuffocauit Dæmoniũ; id quod ad cautelam retulit Raphael Archangelus Tobiæ juniori, Tob: 6. *Audi me*: inquit, *& oſtendam tibi, qui ſunt, quibus prævalere poteſt dæmonium: hi namque qui conjugium ita ſuſcipiunt, vt DEVM, à ſe, & à ſua mente excludant, & ſuæ libidini ita vacent, ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus; habet poteſtatem dæmonium ſuper eos*: ex hoc inferre debemus eos, qui ob libidinem explendam ineunt matrimonia, in dæmonis poteſtatem, ſeruitutemque tranſire.

29. Qui in fine cõmittitur error, vſu tamẽ etiã poteſt interuenire, & quidem primo ſubſtantialiter appoſitus ſta-

Digitized by Google

tui coniugali: hac ratione errant, qui ad alienam accedūt, aut re ipſa, aut cogitatione, & voluntate, retinentes in phantaſia perſonam, ad quam maiorem habent affectum quàm ad coniugem (qua interim vtuntur) & hoc tali affectu, augentes libidinis actum. Quod quia auertit Dei præceptum, qui adulteria prohibet, etiam mente, & deſiderio concepta, (*qui enim*, inquit, Chriſtus Matt: 5. *viderit mulierem ad concupiſcendum eam iam mæchatus eſt*) Grauis eſt in vſu, hic error; ſicut & neglectus inſtrumenti, ad concipiendum fætum neceſſarij, repugnat ordinationi diuinæ; modum enim affert ſubſtantialiter debito vſui oppoſitum, propter quam violatam, morte punitus eſt, Onan, nepos Patriarchæ Jacob, Gen: 38. *Idcircò percuſſit eum Dominus*, inquit Moyſes, *quod rem deteſtabilem faceret*. 30.

Atq; hi ſubſtantiales errores tollunt caſtitatem, non quidem Phyſicè, & poſitiuè (non loquimur enim hic de caſtitate, vt eſt habitus virtutis, quo pacto per oppoſitum tollatur vitium; de qua re erit ſuus agendi in hoc lib: par: 2. locus) ſed moraliter, & priuatiuè; qua ratione, bona & mala actio, tollunt ſe mutuo, ſunt enim dicti errores illicitæ delectationis grauia peccata, repugnantia cum operationibus caſtis. 31.

Præter hæc, quæ fini, vſui, & modo, ſeu honeſtati coniugalis ſtatus directè aduerſantur, poſſunt alia dari, minus illum lædentia, & crebrius, ad circumſtantias ſpectātia: vt ſi palam, & cum ſcandalo fiant, quæ conjugibus clam ſunt conceſſa; ſin nimis creber ſit conjugij vſus; ſi cum vehementi ad explendam libidinem, applicatione animi: quæ, & ſimilia vt plurimum ſunt, venia & commiſeratione digni defectus, (licet interdum mortali culpæ ſunt obnoxij, vt ſcandalum verbi gratia) ex illa videlicet fomitis infirmitate profecti, quam S. Paulus prædixit conjugibus 1. Cor: 7. *Tribulationem tamen carnis habebunt huiuſmodi* quæ tribulatio tantò eſt maior, quantò plura adhibentur,

Digitized by Google

adhibentur, ad explendam carnis concupiſcentiam; nimirum quæ irritari poteſt, ſed nunquam exſaturari, teſte Spiritu Sancto, Prouerb: 30. Vbi inter 4. inſaturabilia ponit hanc concupiſcentiam, ipſi inferno & igni, qui nunquam dicit (ſufficit) illam comparando.

32. Dolendū verò, & mirādum eſt, nunc inter fideles cōiugatos, tantum poſſe libidinis hunc ignem, quantus in illis tolerabilior erat; qui matrimonia ſua non habebant fulta, ornataque gratiâ & præſtantiâ Sacramenti: quæ Sacramentalis gratia, Chriſti meriti, & voluntate, datur conjugibus, ad onera matrimonij leuius ferenda, & ad honeſtè ſibi conuiuendum; ita quidem, vt caſtus conjugij vſus, vitæ cœleſtis ſit meritorius, quemadmodum docet S. Thō: 2. 2. q. 153. art: 2. in corp: perinde atque alia omnia opera ſic à fidelibus ſunt exercenda, vt non mortem, aut pœnam, ſed vitam mereātur æternam. Non ita iſto actu vtūtur, qui non ſciunt modùm imponere concupiſcentiæ; & qui non contenti illo, quem natura ſimplicem dedit, arte, nō ab alio certè, quam ab ipſo, omnium immunditiarum, ſpiritu, ex inferis deprompta, non minus impuros, quàm eſt ipſe, excogitant modos; & iam eò peruenit impudens libertas, vt illos circumferant depictos, quibus crebrò finis euertitur matrimonij; ſæpius vitiatur vſus, ſemper beſtiali ſeruitur impetui. Noſſe deberet Chriſtiani fraudē hāc eſſe Orci veteratoris; cui non eſt nouum, eos, quos non poteſt, aut non vult, trita luxuriæ viâ, ad interitum ducere; deducere, occulta, matrimonij quadam deceptos ſpecie, & ſecuritate.

Sectio Sexta.

Nuptine, an innupti faciliùs conſequuntur caſtitatem?

Digitized by Google

POſtremò conſiderent velim conjuges, omnibus quidem arduam eſſe caſtitatem, tùm ob rationes ſupra allatas, initio huius capitis, tùm quod hoſtem habeant,, non appetitum modò, rationi diſſonum, quemadmodum habent aliquæ virtutes morales, patientia: v. g. triſtitiā nimiam, manſuetudo, vehementem iram, & ſic de alijs; ſed ipſum corpus, in parte illius, maximè omnium rebelli eidem rationi; licet inquam, ex his capitibus difficilis ſit omnibus hæc virtus, neſcio tamen, qui ad illā magis expediti, nuptine, an innupti? illi qui concupiſcētiā morem ipſi gerendo fouent, an qui ei omne penit⁹ negāt experimentum? Nam ſi Dominus (Matth: 19) facilius aſſerit, *camelū tranſiturū per foramē acus, quàm diuitem in cœleſte regnū intraturū*, id quod de pauperibus atq; egenis nuſquā affirmauit, de opulētis autē, ideò videtur dicere, quod difficilius ſit, vti benè poſſeſſis diuitijs, quàm ferre inopiam illarum, poſſeſſio enim præbet occaſionē auaritiæ, fraudis, & ſimilium injuſtitiarum; inopia nihil tale facit: pari argumentandi forma dicere poſſumus; facilius innuptos carne ſua rebelli benè vſuros, regnumque adepturos cœleſte, quàm nuptos; ſiquidem hi voluptatis cognitæ illecebra, vehementer trahuntur, ad immoderationem, & exceſſum, variaſque luxuriæ maculas; à quibus ſunt procul, qui talis voluptatis prorſus ſunt ignari. 33.

Quod ſi eam interdum, contra quam velint experianrur; id quid cum minore lōgè delectationis irritamento, periculoque intemperantiæ, propter reſiſtentiam rationis; quàm ſoleat eſſe, cùm appetui fræna laxantur; deceditque plenus voluntatis conſenſus, fertur etiā homo & mente, & corpore in voluptatē: quā demū auget ſocietas cōplicis pellicientis, & plurima alia luxuriæ incitamenta. 34.

Euidens huiuſce rei documentum reliquit in ſe Salomon conjugibus: quia enim vt teſtatur ſcriptura, 3. Regum c. 11. vxoribus erat copulatus ardentiſſimo amore; 35.

adeò

adeò in libidinem exarſit, vt & contra DEI mã-datum, aſſciuerit ſibi idolis ſeruientes fæminas, & in gratiam earum, ipſe etiam, primus omnium, qui ante illum extiterat Reges in Judæa, idola coluerit. Hanc non aliam affert cauſam DEUS, tantæ hominum malitiæ, quanta merebatur, vt totus mundus periret diluuio; nempe nimium vxorum amorem; ita Gen: 5. legimus: *Videntes Filij DEI, filias hominum, quòd eſſent pulchræ acceperunt ſibi vxores, ex omnib' quas elegerant, dixitque DEVS: non permanebit Spiritus meus, in homine in æternum, quia caro eſt:* caro, inquit DEUS, eſt homo & indignus, vt ſpiritus meus in eo permaneat; non quia eſt adulter, aut fornicarius, aut incæſtuoſus; ſed quia accepit ſibi vxorem.

36. Jſtud planè periculi gen', vidit in coniugatis S. Paulus 1. Cor: 7. & vt illi obuiã iret, præcepit iiſdem, ita in matrimonio viuendum eſſe, itaque cogitandum, vt putent ſe, non amplius eo vſuros: *Hoc*, inquit, *dico fratres tẽpus breue, reliquum eſt vt & qui habent vxores, tanquam non habentes ſint;* quaſi diceret: ſciant coniugati ſe reddituros rationem ſui ſtatus, atque ne vt facile poſſunt, abutantur illo, cogitent ſe ſolutos vinculo matrimonij.

Hæc cogitatio duo affert ſalutis cõmoda: vnum, quod, vt ſoluti; abſtinere debent, ab omni illicita delectatione, illi quoque cauere debeant, ne quid in vſu illicitum committant: alterum quod, vt coniuges ſeparati, ab inuicem morte, mox ſiſtuntur diuino judicio etiam illi; licet adhuc viuunt; cogitando tamen tempus breuiſſimum vitæ, ſic vti debeant corporibus ſuis, vt omni momento nitantur eſſe parati, in DEI comparere Tribunali, quemadmodum ſcribit, ad Corinth: epiſt: 2. c. 5 idẽ Apoſtolus: *Omnes nos manifeſtari oportet, ante tribunal Chriſti: vt referat vnuſquiſque corporis propria, prout geſſit, ſiue bonũ ſiue malum.* Hac de cauſa monet Apoſtolns officij ſui coniugatos: *Tempus breue eſt, reliquũ eſt, vt & qui habent*

vxores tanquam non habentes ſint, ratus ita nihil eos cõmiſſuros contra caſtitatem coniugalem, tutoſq; forè in die iudicij, ſi hoc monitum ſemper non tenent.

Sectio Septima.

Quàm ſit præſtans caſtitas vidualis?

TErtia in eiuſdem communis caſtitatis comitatu, eſt vidualis caſtitas, quæ viduos, viduaſque cohoneſtat; perinde quidem etiam hæc, vt iam explicatæ duæ, non habet diuerſam ab illa formam, & ſpeciem, ſed eſt peculiaris eius actus, atque operatio, hoc tamen præſtantior caſtimonia coniugali, quod diſſoluto matrimonio, vſu eius careat, cùm coniugatis, liceat illo vti. In hoc ſtatu viduorum, atque viduarum, tria hominum genera reperio; vnum eorum qui liberati per mortem vinculo matrimonij, ad definitum tempus, abſtinent; non ſolum ab illicita quauis delectatione corporis, ſed ab ipſo etiam matrimonio. Sunt alij qui ſemper, ad mortem vſq; vtrumque præſtant, ſecuti conſilium illud S. Pauli 1. Cor: 7. *Dico autem non nuptis, & viduis, bonum eſt illis, ſi ſic permaneant ſicut & ego.* Denique inuenientur nonnulli, qui vt ſtabiliores ſint in ſuo propoſito, nunquam illicitè, aut etiã licitè vtendi ſuo corpore, adiungunt caſtitatis votum; ſiue in Religionis quopiam ordine, ſiue in antiqua libertate conſtituti. Cum viduis computantur illi, qui nunquam erant coniuges, experti tamen culpa ſua concupiſcentiã, ſiue cum complice, ſiue ſolitariè iam externo actu, iam mente tantùm, non amplius ad illicitam redeunt voluptatem, aut coniugibus licitam attentant; ſed cœlibes ad tempus, vel ſemper manent. 37.

Horum omnium illi perfectiorem caſtitatis vidualis nacti ſunt gradum, qui ſiue ſolo animi propoſito, ſiue (quod præſtantius eſt) voto inſuper addito, ad mortem vſque ſeruant continentiam.

38. Porro de hac caſtitate viduorum, atque viduarum duo certa eſſe debent primum id quod iam dixi, eam non eſſe, diſtinctam ſpecie, à communi caſtitate, vt tenet S. Thom. 2. 2. q. 152. art. 5. idem enim quod illa exercet in appetitu, & corpore humano munus, abſtinendi videlicet ab illicitis voluptatibus, aut permiſſis in matrimonio: jtaque caſtitas viduorum, eſt peculiaris communis caſtitati actus; qui non exercetur, niſi in perſonis iam nominatis; Et hæc diſtinctio perſonarum, vt docent Philoſophi, pertinet ad materialitatem actûs indiuidui, non ad formalitatem, aut ſpeciem habitus, aut etiam actus.

Quare rectè Caietanus ſcribens in quæſtionem nunc citatam S. Thomæ, caſtitatem vidualem diſtinguit à communi, ſicut actum conſilij, ſeu excellentiorem à ſuo habitu, qui eſt indifferens, ad actus præcepti & conſilij; ita virtus miſericordiæ, eſt indifferens, ad paruam, & in neceſſitate ſolum, vel ad magnam, & extra illam, dandã eleemoſynam.

39. Alterum etiam non minus pro certo habendum, id quod aſſeritur, ab eodem S. Thoma, loco iam citato: viduos, viduaſque ſuperare ſua caſtitate, eam, quæ eſt conjugatorum: cuius ratio ſumi debet ex S. Paulo 1. Cor: 7. vbi ille ſuadet coniugibus, vt interdum vacent ab opere coniugali, propter orationeem: cùm enim oratio, cultus, amorque diuinus vniant hominem DEO, tanquam vltimo fini, ea certè opera præſtantiora cenſenda, quæ magis conducunt ad orandum, colendum, amandumque DEUM. Quare ſi ad tempus abſtinere à thoro maritali, eſt quædam perfectio operis, ſuperans vſum thori, eò quòd ſaltem ad tempus, magis diſponat hominem ad

DE-

Digitized by Google

DEUM, multò erit perfectio maior, abſtinere ſemper, quemadmodum faciunt vidui viduæque. Non deſunt aliæ plures rationes, ad probandum, eoſdem, perfectiorē degere vitam, quàm ſit coniugatorum; vt quòd omnes ſint ab occaſione peccatorum, quibus expoſitos coniuges ſupra à n. 33. probauimus; quod careant tribulatione, quam coniugatos pati neceſſe eſt teſte S. Paulo 1. Cor: 7. quòd ſint liberi, cùm coniuges corporum ſuorum non habeant poteſtatem, eodem ibidem aſſerente Apoſtolo: ſed omnes has, & ſimiles perfectionis prærogatiuas, ſuperat illa vna, quòd ad vnionem, cum DEO plurimum afferat momenti.

Sectio Octaua.

Abſentia corporalium delectationum, diſponit ad vnionem cum DEO.

IAM illud paucis eſt exponendum, quonam pacto abſentia corporalium delectationum conducat ad vnionem cum DEO, per quam aliud hîc non intelligitur, 40.
quàm vnio omnis, ſeu affectus conſequens, infinitæ diuinæ excellentiæ, bonitatiſque, (quæ trahit, rapitque cor amantis) cognitionem. *Anima enim*, vt rectè dicit Auguſtinus, *magis ibi eſt, vbi amat, quàm vbi animat*, tantoque magis adhæret ardenti delectatione amato bono, quanto hoc maius eſt, & cognoſcitur melius, id quod latè oſtendi ſupra c. 11. n. 9. declarando modum, quo delectatio, cognitionem conſequi ſoleat. Ab hac tali vnione cum DEO habenda, auocat corporalis delectatio, propterea quòd impediat rationem ab intenta perfectionis di-

uinæ, attributorumque intelligentia, vt rectè docet S. Thomas 1. 2 q 33. art 3. in corp: nam quò vehementior eſt delectatio, eò maior eſt attentio animæ, adcognoſcendū delectabile bonum; vt eò iucundius fruatur appetitus; fitque interdum, vt anima cætera omnia prorſus negligat; & vel præſentia non percipiat, eò quòd potēter rapiatur à bono, quo fruitur. Cùm ergò actus venerei, ſit maxima, & potentiſſima, voluptas; non ſolum cum præſens eſt, ſed etiam ipsâ ſui memoriâ, vim intelligendi adeò hebetat; vt ea modicas, eaſque quaſi ligatas, aut certè nullas habeat reliquas vires, ad percipienda diuina, teſtante S. Paulo 1. ad Cor: 7. *Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus*; hinc vt delectatio carnalis, ſit magno impedimēto, vinionis cum DEO. Ad confirmationem huius addi poteſt ex eodem Apoſtolo, qui ad Gal: c. 5. ita ſcribit: *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnē, hæc enim ſibi inuicem aduerſantur.*

41\. Ita aduerſitas mutua idem præſtare debet, quod in omnibus alijs cernitur contrarijs; vt ſi quis calet, nequeat frigere ſimul, aut ſi friget, calere; pari ratione, qui carnali vacat delectationi, non poteſt frui ſpirituali, & qui hac fruitur, illam cauet, & fugit. Certè ſi Ariſt: 6. Ethic: c. 5 affirmat corrumpi prudentiam, à delectatione corporali, eo quod tunc prudentia nequeat honeſta præſcribere, impedita, vt iam dixi, ac obſcurata affectu carnali, (prout enim quiſque affectus eſt, ita teſte eodem Philoſopho judicat) id verius eſt de DEO, eiuſq; intelligentia, & de carne, quæ duo magis ſibi repugnant: quàm prudentia, honeſtaſque moralis aduerſatur carni.

Aſſerendum igitur, magis impediri altiſſimam illam DEI cognitionem; quæ ſapientia, ſeu æternarum, & eminentiſſimarum rerum intelligentia appellatur, & quæ non honeſtatem moralem, in corpus etiam ſe ſe extendentem; ſed ſummum bonum, & puriſſimum Spiritum DEUM,

UM, ab omni corporea molè ſecretum, conſiderat; in eoque inuenit infinitas numero, & pondere rationes, quæ voluntatem, affectumque, hominis moueant, iam ad cultum, & religionem DEI: iam ad fiduciam in illo ponendã, iam ad amorem, & charitatem ipſius; quæ omnia vniunt hominem DEO, quantum obſcura fidei notitia, illaque quam nominaui ſapientia, in hoc peregrinantium ſtatu, ad tantam rem conferre poteſt.

Doctrina hæc magis adhuc confirmatur, authoritatẽ, vſuque Eccleſiæ ſanctæ, quæ in præfatione ad miſsã, decurſu Quadrageſimæ dici ſolitam, habet hæc verba: *quo corporali jeiunio vitia cõprimis, mẽtem eleuas, virtutem largiris & præmia.* Ex quibus verbis, intentum Eccleſiæ, in jejunio ab ipſa præcepto, conijcere licet: ideò enim jubemur iejunare, vt vitia honeſtati morali, nempè ſobrietati; & intẽperantiæ contraria comprimantur: deinde vt mens abſtracta iam à corporea cibi delectatione, eleuetur ad honeſtatem morum: denique vt per corporale jejunium, DEUS virtutem largiatur, & præmia; virtutẽ inquam illam, ad quam mens vitijs compreſſis & virtutibus moralibus acquiſitis peruenit, ſcilicet amoris diuini, præmia tandem gratiæ & gloriæ. Quod ſi abſtinentia à delectatione ciborum, tanta parit animæ bona; maiora profectò, ſunt expectanda, à perenni caſtitate, quæ cõprimit vitia, magis fæda & noxia, nimirum, ex vehementiore, quàm eſt in cibis, orta delectatione, magis etiam mentem ad DEUM eleuat, vberioremque largitur virtutem, & præmia. Hæc eſt non alia cauſa, quæ Sãctiſſimos viros impulit, non ad ciborum tantùm exquiſita irritamenta, venereaſque delectationes contemnẽdas, ſed ad alias multas, quæ honeſtè, & non cum diſpendio ſalutis poterant vſurpari, vt eſt parentũ, conſortium, familiaritas amicorum, poſſeſſio opum, & id genus alia, quæ hic præſentia, & jucundo vſu (nimirum corporea) 4.2

poſſent nonnihil retardare hebetareque ſuauitatem in diuinis ſupra explicatam, & ſi non diſſoluere, ſaltem laxare cum DEO vnionem: non alio quoque fine, piè mouentur vidui viduæque nuncium connubijs remittentes, quàm vnionis cum DEO conſequendæ.

43. Atque hanc ipſam vnionem videtur exprimere Deus, quoties in Sacra ſcriptura teſtatur, ſe eſſe tutorem viduarum ſibi videlicet puro vnitarum amore, & hoc nomine ad ſe pertinentium. Quanquam tantæ, tamque beneuolæ diuinæ prouidentiæ, poſſunt eſſe aliæ cauſæ, quarum prima, eſt communis omnibus orphanis, & pupillis; horum miſericors DEUS curam gerit, eò quòd careant parentibus aut amicis, à quibus ſuſtententur, & protegantur; quemadmodum, & viduæ carent maritis, egentque aliena ope. Eſt verò & altera eiuſdem diuinæ beneuolentiæ in viduas ratio, quod illæ loco maritorum, DEUM habere velint, cui ſe, id eſt corpora, animaſque, & ſua omnia regenda committant. Itaque DEUS viduas, ita ad ſe pertinentes recipit, fouetque tanquam ſuas, & quia pauciores, vt plurimum ſunt vidui, qui caſti ad mortem cupiant eſſe, plures autem eiuſmodi ſunt viduæ, idcircò harum ſæpius in ſcriptura Sacra, fatetur DEUS ſe eſſe protectorem. Vnde Hieremiæ 49. legimus prædictum, de temporibus Chriſti: *Et viduæ tuæ in me ſperabunt*, nimirum quæ omni ſpe, ac cogitatione de maritis abiecta, in Chriſto eam reponunt, eum in maritum, Patrem, & tutorem ſibi aſſciſcentes. Poteſt etiam & illa eſſe cauſa, cur DEUS, viduarum ſe prædicet defenſorem, potius quàm viduorum, etſi vtrique ſint ſemper caſti; quia viduæ, vtpotè debilioris ſexûs, magis egent ope; quam quia à maritis nolunt habere, à DEO illam expectant.

Sectio 9.

Sectio Nona.

Quæ conſiderare debeant viduæ, ſi conſilium perfectionis, non nubendi ſecundo ſequi velint?

TANTUM non ambiunt tutorem illæ viduæ, quæ ſecundas. aut etiam tertias, vel quartas repetunt nuptias, propter rationes quaſdam, quibus hoſtis caſtimoniæ dæmon, inconſtantes fæminas ſolet decipere, & ad neceſſitatem impellere nubendi. Atque vt appareat leuitas dictarum rationũcularum, leues hîc affero rationes, poſſunt enim aliquæ eſſe graues, & juſtè iterandi matrimonium, adducam S. Hieronymũ lib: 2. epiſtolarum epiſt: 19 ad Furiam ita ſcribentem: *Solet adoleſcentulæ viduæ, quarum nonnullæ abierunt retrò poſt ſatanam, cùm luxuriatæ fuerint in Chriſto; 1. Thimot: 5 nubentes dicere: Patrimoniolum meum quotidie perit, maiorum hæreditas diſſipatur, ſeruus contumelioſè locutus eſt, imperium ancilla neglexit, quis procedet ad publicum? quis reſpondebit pro agrorum tributis? paruulos meos quis erudiet? & vernulas quis educabit? Et hanc proh nefas,* pergit Hieronimꝰ *cauſam opponunt matrimonij; quæ vel ſola debuit nuptias impedire, ſuperducit mater filijs, non nutricium, ſed hoſtem; non parentem ſed Tyrannum, inflammata libidine obliuiſcitur vteri ſui, & inter paruulos ſuas miſerias, neſcientes lugēs dudum, noua nupta componitur. Quid obtendis patrimonium, quid ſuperbiam ſeruulorum, confitere turpitudinem; nulla idcircò maritum ducit, vt cum marito non dormiat; aut ſi certò libido non ſtimulat, quæ tanta inſtantia eſt, in morem ſcortorum proſtituere caſtitatem, vt augeantur diuitiæ, & propter rem vilem, atque perituram, pudicitia quæ precioſa, & æterna*

eſt

Digitized by Google

eſt, polluatur? Si habes liberos, nuptias quid requiris, ſi non habes, quare expertam non metuis ſterilitatem, & rem incertã, certò præfers pudori? ſcribuntur tibi nunc ſponſales tabulæ, vt poſt paululum, teſtamentum facere compellaris: ſimulabitur mariti infirmitas, & quòd te morituram facere volet, ipſe victurus faciet: aut ſi euenerit, vt ex ſecundo marito habeas filios, domeſtica oritur pugna, inteſtinum prælium: non licebit tibi amare liberos, nec æquis aſpicere oculis: quos genuiſti; clàm porriges cibos, inuidebit maritꝰ, & niſi oderis filios, adhuc eorũ amare videberis Patrem. Quod ſi de priore vxore ſobolem habens, domum te introduxerit, etſi clementiſſima fueris, omnes comædi, & mimographi, & communes rhetorum loci, in nouercã ſæuiſſimam declamabunt, ſi priuignus languerit, & condoluerit caput, infamaberis, vt malefica, ſi non dederis cibos, crudelis, ſi dederis, venefica diceris: oro te, quid habent tantum boni, ſecundæ nuptiæ, vt hæc mala valeant compenſare? Aliter idem S. Hieron: inducit ad continentiam illas viduas, quæ in ſuſcepta prole mortui memoriam, & amorem retinere volunt. Jta ſcribit: ad Saluinam clariſſimi viri Nebridij coniugem, tenerè laudans paruulos relictos; & ad eorum ſanctam exhortans educationem.. *Habes*, inquit, lib: 3. Epiſtolarum, *Saluina quos nutrias in quibus virum abſentem teneres te credas, ecce hæreditas Domini filij merces fructus ventris, Pſalm: 126. Pro homine vno, duos filios recepiſti, auctus eſt numerus charitatis, quidquid debebas marito, redde filijs amorem præſentium, abſentis deſiderium tempera; non eſt parui apud DEVM meriti, benè filios educare..* Et infra adducit illud ex Virg: Æneid: 4.

Ille meos primus, qui me ſibi junxit, amores,
Abſtulit, ille habeat ſecum, ſeruet que ſepulchro.

Si tanti viliſſimum uitrum, quanti precioſiſſimum Margaritum. Si hic communi lege naturali, damnant omnes gentiles viduæ voluptates; quid exſpectandum eſt à vidua Chriſtiana, quæ pudicitiam ſuam, non ſolum ei debet, qui defunctus eſt, ſed

Digitized by Google

ſed & ei cum quo regnatum eſt. Hæc S Hieronymus, quibꝰ iam deterret viduam, ab iterandis connubijs, iam allicit, vt ſpreto carnali marito Chriſtum ſibi deligant

Sectio Decima.

Singularia beneficia viduis à DEO concedũtur.

AB hoc vero tali marito, duo inſignia referunt bene-
ficia, ſponſæ eius, ſeu animæ, hac de quâ agimus 44.
caſtitate, prædictæ; vnus & figuram geſſit & expe-
rimentum in ſe probauit, clariſſima pauciſſimarum in ve-
teri lege viduarum, & ipſa vidua Judith, hæc inquam fi-
guram in ſe expreſſit, innumerabilium in lege noua fæmi-
narum, quæ maritis orbatæ, alium præter Chriſtum non
nouerint, Porrò beneficium tantum, à DEO conſecuta,
quantum tota gens Hebræa, regioque Judaica tota,
in extremis poſita, ac per illam liberata agnouit, atque
has eius laudes, grati nimirum animi, reliquit monumen-
tum, Judith 15. *Tu gloria Hieruſalem, tu lætitia Iſrael,
tu honorificentia populi noſtri.* Et licet tum ſtatus matrimo-
nialis in magno eſſet pretio, tũ propter ſpem Meſſiæ, quẽ
quiſque in ſua gente, & familia ſperabat futurum: tamen
ſpiritu Sancto inſtigante, non aliam cauſam, tãtæ Judith
gloriæ, tantique beneficij ipſi diuinitùs collati, teſtati ſũt
fuiſſe, quàm vidualem caſtitatem; ita enim laudes eius pro-
ſecuti ſunt: *Tu honorificentia populi noſtri,* quia *feciſti viri-
liter, & confortatum eſt cor tuum, eò quòd caſtitatem amaueris,
& poſt virum tuum, alterũ neſcieris: ideò & manus Domini con-
fortauit te, ideò eris benedicta in æternum.*

Mira ſanè confortatio cordis Judith, cùm enim 45.
tàm magnos, quàm paruos reipublicæ rectores cunctos,

Digitized by Google

& priuatos Duces militiæ, & Præfectos vrbium, Pontificem, Sacerdotes, Leuitas, vniuerſos denique in populo Hebræos, vires & conſilia, defeciſſent, nihilque niſi deſperatio, & interitus immineret omnibus; vnius viduæ dextera, & prudentia ſalutem attulerit vniuerſis. Agnouit illa hanc confortationem DEI, vtque cæteras viduas, exemplo ſuo, in certam ſpem, in DEO ponendam, in deſperatiſſimis etiam caſibus, erigeret, ita tutori protectorique ſuo cecinit DEO, notauitque ſuum canticum nouum; tum ob nouitatem beneficij, tum fortè vt prophetice prædiceret, noua conferenda, à nouo Sponſo Chriſto nouis eius ſponſis dona, ac munera, vt præclariſſima ſint earum in Eccleſia futura facinora, qualia etiam à viris, rarò expectanda forent. Audiatur iam hoc nouum viduæ canticum: *Incipite Domino in tympanis, modulamini illi Pſalmum nouum; exaltate, & inuocate nomen eius. Venit Aſſur in multitudine fortitudinis ſuæ: Dominus autem Omnipotens tradidit eum in manus fæminæ & confodit eum.* Mox adfert cauſam cur Dominus tantum fæminæ conceſſerit: *Exuit enim ſe veſtimento viduitatis ſuæ, & induit ſe veſtimento lætitiæ in exultatione filiorum Iſrael.* Quaſi dicere voluiſſet: non fecit hæc fæmina, vt nonnullæ viduæ, quæ ſimul ac ſuſpicantur imminere ſibi malum, mox connubia quærunt, tanquam præſtolatæ oblatam ſibi honeſtam nubendi occaſionem, propter patrocinia virorum. Non ita fecit Judith vidua, tum planè cum periclitaretur de omnibus, exuit illa veſtimenta viduitatis, ornauitque ſe veſtimentis, non futuræ conſortis Holofernis, a quo vehementer expetita fuit, ſed lætitiæ & ſpei, vt exultarent filij Iſrael per illam à cædibus vindicati. Hoc primum eſt beneficium ſingularis videlicet DEI fauor, & protectio, quam merentur viduæ caſtitatis amantes. vel maximè ob id, quòd ſingularem teſtentur in DEUM ipſa conſtantia propoſiti ſui propenſionem: expertæ enim incertam, & inſta-

Digitized by Google

ſtabilem, vel ſaltem exiguam maritorum opem, non amplius illam expetunt, ſed diuinam ei præferunt; DEUS igitur hunc talem in ſe animum non patitur ſpe fruſtrari, quominus oſtendat ſe plus poſſe, quam poſſint mariti; præclaramque de ſua tutela æſtimationem, diuinè prorſus remuneret.

Eſt & aliud longè præſtantius beneficium, non iam hæc caduca ſucceſſumque in ijs, ſed æterna concernens; non ad carnem, & corporea relatum, ſed ad animam, & ſpiritum; denique beneficij huius fructus, & vſus, non eſt talis, qui in viduas primum, deinde per illas in alios transfunditur, vt fuit illa victoria de hoſte; per Judith relata, ſed talis, qui inter DEUM, & ipſos citra communicationem clauditur & continetur; cuius non viduæ tantùm, ſed & vidui caſti, participes ſunt. Vis & præſtantia tanti beneficij hac ſimilitudine facilè declaratur: Quemadmodum enim inter maritum, & vxorem ſunt quædam mutua obſequia, & quaſi beneficia, quæ vltro citroque præſtita, in prolem, familiam, vicinos, amicoſq;, deriuantur; alia in ipſis remanent tantùm: priora eſſe poſſunt, cura, & prouidentia mutua, diſpenſatio, diſtributioque vtenſilium, ad commodum vtriuſque prolis, item & familiæ, donatio munerum, vltro citroque ſibi offerunt, aut amicis, conciliando eorum beneuolentiam, & ſimilia. Poſteriora ſunt jucundus conuictus, amor, & concordia, Sicut ergò hæc duo, inter conjuges reperiuntur, ita minimè negādum, vtrumque hoc dari, inter DEUM & viduas aut viduos. Et primum quidem, hoc eſt, cura, & protectio inter DEUM, & viduas clarè patet, vt numero 43. ſupra dictum eſt, alterum, inter has, viduoſue mox patebit. Eodem hic loco pono viduas, & viduos, propterea quòd vtrique priuando ſe illo conuictu, & jucunditate ſocietatis, qua gaudent coniugati, pari ratione merentur, diuinum illud ſecundum beneficium. 46.

Quòd

& priuatos Duces militiæ, & Præfectos vrbium, Pontificem, Sacerdotes, Leuitas, vniuerſos denique in populo Hebræos, vires & conſilia, defeciſſent, nihilque niſi deſperatio, & interitus immineret omnibus; vnius viduæ dextera, & prudentia ſalutem attulerit vniuerſis. Agnouit illa hanc confortationem DEI, vtque cæteras viduas, exemplo ſuo, in certam ſpem, in DEO ponendam, in deſperatiſſimis etiam caſibus, erigeret, ita tutori protectorique ſuo cecinit DEO, notauitque ſuum canticum nouum; tum ob nouitatem beneficij, tum fortè vt prophetìcè prædiceret, noua conferenda, à nouo Sponſo Chriſto nouis eius ſponſis dona, ac munera, vt præclariſſima ſint earum in Eccleſia futura facinora, qualia etiam à viris, rarò expectanda forent. Audiatur iam hoc nouum viduæ canticum: *Incipite Domino in tympanis, modulamini illi Pſalmum nouum; exaltate, & inuocate nomen eius. Venit Aſſur in multitudine fortitudinis ſuæ: Dominus autem Omnipotens tradidit eum in manus fæminæ & confodit eum.* Mox adfert cauſam cur Dominus tantum fæminæ conceſſerit: *Exuit enim ſe veſtimento viduitatis ſuæ, & induit ſe veſtimento lætitiæ in exultatione filiorum Iſrael.* Quaſi dicere voluiſſet; non fecit hæc fæmina, vt nonnullæ viduæ, quæ ſimul ac ſuſpicantur imminere ſibi malum, mox connubia quærunt, tanquam præſtolatæ oblatam ſibi honeſtam nubendi occaſionem, propter patrocinia virorum. Non ita fecit Judith vidua, tum planè cum periclitaretur de omnibus, exuit illa veſtimenta viduitatis, ornauitque ſe veſtimentis, non futuræ conſortis Holofernis, a quo vehementer expetita fuit, ſed lætitiæ & ſpei. vt exultarent filij Jſrael per illam à cædibus vindicati. Hoc primum eſt beneficium ſingularis videlicet DEI fauor, & protectio, quam merentur viduæ caſtitatis amantes. vel maximè ob id, quòd ſingularem teſtentur in DEUM ipſa conſtantia propoſiti ſui propenſionem: expertæ enim incertam, & inſta-

ſtabilem, vel ſaltem exiguam maritorum opem, non amplius illam expetunt, ſed diuinam ei præferunt; DEUS igitur hunc talem in ſe animum non patitur ſpe fruſtrari, quominus oſtendat ſe plus poſſe, quam poſſint mariti; præclaramque de ſua tutela æſtimationem, diuinè prorſus remuneret.

Eſt & aliud longè præſtantius beneficium, non iam hæc caduca ſucceſſumque in ijs, ſed æterna concernens; non ad carnem, & corporea relatum, ſed ad animam, & ſpiritum; denique beneficij huius fructus, & vſus, non eſt talis, qui in viduas primum, deinde per illas in alios transfunditur, vt fuit illa victoria de hoſte, per Judith relata, ſed talis, qui inter DEUM, & ipſos citra communicationem clauditur, & continetur; cuius non viduæ tantùm, ſed & vidui caſti, participes ſunt. Vis & præſtantia tanti beneficij hac ſimilitudine facilè declaratur: Quemadmodum enim inter maritum, & vxorem ſunt quædam mutua obſequia, & quaſi beneficia, quæ vltro citroque præſtita, in prolem, familiam, vicinos, amicoſq; deriuantur; alia in ipſis remanent tantùm: priora eſſe poſſunt, cura, & prouidentia mutua, diſpenſatio, diſtributioque vtenſilium, ad commodum vtriuſque prolis, item & familiæ, donatio munerum, vltro citroque ſibi offerunt, aut àmicis, conciliando eorum beneuolentiam, & ſimilia. Poſteriora ſunt jucundus conuictus, amor, & concordia. Sicut ergò hæc duo, inter conjuges reperiuntur, ita minimè negādum, vtrumque hoc dari, inter DEUM & viduas aut viduos. Et primum quidem, hoc eſt, cura, & protectio inter DEUM, & viduas clarè patet, vt numero 43. ſupra dictum eſt, alterum, inter has, viduoſue mox patebit. Eodem hic loco pono viduas, & viduos, propterea quòd vtrique priuando ſe illo conuictu, & jucunditate ſocietatis, qua gaudent coniugati, pari ratione merentur, diuinum illud ſecundum beneficium. 46.

Quòd

Quòd autem DEUS, cuius amore poſtponitur, dicta
47. jucunditas ſuppleat, compenſetque illam, abundè teſtatur S. Auguſt: lib: 8. Confeſſionum, c. 21. de virginibus quidē loquens, ſed idem quod ibi affert, ſeruit planè & viduis: *Ipſa, inquit, continentia nequaquam ſterilis, ſed fœcunda mater filiorum, gaudiorum de marito Domino.* Gaudia inter conjuges tres habent cauſas, ex tribus illis bonorum generibus deſumptas, ex bonis fortunæ, corporis, & animi. Gaudet vnus conjugum; ſi alter ſit diues, ſi magnæ proſapiæ, aut dignitatis, ſi egregia forma, ac specie; ſi judicio, & virtute ſexus, ea præſertim quæ ſocietatem reddit amabiliorem; qualis eſt concordia, fides, amor ſincerus, conſtans: ac beneuolus: denique ſi adhæc omnia fæcunditas quoque accedat. Vbi hæc ſunt, & plurimum, læta, à coniugatis degitur vita, eò quòd ſint multa, & magna, quæ pariant lætitiam: hæc tamen omnia, ſi cum ijs comparentur, quæ in DEO ſunt, nulla eſſe, aut valdè exigua bona, & numero, & valore fatendum erit. Et de ijs quidem quæ ſunt in DEO, tanquam eius propria, ita Eccleſiaſticus c. 43. loquitur: *Ipſe omnipotens ſuper omnia opera ſua, magnus vehementer. Glorificantes Dominum, quantumque potueritis, ſuperualebit adhuc, & admirabilis magnificentia eius: exaltantes eum, ne laboretis, non enim comprehendetis.*

48. Duo de ſe prædicat hic DEUS, vnum, quòd ſuperet perfectione opera ſua quæuis, Alterum, quod id quo ſuperat, nemo comprehendit: ditior eſt omnibus ditiſſimis; & nullus eius diuitias comprehendit: excelſior eſt quauis Monarcharum Maieſtate; & nullus altitudinem eius, vel cogitatione aſſequitur: pulchrior eſt, omnibus formà, ac ſplendore, & nullus eius penetrat decorem: ſed ipſe ſol, ac luna pulchritudinem eius tantam mirantur. Idem de quouis diuino prædicandum attributo; de ſapientia, prudentia, potentia, liberalitate, magnificen-

tia,

tia, miſericordia, juſtitia, & reliquis quæ nec numerari, nec ad certum modum, aut menſurā poſſunt redigi. Nō poſſunt numerari, quia nullum datur primum, aut vltimū; non menſurari, quoduis enim finem, & limitem ſuæ perfectionis non habet; quoduis eſt infinitū, quoduis omnia in ſe claudit, & omnia claudunt vnum. Omnino DEUS eſt fons omnium bonorum; ſiue quæ in homines ex illo emanant, & bona fortunæ, corporis, animæque appellātur; ſiue quæ in eo remanent tanquam propria, & incommunicabilia; id quod totum ab exili, & definita noſtra intelligendi virtute, ægrè apprehenditur, nedum comprehendi poteſt.

Qui tamen à ſenſui gratis, & jucundis vtcunque mētem auocauerit, & ad DEUM tranſtulerit, vt faciunt coëlibes teſte S. Paulo 1. Cor: 7. *Qui ſine vxore eſt, ſollicitus eſt quæ Domini ſunt, quomodo placeat DEO. Et mulier innupta cogitat quæ Domini ſunt:* qui inquam ad DEUM ſe conuerterit, & ab illo ea experierit, quæ conjunx à conjuge in trāquilliſſima quauis, & jucūdiſſima vita, poteſt expectare, experietur certè ſuam continentiam cum DEO conſorte fæcundam eſſe, tantò plurium & maiorum gaudiorum, quantò ſiue vir carens vxore; ſiue mulier innupta, magis cogitauerit ea quæ Domini ſunt, illas nimirum infinitas excellentias, perfectiones, & præſtantias, quæ cor humanum in præſenti quidem vita ita demulcent, recreāt, atque occupant vt cætera omnia arbitretur cum S. Paulo Philip: 3. tanquam ſtercora. 49.

Hiſce gaudijs fæcunda erat illuſtris illa paulò ante prædicata Judith vidua, de qua ſic legimus Judith 16. *Poſt dies illos*, nempe victoriæ de Holoferne, *Iudith magna facta eſt, & præclarior erat vniuerſæ terræ Iſrael. Erat etiam virtuti caſtitas adjuncta, ita vt non cognoſceret virum omnibus diebus vitæ ſuæ, ex quo defunctus eſt Manaſſes vir eius. Erat autem diebus feſtis procedens cum magna gloria.* Gaudebat 50.

illa ſe à populo honorari, dum procederet diebus feſtis ad colendum DEUM, ſed multò ampliora percipiebat gaudia de illo, quem colebat, & ad quem in feſtiuitatib⁹ pergebat, vt attentiùs cogitaret ea, quæ ipſius ſunt, & vt placeret ei, cui ſe caſtitate virtuti conjuncta commendabat. Ad hæc eadem gaudia, mentiſque delicias inuitabat ſponſus Chriſtus ſponſam Elizabeth s. viduam, Andreæ Regis Hungariæ filiam, vt eſt in vita eius à Surio, alijſque conſcripta: orantem enim die quadam, & intēta mente, oculiſque cœlum intuentem, ità eſt allocutus: *Si tu vis eſſe mecum, ego ero tecum, & à te nullatenus ſeparabor.* Et breui ante mortem: *Veni*, inquit, *electa mea ad thalamum tibi ab æterno præparatum.* B. Borgiam, Ducem Aquitaniæ: qui mortuâ vxore, viduus deinceps, & in noſtra Societate Religionem profeſſus erat, conſtat ex vita eius à Scoto conſcriptâ, tantis in oratione affluxiſſe gaudijs, vt ægrè à cubiculo auelli ſe pateretur, in quo multis, continuiſque ſolitus erat DEO vocare horis, circumfuſus lumine à fratribus ſæpiùs conſpecto.

51. Jta DEVS gaudia coniugij, propter ſe contempta, nouit commutare in maiora, & meliora de ſe vice conjugis in conſortium admiſſo. Gaudia hæc vocat S. Auguſtinus, prolem ex fæcunditate animæ, DEO per caſtitatem deuotæ; aliud enim ex vnione inter puriſſimum ſpiritum, & caſtam animam ſequi non poteſt, quàm id quod potentiæ eius, nempe vis intelligendi, & volendi, valent cōcipere, atque edere ex DEO, ac cum DEO cognito, atq; amato, ſiue per agnitionem, amoremque vnito. De qua vnione ſupra hoc c. à n. 40. ad 43. dictum eſt. Jtaq; proles hæc & *fructus ſpirit⁹ eſt* (inquit S. Paulus ad Galat: 5.) *Charitas, gaudium, pax.* Sed de hac ſpirituali prole accuratiùs lib: 2 agetur, cùm de charitate eſt ſermo.

52. Jnterim vnum videtur obſtare tali, ac tantæ fæcunditati; fit enim non rarò, vt qui ita DEO vacant, præſer-

um

tim viduæ, magnâ premantur paupertate, caſibusque exagitentur aduerſis, direptiones bonorum, infamiarum, oblocutionum, & aliorum, quæ videntur extinguere gaudiorum prolem. Nam quo pacto inter tot mala gaudere quis poteſt? verùm hæc non ſunt tanta, vt quem ab intimo DEI conſortio deterrere debeant; primò enim ea ipſa tolerabiliora fiunt DEI præſentiâ, de qua confiſus ille dicebat Pſalm: 17. *Quoniam in te* (nimirum mihi vnito) *eripiar à tentatione: & in DEO meo tranſgrediar murum.* 52.
Deinde non ita permittit illa amator animæ DEUS vt cōtinuo crucient, verum ſcit tempora gratis alternare viciſſitudinibus; tantaque ſublatis preſſuris ſufficere gaudia, quanta ille idem expertum ſe fatetur Pſal: 93. *Secundùm multitudinē dolorum in corde meo, cōſolationes tuæ lætificauerunt animam meam.* Denique cōditionem eorum, qui amore & occaſione Chriſti patiuntur, non eſſe deplorandam, quin potiùs exoptandam, latiùs oſtendi præcedenti capite â n. 43 ad 55. Atque hæc de viduali caſtitate.

Sectio Vndecima.

In quo ſita ſit virginalis caſtitas?

SEquitur virginitas, quarta poſt tres præcedentes, nēpe pudicitiam, caſtitatem, conjugalem, & vidualē, pulchrior, præſtantiorque comes caſtitatis, vtrique ſexui, tam viris, quàm fæminis communis, quàm nōnulli ex Theologis adeò efferunt, vt illi tribuant nouam, diſtinctamque à communi caſtitate ſpeciem. Cæterum S. Auguſtinus in lib: de Virginitate c. 21. caſtitatem virginū hanc vnam ob cauſam tanquam peculiarem agnoſcit virtutem, quòd ſit voto oblata DEO; ſic enim loquitur: *Nec* 53.

nos in virginibus prædicamus, quòd virgines ſunt, ſed quòd DEO *dicatæ peculiari ratione piæ continentiâ virgines ſunt.* S. Auguſtinum ſequitur S. Thomas 2. 2. q. 152. art: 3. vbi ſimul explicat in virginitate duo eſſe, vnum materiale & accidentarium; formale aliud, atque id quò ſpeciem, à caſtitate communi diſtinctam conſtituit.

14 Materiale eſt integritas membri, nullumque experimentum venereæ delectationis; meritò id dicitur materiale, & acceſſorium, poteſt enim ex aliqua cauſa deficere, illæsâ nihilominus remanente perfectione virginitatis, Integritas quidem membri poteſt vi, morbo, aut aliâ ratione tolli. Experimentum etiam delectationis carnalis fit in nonnullis violentiâ, in alijs morbo, aut naturâ ſe exonerante: de quo rectè S. Auguſt. Tom: 4. lib: vno de mendacio, c 7. *Quod* inquit, *violenter, non præcedente libidine patitur, corpus, vexatio potiùs, quàm corruptio nominanda eſt; aut ſi omnis vexatio, corruptio eſt, non omnis corruptio turpis eſt, ſed cui libido conſenſerit; ibi ergo ſeruari poteſt pudicitia, vbi nulla, niſi voluntaria poteſt eſſe corruptio.* Jam formali, & præcipuum in virginitate, & eſt propoſitum firmum, nunquam ſiue licitè, & in coniugio, ſiue illicitè extra illud, experiendi carnalè voluntariam delectationem: neque hoc ſatis eſt ad complendam, diſtinctâ ſpeciè formam virgineæ caſtitatis, niſi accedat votum, quo ipſa DEO dicatur, ad meliùs illi vacandum. Cum S. Thō: ita virginitatem declarantè, ſentit Caietanus in Commēt: quæſtionis nunc citatæ arti: 3 äſſerens virginitatem præciſo voto eſſe actum caſtitatis communis excellentiorem, quàm eſt actus caſtimoniæ matrimonialis, aut vidualis, propter perfectionem eius infra explicandam, quæ ex cōſilio, non ex præcepto ſuſcipitur: vbi verò acceſſerit votum, virginitas eſt diſtincta ſpeciè à communi caſtitate, pertinebitque ad virtutem Religionis, ad quam etiam ipſum refertur votum:

Digitized by Google

Tota iſta tantorum virorum de diſtinctione virginitatis doctrina, hac vnicâ ratione declarari poteſt; quod præciſo voto id quod potiſſimum eſt, ſemperque remanet in virginitate, ſit propoſitum, nunquam experiendi carnalem delectationem. Hoc verò propoſitum tale, comparatum ad conjugum & viduorum caſtitatem, eſt tanquam maius comparatum ad minus quid. nam nunquam experiri hanc voluptatem, eſt maximum quid, quod eſt virginum: nunquam verò in poſterũ, velle experiri, quod eſt in viduis, minus quid eſt: minimum in coniugatis, quibus licitum eſt, experimentum. Cùm verò maius, & minus (vt Dialectici dicunt) non variat speciem, quando tam magis, quàm minus, clauditur intra eandem formalẽ rationem, vt hîc cernere eſt (omnes enim hi, nempè coniuges, vidui, viduæque, & virgines, ſi caſti ſunt, temperant ſibi à voluptatibus) ſequitur, vt virginitas non ſit alterius, & diſtinctæ à communi caſtitate ſpeciei, niſi accedat Religionis votum. 55.

Duo verò ſunt obiter expedienda, quæ iam dictis videtur aduerſari. Nã ſi virginitas ex voto ſumit ſuã formalẽ diſtinctionem, hoc modo & caſtitas vidualis poſſet deſumere, cùm poſſit perinde, atque virginitas offerri DEO, imò & abſtinentia ab actu coniugali ad tempus, vel pro tota vita firmata voto, erit diſtincta ſpecie à communi caſtitate: non igitur rectè Patres & Doctores, ſoli virginitati, hanc ex voto aſſignant diſtinctionem. Ad hoc dicendum eſt, totum verum eſſe quod in contrarium adfertur; quod autem Patres & Doctores virginitati plus aliquid attribuant, non id ideò faciunt, quaſi illa Religionis voto ſuperet conjugalem, aut viduorum caſtitatem, voto etiã ſimili condecoratam (ſi enim formalis ratio voti ſpectetur, in eo cuiuis caſtitati adiuncto, omnimoda reperitur paritas) ſed quia eò quod in ipſa eſt arduum, & inſigne, nẽpe propoſito nunquam experiendi carnis vllam voluptatẽ, 56.

excellenter præſtat caſtitate coniugũ, & viduorum: propterquã excellẽtiâ meritò tot laudes, & encomia, ipſamq́; diſtinctionis formalis notam eſt nacta præ alijs vſitatioribus, & minus difficilibus caſtitatis communis operationibus.

57. Poteſt & alia ratio afferri diſtinctioni hui⁹ virginitatis à SS. Patribus aſſignatæ potius, quã alijs caſtitatis communis actionibus. Cùm enim naturæ Author DEUS idcircò maſculum, & fæminam in humana condidit ſpecie, vt per generationẽ prolis, cõſeruaretur, & propagaretur hominũ genus. Huic conditoris placito videtur contraire virginitas, omnẽ vſum negans corporis; quem concedit matrimonialis caſtitas, vidualis etiam ſaltem aliquando conceſſit. Vt igitur ab hoc dedecore (magnũ enim eſſet, Diuinæ obſiſtere volũtati) tã decora vindicaretur virt⁹, voti inſignitur excellẽtiâ, ſine qua procul dubio aut otioſa omninò eſſet, aut non ita præſtans virtus, atque eſt ſi decoretur voto. Otioſa tum eſſet virginalis ideò continentia; quòd cùm ſit de ſe, vt & aliæ operationes corporis, indifferens, niſi habeant honeſtum à ratione præfixũ finem; minimum inter otioſa computabitur. Quod ſi habeat aliquam aliam, non tamen voti moralem honeſtatem, erit quidẽ iam virtus, ſed non tam perfecta quàm

58. eſt, ſi ad cultum, religionem, amoremque DEI dirigatur.

Talis fuit imperfecta virginitatis virtus (ſi tamen cum vera corporis mentiſque integritate erat coniuncta) in nonnullis apud Ethnicos virginib⁹: aliqui enim perpetuò erant continentes, vt ad ſtudia tractanda eſſent aptiores: alijs viſum non nubere, nec ducere nuptam, vt amplæ opes, dignitaſque generis à paucioribus continerentur, neque diſtraherentur in plures: alij alios, honeſtos tamen poterant habere fines; ſed nullus adæquabat, ne dũ ſuperabat, eam virginum continentiam, quæ ad DEUM vltimum refertur finem; propter quem meretur tot laudes,

Digitized by Google

des, vt teſtatur S. Auguſt: ſupra citatus, dum inquit: *Nec nos in virginibus prædicamus quòd virgines ſunt, ſed quòd* DEO *dicatæ præ continentia ſunt virgines.*

Alterum obijci poteſt contra eandem virginitatis à communi caſtitate diſtinctionem, quod non ſit intra gen⁹ temperantiæ conſtituta, ſed ad aliud, nempe ad juſtitiam translata; religio enim & votum ad juſtitiam pertinet, vt de illa agentes videbimus. Cùm verò ſpecies, intra ſuũ genus formari debeant, vt in Logica docetur, non benè virginitas per Religionem caſtitatis communis ſpecies aſſignatur. Ad hoc reſpondetur, virginitatem voto ornatam, non eſſe ſpeciem temperantiæ, aut communis caſtitatis, propterea, quòd (vt Logici docent) ſpecies debet differentiam habere intra ſuum genus, & conformem ei, neque extrahentem illud ad aliud genus oppoſitum. Nã v. c. animal extraheretur ad genus oppoſitum, ſeu ad viuens inſenſibile, ſi per aliquam inſenſibilitatis contraheretur differentiam, id quod relinquimus accuratiùs expendendum Logicis. Virginitas ergo DEO per votũ oblata, non poteſt eſſe ſpecies temperantiæ, cùm votum ad juſtitiã ſpectet; nec caſtitatis cõmunis, tum propter dictam rationem, tum etiam quòd caſtitas ſit infima ſpecies temperantiæ, ſed eſt actus caſtitatis communis, per votũ oblatus DEO, perinde atque alia bona opera, ſolent per votum offerri. Non datur quidem hoc in Phyſicis, vt operatio vnius rei, in certa ſpecie cõſtitutæ, traſferatur ad aliam ſpeciem, ſiue mutetur in operationem alterius rei, in alia ſpecie conſtitutæ: Exempli cauſa, vt viſiuæ potentiæ viſio, fiat auditio, potentiæ auditiuæ: Id inquam in Phyſicis non datur, eò quòd hæc conſtent principijs internis, quæ per fines extrinſecus, ſuperuenientes non variantur. Cæterum moralia fundantur in appetitu rationali, qui varios extrinſecos fines operationibus, iam internè & Phyſicè conſtitutis præfigendo, & ad illos eas or- 59.

Digitized by Google

dinando, diuerſificat ſpecies morales, pro finium diuerſitate, Non diſputo hic de modo, quo id fiat, vtrũ prius, etiam tempore conſtituta phyſicè vna operatio, ad finem extrinſecum dirigatur, an verò ſaltem ratione priùs, ſubtilioribꝰ Philoſophorũ indagationibus hoc relinquendo; hic ſolùm dico moralem adhibendã eſſe conſiderationem in noſtro propoſito. Virginitas enim, ſeu actus caſtitatis in ſua ſpecie internè conſtitutus, refertur ab appetitu rationali, ad DEI cultum & Religionem per votum, & ſic euadit cultus Religio DEI, tranſitque à ſua specie ad alienam, non omittendo ſuam, ſed ad ſuam nouam aliã admittendo, ita vt in virginitate, id quod caſtitatis eſt materiale; quod Religionis formale cenſeatur.

60. Verùm his difficilioribus in materia præſenti omiſſis, id quod ad honeſtatem morum ſpectat, inferimus ex iam dictis, fatemurque virginitatem ſecluſo voto, partim eſſe actum virtutis caſtitatis communis, partim rem quandam indifferentem, quæ in ſua specie, nec bona, nec mala eſt. Eſt actus virtutis, in quantum virgo abſtinet ab omni, etiam prima illicita carnis delectatione; eſt quoque res indifferens, vt pote per quam virgo conſtituitur, in diſtincto à coniugum, & viduorum, viduarumque ſtatu, qui virginitati valedixerunt Quemadmodum autẽ matrimonij vſus à fine; (qui eſt vnio animorum, remediũ cõcupiſcentiæ, & conſeruatio ſpeciei, per generationem prolis) ſuam ſortitur honeſtatem; qui finis ſi abfuerit, luxurioſa vita maris, & fæminæ dicenda: Viduorum etiam; viduarumque continentia, ad finem honeſtum referenda eſt, vt nimirum vacetur DEO, aut aliud quid piè honeſtèue fiat, quem finem ſi vidui viduæque non proponant, continentia eorum perinde erit res indifferens, ac eſt abſtinentia à cibo, & potu: de qua dicemus c. ſequenti n.14. explicando ipſius honeſtum finem, ita & virginitas finem quempiam honeſtum præfigere ſibi debet, vel vacandi DEO

DEO liberius; vel carendijs diſcordijs, varijſque periculis, quibus ſtatus matrimonialis abundat. Hoc vel ſimili fine ſi careat, abſtinere ſemper à licita carnis copula, à natura, & DEO in matrimonio conceſſa, erit indifferens quid, & nulla prorſus virtus. Quare rectè docet S. Thom: 2. 2 q. 152. art: 2. in Corp: virginitatem fore illicitam, niſi ordinetur ad aliquod animæ bonum, finemque honeſtum.

Et hūc quidem varium ſibi virgo proponere poteſt, ſicut & vidua, aut viduus; ſed præſtantiſſimus eſt, vt antea dixi, cultus, amorque DEI, & imitatio JESU Chriſti, Matriſque eius, qui excellentiſſimū in ſe virginitatis exēplum, futuro ad mundi finem ſæculo reliquerunt; talem finem commendat S. Paulus 1. Cor: 7. *Virgo cogitat quæ Domini ſunt, vt ſit ſancta corpore & ſpiritu, hoc ad vtilitatem veſtram dico, ad id quod honeſtum eſt, & quod facultatem præbeat, ſine impedimento Dominum obſecrandi.* Commendat etiam idem, ipſemet virginum Princeps Chriſtus, laudando ab hoc tali fine virgines, Eunuchiſque comparando: *Sunt* inquit S. Matth. 19. *qui de matris vtero nati ſunt, & ſunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cœlorum: qui poteſt capere, capiat.* Nunquam velle experiri carnis voluptatem, amore & intuitu regni cœleſtis, eſt eſſe virginem piā, & tali virginitate, quæ eſt directa ad conſequendam beatam vitam. 61.

Verba autem illa Domini *qui poteſt capere capiat*, præſtātiam tantæ virtutis, & veritatem indicant: ibidē enim Dominus affert cauſam, cur non ſit frequens in vſu virginitas, eò quòd nolint homines capere conſilium à Spiritu Sancto immiſſum de colenda tali caſtitate: quapropter, paucioribus illud ſuggeritur: *Non omnes*, inquit, *capiunt verbum hoc, ſed quibus datum eſt.* 62.

Sectio Duodecima.

Quid in Beatiſſima Virgine cultores virginitatis ſpectare debent?

ET quoniam duos hic proponimus imitandos virginibus, in præclara hac virtute, Filium nempe DEI in noſtra carne, & Matrem eius, à qua ipſe carnem accepit, ad maiorem virginitatis laudem, afferam ex S. Auguſtino, quæ ille de hac ipſa imitatione ſcripſit, ſunt enim digniſſima lectu, atque intellectu. Primum autem oſtendit id, quod ſupra, ex illomet diximus n. 53. virginitatem Matris DEI, ideò fuiſſe ſanctam, & præclaram, quòd fuerit relata ad cultum Diuinum, hoc enim Tom: 6. lib: de S. Virginitate, c. 3. ex illis verbis Chriſti Matth: 12. *Quicunque fecerit voluntatē Patris mei, qui in cœlis eſt, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt*, ita deducit. *Quid*, inquit, *aliud nos docet, niſi carnali cognationi; genus noſtrum ſpirituale præponere? nec inde beatos eſſe homines, ſi juſtis & ſanctis, carnis propinquitate jungātur; ſed ſi eorum doctrinæ & moribus obediendo, atq; imitando, cohæreſcunt. Beatior ergo Maria percipiendo fidem Chriſti, quam concipiendo carnem Chriſti: ipſa quoq; virginitas eius gratior & acceptior, quia nō eā cōcept⁹ Chriſt⁹ viro violaturo, quā conſeruaret ipſe, præripuit, ſed priuſquā cōciperetur, iam DEO dicatam, de qua naſceretur elegit.* Hoc indicant verba, quæ ſibi fœtum, annuntianti Gabrieli Maria reddidit: *Quomodo fiet iſtud, quoniā virū nō cognoſco;* quod profectò non diceret, niſi DEO virginem ſe antevouiſſet: ſed quia hoc Iſraelitarum mores adhuc recuſabant, deſponſata eſt viro juſto, non violenter ablaturo, ſed potiùs contra violentes cuſtodituro quod, illa iam no-

fuerat. Hoc oſtenſo pergit ibidem S. Doctor c. 5. laudare; ſolando, quodammodo virgines, vel potiùs prædicando miram quandam, & ab hominum ſenſu alienam in illis fæcunditatem: *Non eſt, inquit, cur DEI virgines contriſtentur, quòd etiam ipſæ virginitate conſeruatâ matres eſſe non poſſint; illum enim ſolum decenter virginitas parere poſſet, qui in ſua natiuitate parem habere non poſſet; verùmtamen ille vnius ſanctæ virginis partus, omnium ſanctarum virginum eſt decus, & ipſæ cum Maria matres Chriſti ſunt, ſi Patris eius faciunt voluntatem: hinc enim & Maria laudabiliùs atque beatiùs Chriſti Mater eſt, ſecundum eius ſententiam: quicunque fecerit voluntatem Patris mei, ille mater mea eſt.* Has ſibi omnes propinquitates in populo, quem redemit, ſpiritualiter exhibet, fratres, ſorores habet ſanctos viros, & ſanctas fæminas, quoniam ſunt illi in cœleſti hæreditate cohæredes: mater eius eſt tota Eccleſia; quia membra eius, id eſt fideles eius per DEI gratiam, ipſa vtique parit; item mater eius, omnis pia anima faciens voluntatem Patris eius, fæcundiſſimâ charitate, in ijs, quos parturit, donec in eis ipſa formetur. Maria ergo faciens voluntatem DEI, corporaliter Chriſti tantummodò Mater eſt; ſpiritualiter autem & ſoror, & mater. Et quia poſſent dicere, inquit, ibidem Auguſtinus c. 7. coniugatæ ſe partiri cum virginib', id in Maria reperitur; vt enim illa Mater eſt, & quod ſimul virgo; ita ipſæ ſunt matres tantùm, virginib' autē cōcedūt virginitatem; respondet eo loco: *Hæc, inquit vox fidelium coniugatorum ad ſacras virgines vtcunque eſſet ferenda, ſi Chriſtianos corpore parerent, vt hoc ſolo eſſet Mariæ fæcunditas carnis præſtantior, quod illa ipſum caput horum membrorum; hæ autem membra illius capitis procrearent: nunc verò etiamſi ob hoc tantùm viris jungantur, vt filios habeant, nihilque aliud de filijs cogitent, niſi vt illos Chriſto lucrentur, atque id mox, vt potuerint faciant, non tamen Chriſtiani ex earum carne naſcuntur, ſed poſtea fiunt, Eccleſiâ Chriſti pariente per hoc quod membrorum*

Chri-

Digitized by Google

Chriſti ſpiritualiter mater eſt, cuius etiam ſpiritualiter virgo eſt, cui ſancto partui comparantur, & matres quæ non Chriſtianos corpore pepererunt, vt fiant, quod ſe corpore parere non potuiſſe nouerunt. Hoc ſuo diſcurſu oſtendit S. Auguſtinus, primò Beatiſſimam virginem eſſe Matrem capitis fideliũ; peperit enim DEUM & Hominem: matres autem carnales, pariunt ſolùm homines, qui poſtea fiunt filij Dei, mẽbraque Chriſti, & ex hoc maternitas earum, eſt longè inferior maternite Chriſti corporali. Deinde oſtẽdit maternitatem earundem, eſſe inferiorem virginitate, non ſolùm glorioſæ Virginis MARIÆ, ſed omnium virginum, DEO conſecratarum, & propter fæcunditatem ſpiritualem, ſupra iam allatam, & propter cultum, religionemque Diuinam, ad quam refertur vnde c. 8. ita concludit: *Nulla ergo carnis fæcunditas, ſanctæ virginitati, etiam carnis, comparari poteſt, neque enim & ipſa, quia virginitas eſt, ſed quia DEO dicata eſt, honoratur, quæ licet in carne ſeruetur, ac per hoc, ſpiritualis eſt etiam virginitas corporis, quam vouet, & ſeruat continentia pietatis* Poſtremò conferendo virgines DEO dicatas, cum aliis caſtis illis, inter hos dat primas in cœlo: *Cùm error,* inquit, *ſit* (loquitur eodem lib. 6. de virginitate c. 19.) *vel æquare ſanctæ virginitati nuptas, vel damnare; nimis inuicem, fugiendi duo iſti errores, aduerſa fronte confligunt, quia veritatis medium tenere voluerunt; quo & certa ratione, & Sanctarum ſcripturarum authoritate, nec peccatũ eſſe nuptias inuenimus, nec eas bona, vel virginalis continentiæ, vel etiam vidualis æquamus.* Tandem c. 27. ita virgines alloquitur; *Pergite Sancti Dei pueri, ac puellæ, mares ac fæminæ, pergite perſeueranter in finem lumbis accinctis, & lucernis ardentibus, expectate Dominum, quando veniet à nuptijs; vos afferatis ad nuptias Agni Canticum nouum; quod cantabitis Cytharis veſtris: ſic enim vos vidit in Apocalipſi (c. 14.) præ cæteris dilectus Agno. qui diſcumbere ſuper pectus eius ſolitus erat: & quia ſequimini Agnum, quocunque ierit, ſcripſit ille* de

de volis. *Quò ire putamus hunc Agnum? quò nemo eum ſequi, vel audeat, vel valeat, niſi vos; quo putamus eum ire? in quos ſaltus? in quæ prata? vbi credo ſunt grandia gaudia, non gaudia hui⁹ ſæculi vano, inſaniæ mendaces, nec gaudia qualia in ipſo regno DEI, cæteris non virginibus erunt, ſed à cæterorum omnium gaudiorum ſorte diſtincta. Gaudium virginum Chriſti; de Chriſto, in Chriſto, cum Chriſto, pro Chriſto, propter Chriſtum. Gaudia propria virginum Chriſti, non ſunt eadē, non virginum, quamuis Chriſti, nam ſunt alijs alia, ſed multis talia. Ite in hoc, ſequimini Agnum; quia & Agni caro, vtique virgo, hæc enim in ſe retinuit, quod matri, non abſtulit conceptus, & natus.* Huc vſq; Auguſtinus. Hæc gaudia, atque hæc cœleſtia præmia, quò intelligatur meliùs, ſunt latiùs atque diligentiùs expendenda, poſt tot à S. Doctore relata virginum laudes.

Sectio Decimatertia.

Quodnam ſit virginum in cœlo præmium, præ cæteris ſingulare?

QUEM igitur locum, quamue prærogatiuam mereatur in regno cœlorum, virginum rara in terris, cœloque caſtitas, ſcimus in viſione quadam S. Joannis Euangeliſtæ declaratum, quam ille ſic exponit Apocal: 14. *Et vidit, & ecce Agnus ſtabat ſupra montem Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor millia: habentes nomen Eius, & nomen Patris eius, ſcriptum in frontibus ſuis. Et cantabant quaſi Canticum nouum ante ſedem, & nemo poterat dicere Canticum, niſi illa centum quadraginta quatuor millia. Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coninquinati, vir-* 63.

Digitized by Google

gines enim ſunt, hi ſequuntur Agnum quocunque ierit. Duas ſingulares virginum in cœlo prærogatiuas, illis ſolis hic videmus conceſſas, cantare nouum canticum, & ſequi Agnum & quanquam non ſint additæ exceptiuæ illæ particulæ, in hac ſecunda prærogatiua, perinde ac in prima; vbi legimus: Nemo poterat dicere canticum, niſi illa centum quadraginta quatuor millia; videtur tamen eadem exceptio extendi ad alteram prærogatiuam; & virtute includi in iſtis verbis: Hi ſequuntur Agnum, quaſi dicere voluiſſet S. Euangeliſta; qui ſoli cantant, hi etiam ſoli ſequuntur. Legimus quidem Apoc. 19. de exercitu cœleſti, hoc eſt de Angelis: qui Chriſtum, ad judicium deſcẽdentem proſequentur. Omnes etiam Beati, abſoluto extremo Tribunali, ſequentur Judicem & Dominum ſuũm; ſed non ita vt virgines, quibus ſingulari Chriſti priuilegio, conceſſum eſt dicere nouum quoddam Canticum, tum, cùm ſequuntur eum quocunque euntem, & non ad debellandos rebelles deſcendentem, neque cum triũpho victoriaque redeuntem; ſed in cœlo regnantem.

Sectio Decimaquarta.

Qualis erit cantus vocis, & curſus pedum à virginibus in cœlo exhibendus?

64 CAnticum iſtud, & ratio ſequendi Agnum quocunque ierit; poteſt inprimis ad corpus referri virginũ: Nam cùm beatis nulla corporis delectatio, condecens eorum ſtatum, & felicitatem deneganda ſit, ad quã illos cœleſtis inuitat Sponſus, 1. Cant: 5. *Veni in hortum meum, ſoror mea Sponſa: comedite amici, & bibite, & inebriami-*

mini chariſſimi. Cãtica quoque & curſus, eiſdem ſunt concedenda, vt pote, quæ & indicia ſint lætitiæ, & ipſa lætandi, exultandiquè jucunda operatio. Poſſunt ergo cantici illius, eiuſmodi eſſe verba, quæ laudes DEI, virginumque exprimant, DEI tanquam largitoris tanti doni, de quo teſtatur Chriſtus Math: 19. *Non omnes capiunt verbum hic, ſed quibus datum eſt;* virginum vt lætantium, & gratulantium ſibi poſſeſſionem doni illius. Sicut autem alij Beati, non ſunt virgines, nequeunt ſibi gratulari donum, quo carent; ita nec cantare poſſunt canticum continens gratulationem, pari modo, neque ſequi Agnum, tum, cùm ille ad complendam cantici iucunditatem, ac dulcedinem, adhibet cœleſtes choros.

Meritò hæc duo, cantare ſcilicet, & ſaltare virginibus ſunt data, tanquam ſingularia, priuilegia denotantia 65. virginitatis integritatem. Vt enim in corpore, eſt ſuperior pars os, caputque, inferior, ſunt pedes, ita in toto homine, pars ſuperior eſt Anima, inferior corpus. Cùm verò virginitas (vt ſupra n. 54. docuimus) non in corpore ſolo, ſed (& quidem principaliùs) in anima ſubſiſtat; rectè tam pedes virginum, quàm os, tripudiant, ſignificantque tantam fuiſſe in illis corporis animæque in tuenda virginitate concordiam, quanta eſt inter pedes & os, choros ducentium & canentium: illi enim ad numerum dextrè currunt, hoc eundem concinna profert voce ac ſono.

Poteſt & alia prædictarum prærogatiuarum dari cauſa. Etenim virgo, in mortali adhuc degens corpore, abũ- 66. dat copià purioris ſanguinis, propterea, quòd abſtinendo ab actu carnali, ſpiritus calidiores, ſubtilioresque ſanguinis partes, quæ per eiuſmodi actũ (vt Phyſici demõſtrãt) plurimæ euaneſcunt, in ſe recluſas contineat. Hinc verò totius corporis, ſana iucundaque ſequitur conſtitutio, quæ ad lætandum pronior eſt; propterea pueri juueneſque, o-

mnes

mnes etiam ſanguineæ complexionis, vt plurimum ſunt lætiores, eò quòd ſpiritibus & calore abundent. Quare ſi virginea corpora propter abundantiam caloris, ad motum, ad curſus, ad tripudia feruntur, quaſi lætitiam, & leuitatem caloris, ſpirituumque comitem, intra ſe cohibere non valentia; & ſi hoc in præſenti vita ſentitur, in qua multa ſunt, quæ calorem primitiuum retundant, diſſipent, & tandem extinguant; quid dicendum de beata vita, in qua corpora perfectiſſima, & perenniter ſtabili gaudebunt temperie, ſumma agilitate, & ſubtilitate dotata. Et licet omnes Beati conuenientiſſima fruentur corporis temperatura; nihil tamen prohibet, exiſtimare, amplius quid in ea conceſſum in virginibus, vt præmium merito, & immortale corpus mortali conformetur. Si ergo in terris pleniore, jucundioreque corporis habitu virgo vtitur, quàm alij non virgines; idem jure quodã in cœlis quoque habere debet. Denique ſi quorundam Beatorum, ſubtiliora, lucidiora, agilioraque erunt corpora, pro meritorum copia, & qualitate; cur dicere verebimur, tanti eſſe virginum caſtitatem, apud DEUM meriti, vt earum corpora, purioribus, ſubtilioribus, & agilioribus repleantur ſpiritibus; quippe quæ ea puritate erant inſignita, quæ omnem aliam, ſiue coniugum, ſiue viduorum ac viduarum ſuperat caſtimoniam. Omnino ſolis virginibus, & cantare canticum nouum, & ſequi Agnum, ob rationes iam explicatas, proprium eſt ac ſingulare.

67. Et cùm inter ſequentes quempiam vnum, alij viciniores, remotiores ſint alij, dicendum eſt in Beatiſſimo illo virginum choro, poſt Agnum primam eſſe, quæ eſt virginum prima, Mater, & Virgo MARIA; tum ſequuntur alij, tantò primis viciniores, quantùm caſtiores; cantantque canticum, eò jucundiore quiſque voce, modis proportionum, ac viciſſitudinum gratioribus, quò pectus, at-

que

Digitized by Google

æque os puriùs habebit. De Sancta Chriſtina virgine, inter alia mira quæ patrauit, hoc refertur in geſtis eius, à Carthuſiano de nouiſſimis, Articu: 50. & de judicio animæ Arti: 10. Fundendo illa noctu ad DEUM preces, in æde ſacra, audita eſt interdum eiuſmodi edere ſonos, vt ij humanis vocibus non eſſent comparandi; non ob ſuauitatem tantùm; ſed ob miram varietatem, quam puto in hoc fuiſse, quòd multi ſimul accinere videretur. Virginitatis hæc ſunt modulamina, etſi in valle lacrymarum ac mæroris, adeò accepta, qualia erunt in monte gaudiorum, ac deliciarum de quo Propheta Pſal: 35: *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, torrente voluptatis tuæ potabis eos.*

Vel hæc ſola tanta cœleſtis lætitia, merceſque ſingularis, maximo deberet eſſe fidelibus ad virginitatem colendam incitamento; quam mercedem ſi noſſent infideles multi hanc præclarã caſtitatem, in maiori pretio habuiſsēt, quàm eſt apud plures fideles, cùm ſciam? ex illis quoſdam ſoliùs honeſtatis ductu, non leuia feciſſe, amore caſtitatis. Plutarchus in vita Demetrij Ducis exercitûs, ſcribit, de Adoleſcente Democle, inſigni formâ, quem cùm Dux ille ad libidinem nunquam pertrahere poſſet, in priuato balneo ſolum adorſus eſt, inermis viribus, & omni ope deſtitutus Adoleſcens, nihil aliud, quò ſe tutum reciperet, habuit, præter ahenum feruentis aquæ, eò igitur inſilijt, mortem eligens, teſtem & patronam pudicitiæ. Huiuſmodi facta, erunt argumenta contra fideles, pro virginitate, ad cuius amorem, non honeſtas tantum, ſed ingens etiam præmium incitare deberet **68.**

Sectio Decimaquinta.

Num plures ſunt in cœlo conſonantiæ muſicæ, quàm ſint in hac vita?

69 SED ad cœleſtia cantica virginum redeundo, varietatem illam modulationis Sanctæ Chriſtinæ libet pro occaſione accipere, obiter quærendi, vtrumnè conſonantiæ vocum cœleſtium eædem ſint futuræ, quæ hic, an aliæ aliquæ; vel plures, quàm quæ ſunt apud nos. Quod vt melius proponam, tria in cantu conſidero, vocem, gratiam modulandi, & ſonorum, proportionumque concordantiam. De prioribus duobus nihil eſt dubij, nam ſi omnes operationes, ſiue ſenſuum ſiue aliarum potentiarum in corpore Beati, perfectiores erunt, quod vno verbo exprimit S. Paul. 1. Cor. 15. aſſerens corpus in Beatis fore ſpirituale (*ſeminatur*, inquit, *corpus animale*, *ſurget ſpirituale*) etiam vox, quæ eſt operatio oris, linguæ, & aliorum inſtrumentorum perfectior erit: gratia item, vtendi voce, ſeu modulandi, maior tum erit: quàm nunc eſt. De tertio fortè alicui videbitur opinandum, eaſdem fore conſonantias perfectas quidem, tertiarum, quintarum, & octauarum, imperfectas autem ſextarum, demum vt in ligaturis & cadentijs fit, ſecundarum, quartarum, & ſeptimarum. Ratio pro hac opinione afferri poteſt, quòd plures conſonantiæ vltra has non videantur poſſibiles. Verùm hæc ratio, vnum duntaxat oſtendit, quòd plures cōſonantiæ ab arte humana, neque hactenus ſunt excogitatæ, neque videntur poſſe excogitari, idcirco, quòd nec à voce mortalis corporis, aliquæ aliæ excogitari queant. Cùm verò alias ſit vox immortalis corporis, cui ſe accommodādo, infinita Dei ſapientia, & potentia, poſſit reperire proportionū modos, ignotos in hac vita muſicis, tā facilè eſt concedere plures ibi fore conſonantias, quàm facilè, & dignum eſt, de Diuina ſapientia & potentia, cogitare, eas ab illa poſſe, alias, atque alias inueniri. Ipſa certè ſecūda v. g. dexterrimè, ſubtilliſſimèq;, & media inter prima & ſecundā modulatione prolata, poteſt gratior eſſe, quàuis perfectā harmonia. Quòd ſi id cogitare, nihil apparet ab-

abſurdi, exili noſtræ intelligentiæ licet exprimere voce,
quod cogitamus, non poſſumus; quò non pertinget ars
DEI infinita, & omnipotens vis ac dexteritas.

Confirmat id varietas in gutture S. Chriſtinæ, vt v- 10.
na multiformes ſonos, hoc eſt, vt ego opinor, Baſſi, Te-
noris, alti, & diſcanti ſimul ediderit (alia enim varietas in
ſolo canente, & non accinente vlli muſico inſtrumento
habenti diuerſitatem ſonorum, non magnam habet grati-
am) quæ clarè demõſtrat aliam fore modulandi artem; ve-
rumque eſſe de hoc vno, quod de omnibus teſtatur Apo-
ſtolus 1. Cor: 2. *Auris non audiuit, nec in cor hominis aſcen-
dit, quæ DEVS præparauit ijs, qui diligunt illum.* Et hæc à
poſteriori, ſiue ex reuelatis ſumpta, ſit alijs certior pro-
batis eorum, quæ affirmo, aliam in cœlis omni ex parte
fore cantandi rationem.

Sectio Decimaſexta.

Quis erit cantus, & curſus virginum in anima?

PRæter has duas virginei corporis prærogatiuas, ſunt 11.
aliæ totidem in ipſa virginis anima, cantici quidem,
& curſus; ſed tantò præſtancioris, quantò Beata ani-
ma, præſtat beato corpori. Scribit Plinius Hiſt. 10. c. 5.
de quadam virgine, quæ educauerat Aquilam, miſſamq;
fecerat; tantum in ſuam benefactricem concepit affectũ
alumna auis, vt libera iam, ad eam toties redierit, vena-
tu alendi curam remunerans: & cùm vltimò mortuam re-
periſſet, adeò indoluit, vt in pyram ad comburendum
virginis corpus præparatam, ſe vltrò iniecerit conſumen-
dam. Non puto amorem hunc à ſola alimentorum præ-

ſti-

Digitized by Google

ſtitorum memoria profectum; nam multi alunt aquilas, à quibus id gratitudinis non referunt. Crederem potius ad memoriam illam, acceſſiſſe notitiam quandam virginei corporis, in phantaſia aquilæ excitatam; præbente occaſionem eiuſdem notitiæ, olfactu, vel attactu virginis, ex hac tali interni ſensûs ſeu phantaſiæ apprehenſione, orta fuit illa potens in virginem affectio, quæ in ſui etiam necē impulit aquilam. Naturæ hic inſtinctus in volatili, quod ob generoſitatem Rex cæterorum appellatur; celſitudine declarat virginitatis, quæ ad ſui amorem traxit magninimam auem. Quantum verò trahet illos oculos, quibus (nimirum celſiſſimis) nihil humile, & abiectum placet; ſed id ſolum; quod ad illius immenſam altitudinem, vtcūque aſcendit; huiuſmodi eſt caſtitas virginalis, quæ Diuinos oculos, & cor ad ſe trahit.

72\. Saluator Samaritanæ illi mulieri, dixerat aliquando, vt eſt in Joan: c. 4. *Spiritus eſt DEVS, & eos qui adorant eum, in ſpiritu oportet adorare, nā & Pater tales quærit*. Quo ſuo dicto voluit intelligi illud, vt ij ſint accepti, gratique ipſius cultores, ſerui, atque amici, qui ſpiritu ab ipſo accepto, illi ſunt ſimiles: licet carne conſtant, non tamen juxta carnem viuant; quod vt difficultatis, ita & laudis maioris eſt. Tales DEUS quærit, amatque, tanquam quid ſpiritui ſuo Diuino conforme, & conueniens. Ipſe enim de huiuſmodi teſtatus eſt Eccl: 13. vbi cùm præmiſiſſet: *Omni viâ tuâ dilige DEVM*, mox oſtendit, qui ſunt illi qui dilectione adhærent DEO, tanquam ſimile ſimili: *Omnis*, inquit, *caro ad ſimilem ſibi coniungetur, & omnis homo ſimili ſibi ſociabitur*, nimirum puriſſimo ſpiritui DEO, purius mente & corpore.

73\. Hanc ſimilitudinem inter DEUM & virgines, dum expendo, meminique illius Aquilæ amatricis virginis, facilè credo, idcircò DEUM tanta per virginem pulcherrimam, ſororem Theodoſij iunioris patraſſe, vt oſtenderet

cul-

Digitized by Google

cultores caſtimoniæ virginalis ad magna eſſe deſtinatos, & per Aquilam, inter volatilia regem, rectè poſſe notari. Pulcheria hæc virgo (de qua Baronius Anno Chriſti 415) parentibus orbata, fratris, & duarum ſororum tutelam geſſit, imperiumque rexit orientis. Ad tantam regiminis & curarum molē, virginitatis, quam DEO vovit, præſidio munita, Latinas, Græcaſque didicit literas, Sorores duas ad ſimile caſtitatis ſtudium induxit; verita, nè ſi maritis traderentur, Jmperium diſtraheretur. Scilicet intellexit prudens virgo id ad futurum Jmperij onus apprime fore neceſſarium. Fratrem Theodoſium pietate, doctrina, re militari formandum, aptis tradidit Magiſtris, qui inter cætera præclaræ educationis documenta, Pulcheriæ juſſu, tenello adhuc Theodoſio, amorem in clerū inſtillârunt. Poſtremò diu & feliciter adminiſtravit omnia, de qua verè dici poteſt, quòd vna Puella cum Puello Jmperium tenuerit mundi.

Jllud videtur defuiſſe in virgine iſta, quòd ad bellādum non legatur prodijſſe, ſed & hoc conceſſum fuit alteri virgini, Joannæ Tulenſi in Gallia, quæ à Carolo ſeptimo Gallorum Rege copijs, & re militari inſtructa, exercitum contra Anglos duxit: equo ipſa inſidens, aciem ordinabat, arma tractare, cæteraque quæ milites præſtant erat ſolita exercere; quo in munere feliciſſima fuit, ſæpiuſque hoſtem fudit; Nortmanniam, Aquitaniam, & quidquid erat iniquè ablatum, feliciſſimè recepit. Capta per inſidias ab Anglis, tunc cum DEUS juſto judicio Gallos punivit, eò quòd Rex illorum Philippus Pulcher, decimas fūdis Eccleſiaſticis impoſuerit, & Pontificem Bonifacium octavum reclamantem, carceri tradiderit, Antipapam Clementem quintum in eius ſubſtituerit locum. Jtaque cum capta Joanna, crudeliſſimè velut ſaga eſt combuſta, ſed Caliſti Tertij Pontificis juſſu res eſt examinata, & compertum illam fuiſſe non ad nocendum innoxijs, ſed ad 74.

Digitized by Google

vindictam malorum diuinitùs excitatam, de qua plura qui volet, in Polidoro lib. 13. & Æmiliano lib. 10. Hæc omnia declarant virginum gratiam, qua pollent apud Deum. Verùm relictis his, quæ illis in terra diuinitus conceduntur rariùs, ad cœlum conſcendamus, expendamuſque curſum, & cantica, quæ exercent glorioſæ earum animæ.

75. Et vt faciliùs illa capi poſſint, ſciendum eſt, menti humanæ conceſſum eſſe diſcurſum in ijs, quorum illa notitiam, eò quòd ſubtilia, alta, vel difficilia ſint, non poteſt aſsequi, niſi cauſas, & principia indagando: quod dum facit, miratur ſimul tantò amplius, quantò res, quam inueſtigat, magis ſuperat captum. Vnum ex ijs quæ diſcurſu cognoſcuntur, teſtatur eſſe DEUM eius S. Spiritus Eccl: 43. *Exaltantes eum replemini virtute, ne laboretis, non enim comprehendetis*: docentque Theologi cum S. Thoma 1. Parte q. 12. art: 7 à nullo creato intellectu, quantumuis beato, poſſe DEUM comprehendi, ſiue ita clarè videri, aut diſtinctè cognoſci, vt eius Maieſtas, & infinita poſſit excellentia. Jllud quoque apud omnes in confeſſo eſt, vnumquemque beatum, quò dignior eſt, meritique maioris, eò perſpicaciore mentis acie pollere ad clariùs intuendam infinitam illam lucem, ſummas Diuinorum attributorum inueſtigando excellentias, & ſtupendo perfectionem cuiuſque, quam nunquam ſatis aſſequi poſſit.

76 Jnter hos è Beatis digniores, cæteris paribus, erunt virginum animæ, quarum paritas oculos intelligentiæ nitidiores & perſpicatiores reddet, vt puritatis, ac pulchritudinis immenſum, infinitumque ſplendorem audaciùs conſpiciant. Diſcurrunt ergo virgines ſequendo Agnũ, Caput & Ducem omnium virginum, vt ſicut beatiſſima illius mens, ad altiſſimam Diuinitatis intelligentiam eſt euecta, ita etiam ipſæ merito virginitatis ſuæ, ſint Agno viciniores cæteris; nõ loco, ſed claritate, & notitia Diuinita-

Digitized by Google

tatis. Cantabunt etiam ita diſcurrendo, canticum, quod nemo non virgo cantabit. Nam præ cæteris prædicabũt laudes Deitatis, in iiſque exultabunt tantum, quantum vnaquæque pro dignitate ſua poterit; minùs tamen poterit, quàm meretur dignitas Diuina, vt illo eodem loco Eccle: fatetur Spiritus S. *Glorificantes Dominum, quantumcunque potueritis, ſuperualebit enim adhuc & admirabilis magnificentia eius. Benedicentes Dominum, exaltate illum quàm poteſtis, maior enim eſt omni laude.* Hos tales Beatorum mentium in immenſa, vt inquit S. Paulus ad Ephes: 3. latitudine, lõgitudine, ſublimitate, & profundo diſcurſus, hos cordis iubilos; præ aliis, Beatis Virginibus DEUS conceſſurus eſt, cæteris tamen, vt ſupra dixi paribus. Nam fieri poteſt, vt quiſpiam Sanctus, & non virgo, ſuperet virginem magnitudine charitatis, quæ eſt, vt docet S. Paulus 1. Cor: 13. omnium, etiam Diuinarum virtutum prima, & maxima radix meriti, dignitatiſque omnis; hic ergo ita charitate præditus, clariùs DEUM videbit, laudeſque eius decantabit beatius, quam aliqua virgo minùs diligens DEUM. Cæterùm ſuppoſita charitatis, aliarumque virtutum (quæ charitati cooperando, habent ſua quoque merita) paritate, præmia hactenus explicata manent virgines, nempe diſcurſus, & cantica talia, qualia aliis non virginibus negabuntur.

Ad tanta virginea præmia, deducit omnes, quotquot illa aſſequuntur, Agnus cœleſtis: *Sequuntur enim Agnum.* (inquit Joannes) *quocunque ierit*; quod ipſum nõ minùs eleganter, quàm dulci ænigmate expreſſit Zacharias Propheta c. 9. *Quid enim,* inquit, *bonum eius eſt? & quid pulchrum eius? niſi frumentum electorum? & vinum germinans virgines.* Frumentum electorum vocat carnem virgineam, vinum puriſſimum, ſanguinem futuri Meſſiæ & Saluatoris DEI. Hac carne ſaginati, hoc vino inebriati, nonnulli electorum, adeo alterantur, mutanturque, vt 77.

Digitized by Google

illud quod ſpiritui & Angelis naturâ eſt proprium, ſibi hominibus conceſſum teneant, nullos videlicet carnis ſentire ſtimulos, quemadmodum omnibus etiam beatis conceſſum teſtatur Chriſtus Marci 12. *Cùm à mortuis reſurrexerint, neque nubent, neque nubentur, ſed ſunt ſicut Angeli in cœlis.*

Præclara ſanè, laus & vtilitas ſelectiſſimi huius frumēti, & defæcatiſſimi vini corporis ſanguiniſque JESU Chri-
78. ſti deducta ex fructu caſtitatis virgineæ, certo & crebro experimento compertum habent fideles, vſum Euchariſtiæ mirè conferre ad producendum potiſſimum DEI oculis puritatis germen. quod ſi non omnes colligunt hunc fructum virginitatis in terra corporis ſui, fortè vel tardiùs, nempè perdita virginitate, vel rariùs, vel minùs dignè paſcuntur illa diuiniſſima eſca, & potantur generoſiſſimo vino, Quicunque tamen quēcunque caſtitatis gradum nacti ſunt, huic frumento, huicque vino acceptū referant, ſciantque ſe minimè tutos, ac firmos in eo ſtare niſi cibi potuſque illius potentiſſima roborentur virtute. Cæterum illi qui eminent virginitate quemadmodū in mortali carne propè ſequuntur Agnum, tam præſtanti illuſtres virtute; ita immortales ſequētur eundem, infinita Diuinitatis percurrendo spatia, & cantando laudes celſitudinis eius, alijs ignotas.

Eam ob cauſam S Patres Joan: Euangeliſtæ tribuunt
79. altiſſimorum à Chriſto datam myſteriorum notitiā. quam illius pectori incubans hauſit affatim, eò quòd virgo fuerit. Vocatur idem Evangeliſta Aquila; quia volatu (iam explicato ſiue diſcurſu) mentis, prope eſt ſecutus illum, qui vſque ad dexteram Patris in ipſa Deitatis Maieſtate ſeſſurus conſcendit.

80. Si è terra, loco totius vniuerſitatis infimo, tantum vni⁹ virginis mēs cōcepit impetū, vt ad tantā pertigerit altitudinē, in eaq; reſederit, Sacratiſſima Trinitas arcana, & generationis Filij Dei explicādo, ac velut fulgura & radi-

dios inde in terras vibrando: quātū beata iā virginis eiuſdē anima, ex altiſſimo mundi loco, è cœlo nēpe ſe ſe attollet? & quo tandem in illam et altitudine promouebit? Sequitur virgo virginem: Joannes Chriſtum; ſequuntur ōnes, quotquot illa beatorum aula habet, habituraque eſt virgines & tam propè tamque procul ſequuntur, quàm puritatis nitor, ac excellentia, & dignitatis & virium dabit, dignitatis, vt prope; virium, vt longè ſequantur præcedentem. Neque plura reſtant de virginitate dicenda; cùm in eo ſiſtamus, quod illa ſummum expectare poteſt.

Sectio Decimaſeptima.

Hoſtis Caſtitatis Luxuria, quot, & quales habet filias?

Finiendum eſt hoc caput, breuiter ijs allatis, quæ caſtitatis bono, velut hoſtes, & latrones ſolent inſidiari, duce Luxuriâ, peccato vno ex ſeptem capitali. 81 Totidem nempè ſeptem luxuriæ famulantia vitia numerantur, ſingula, vt docet S. Thom: 2. 2. q. 154. diſtinctâ ſpecie; ante quorum explicationem, illud præmittendū eſt, quod ſupra hoc capite à n. 4. per aliquot obiter declaraui; quodque alijs peccatis eſt familiare; vt non tunc tātum cenſeatur committi, cùm opere adimpletur, ſed mēte, & affectu deliberato, hoc eſt aduertente ratione, & conſentiente aut quod maius eſt, imperante; vel certè permittente, vt affectus feratur in malum. Hoc diſertè docuit Chriſtus Matth: 5. *Qui viderit mulierē ad concupiſcendā eam, iam mœchatus eſt in corde?* Cuius doctrinæ ratio, & fundamentum, eſt in promptu. Nam cùm in homine

Digitized by Google

anima ſit potior corpore; & illa dominæ, hoc ſerui locum obtineat, non ſolùm tunc peccatur cùm corpus obediendo explet iuſſa, ſed etiam tum, cùm domina ipſa intra ſe molitur, ne dum adhibito ſeruo, præſertim tali, cui nulla vnquam tribueretur fæditas mali, niſi accederet cõſenſus & imperium rationis. Præter hos duos peccandi modos, mente, & executione; eſt tertius quaſi medius inter illos, quando id quod mente conceptum eſt, ſigno aliquo ſe prodit, non tamen peruenit vſque ad conſummatum facinus. Talia recenſet peccata in hac quidem Luxuriæ materia Apoſtolus ad Epheſ. 5. hiſce verbis: *Turpitudo, nec nominetur in vobis, aut ſtultiloquium, aut ſcurilitas.* Vbi prohibet tanquam grauia peccata, ſermones turpes, cantus obſcænos, & geſtus quoſcunque qui turpitudinem præſeferunt; cuiuſmodi ſunt, tactus impudici, ſuperiùs hoc capite à n. 9. per aliquot explicati. Jllud præterea hic adnotârim, omnes actus, & vitia, quæ impugnant caſtitatẽ, ideò eſſe mala, vel quia tollunt finem, ad quem, inſtitutus eſt vſus copulæ carnalis, nempe generationem prolis, educationemque eius, vel quia vſui adiuncta eſt aliqua inhoneſtas, cum qua ille vſus exerceri non poteſt: etiam explicabitur, ſingulos luxuriæ actus obiter percurrendo.

Sectio Decimaoctaua.

Fornicatio cur prohibita?

82. HIS ergo prænotatis, ad vitia, & hoſtes caſtitatis veniendum. Quorum primus eſt, Fornicatio, committi ſolita, inter liberos, ſiue inter marem & fæminam, nulla coniugij alieni, aut alia quapiam lege ligatos, & copula prohibitos. Damnat S. Paulus hoc vt de-

Digitized by Google

teſtandum peccatum Epheſ: 5. *Fornicatio*, inquiens, *nec nominetur in vobis.* Et meritò quidem, nam copula carnalis ordinata eſt ab Authore naturæ, ad generandam prolē, quæ concepta & genita duret, creſcatque, nimirum in qua species humana debeat conſeruari: is autem finis à fornicantibus aut vitiatur, aut tollitur prorſus. Creber enim, & cum varijs vſus copulæ, vt in meretricibus euenire ſolet, impedit conceptum, quod Phyſici docent. Quod ſi cum vno (vt in concubinatu euenit) res ſit, ſequaturque proles, eius nulla ab eo cura habebitur, quia non prolem manentem, ſed voluptatem quæſiuit tranſeuntem; qua tranſactâ, quidquid ſecutum ex illa eſt, negligitur à Patre, mater etiam non ſufficit educandæ proli; cùm multa ad hominis (rei in toto mundo tam præſtantis) requirãtur bonum; victus ſcilicet, amictus, morū honeſtas, doctrina aliqua, & notitia DEI, tutela & ſimilia, quæ à fæmina, præſertim quauis ægrè, aut ne ægrè quidem poſſunt præſtari. Itaque proles ex fornicatione concepta, multis & grauibus exponitur damnis, ac periculis, contra quam à DEO eſt conſtitutum, cui Diuinæ voluntati obuiam eundo fornicantes, committunt graue ſcelus; ſiue id agant mente, & affectu, delectationeque morosa, ſiue foris monſtrent, verbis, cantuque obſcæno, & tactibus impudicis, ſiue poſtremò opere compleant.

Ac quemadmodum in hoc primo Luxuriæ vitio & peccato triplex hic datur peccandi gradus, ita & in reliquis dabitur. Quod ſemel intellegatur dictum de omnibus.

Sectio Decimanona.

Adulterium, & Inceſtus quàm ſint exoſa DEO?

Ab

ALterum peccatum eſt Adulterium, quod ab ijs pa-
83. tratur, qui matrimonio iuncti, fidei mutuò datæ, iuriſque, quod vnus coniugum in alterum habet, ſunt tranſgreſſores: & ſi coniunx cum libero, liberaue peccet, compari ſuo facit iniuriam, ſicut & complex ille liber, vel libera. Si verò cum coniuge alieni thori, duplex ius violatur, vnum proprij, alterum alieni coniugij, duplexque committitur adulterium. Quàm verò execrandum ſit hoc facinus, creberrimè, grauiſſimèque in ſacris literis exagitatum legimus, vbi etiam pœnæ enormes adulteris deſignantur. Sufficiat interim ex Ezechielis c. 22. ea afferre quæ contra Hieruſalem plenam eiuſmodi immunditijs à DEO ita Prophetam alloquente: *Et tu Fili hominis nonne judicas ciuitatẽ ſanguinum, & oſtendes ei omnes abominationes ſuas*, inter quas etiam hæc eſt vna *Vnusquiſq́; inquit, in vxorem proximi ſui operatus eſt abominationem*. Tãtæ turpitudinis prædicitur pœna, interitus reipublicæ: *Quæ*, inquit DEUS, *juxta ſunt, & quæ procul à te, triumphabunt de te, ſordida nobilis, grandis interitu.*

84. Videant, & conſiderent reſpublicæ illæ in quibus ſcelera eiuſmodi multa, & impunita vigent, quid ſibi Diuinâ prædictione futurum debeat polliceri. Dauid Rex memor ſui adulterij, certus etiam DEUM nil impunitum velle abire, precari illum ſolebat: *Tibi ſoli peccaui, & malum contra te feci, vt juſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cum judicaris.* Pſal. 50. Juſtificata fuit Diuina iuſtitia, quãdo etſi culpâ pœnitenti donauit, pœnâ tamen exegit, totius regni perturbatione, & penè euerſione, tum, cùm Dauid à filio ſuo Abſalone ſede, & throno regali miſerè eſt pulſus.

85. Tertia ſpecies luxuriæ eſt incæſtus, ſeu copula habita à conſanguineis, aut affinibus in prohibito gradu. Hoc malum eodem Ezechielis loco ita inſectatur DEUS: *Verecũdiora Patris diſcooperuerũt in te, ſocer nurum ſuã polluit nefariè.*

fra-

frater ſororum ſuam filiam patris, ſui oppreſſit in te. Quibus verbis etiam cauſa innuitur, cur inter conſanguineos, & affines deteſtanda ſit hæc impia conſuetudo. Parentibus enim honor reuerentia timorque debetur, intuitu quorũ etiam alijs, qui ab ipſis deſcendunt eadem ſunt exhibenda: ſoror exempli cauſa, fratrem non vt hominẽ tantùm, ſed vt vicinum patri ſuo honorare debet, & vice verſa frater ſororem. Js honor deſpicitur per coniunctionem carnalem, nam ita coniuncti familiariùs, liberiùs, inuerecundiùs ſecum agunt. Quod dum fit dehoneſtantur parentes, atque hoc eſt, quod exaggerat DEUS dum ait: *verecundiora patris diſcooperuerunt in te.* Optima & pia ad honorem parentum promouendum lege, quam refert ex Valerio Maximo S. Thom: 2. 2. q. 154. art: 9. cautum fuit apud veteres, ne Pater cum filio balneo vteretur ſimul, nudoſque ſe conſpicerent.

Sectio Vigeſima

Raptus, & ſtuprum, vt diſplicent DEO?

QUartum vitium eſt raptus, cuius malitia in vi, & iniuria conſiſtit, quæ infertur interdum ſoli fæminæ, quando inuita rapitur, & cogitur ad inhoneſta, aut ad matrimonium, conſentientibus parentibus, vel tutoribus, interdũ his tantùm, contra quorum voluntatẽ fæmina volens abducitur, interdum vtriſque ſimul, quãdo vtrique ſũt inuiti, neque conſentiunt in raptũ. peccati huius fæditatem declarauit DEUS vindicta, quam sũpſerunt fratres Dinæ raptæ à Sichen principe Regionis Chanaan, necando ijſdem Sichem, & cæteros in vrbe Geneſis 34. 86.

Iii Quin

Quintum peccatum eſt ſtuprum, ſiue virginis vltrò
87. cõſentientis deflorario, hoc etſi ſit nouum à cæteris facinus, nolunt tamen illud nonnulli authores agnoſcere tã-quam diſtinctum ſpecie à fornicatione, vt tenet Soto diſt: 18. q. 2. art: 5 & alij. Quare Suarez in tertiam partem S. Thomæ tom: 4. d. 22. s. 4. non cenſet ſtupri turpitudinem peculiariter in confeſſione detegendam, ſufficereque ait, ſi fornicatio exprimatur, deberet autẽ diſertè manifeſtari, ſi eſſet noua mali ſpecies, vt docẽt cõmuniter Theologi: huic tamẽ opinioni cõtrariũ S. Thomas ſupra citat' n. 81 Ex quo clarè deducitur, virginitatẽ non eſſe diſtinctã ſpecie, à cõ, muni caſtitate, vt ſupra oſtendi à. n. 54. vſque ad 60. ſiquidem contrarium illi ſtuprum, non eſt etiam ſpecie diſtinctum, cùm tamen facilius diſtinctio ſpecifica concedatur vitio, quàm virtuti oppoſitæ, eò quòd ad hanc plura requirantur quàm ad illud, nam vt Moraliſtæ aſſerunt: *bonum ex integra cauſa, malum ex quouis defectu*, vnde vnicuiq; virtuti, tot poſſunt eſſe oppoſita vitia ſpecie diſtincta, quot dantur defectus, ſeu carentiæ peculiarium nouarum, & notabilium formalitatum, vnam eandemque virtutis honeſtatem conſtituentium, quo pacto vni caſtitati hactenus enumerata opponuntur vitia excepto ſtupro, quod vt dixi, nõ eſt diſtinctum ſpecie à fornicatione, & ſicut hoc, ita & ipſum DEO diſplicet.

88. Probat quidem Caietanus in 2. 2. q. 15. art: 4. ſcribẽs diſtinctionem hanc ſtupri ſpecificã, oſtendendo peculiarẽ eſſe deformitatẽ in clauſtri virginalis amiſſione, & in iniuria, quæ fit parẽtibus (ſeu alijs loco eorum) clauſtri illius cuſtodibus, & cùm vtrumque hoc ſit notabile, nempe violatio clauſtri; & iniuria, hinc deducit deformitatem ſtupri eſſe peculiarem, & ſpecificam, ſed in fæmina tantùm, non in mare, eò quòd filias non filios parentes ſoleant cuſtodire, ne ſi corrumpantur, difficiliùs matrimonio iungi poſſint. Verùm hæc eius probatio non videtur ſatis ſolida,

Digitized by Google

da, imprimis enim clauſtri integritas, materiale quid eſt in virginitate, vt dixi ſup: hoc c. n. 54. cum S. Thoma. Quare & amiſſio huius integritatis non affert formalem aliquam, & ſpecificam deformitatem. Ideò enim vitia diſtinguuntur ſpecie, quod formale quid deſtruant in virtute. Deinde iniuria illa cuſtodibus clauſtri illata, non eſt tanta, vt notabilem arguat deformitatem, ſolum enim cuſtodes tuentur clauſtri integritatem, ad commodius tradendam nuptui virginem, non autem vt abſolutè tradant, hoc eſt, non ita, clauſtrum illud requiritur, vt ſi deſit, nequeat fæmina nubere, & fieri vxor.

Certè hac eadem ratione cuſtodes tuentur formam, opes, mores etiam ingenuos puellarum, nam quo pulchriores ſunt, meli⁹ moratæ, & opulẽtiores, eò magis à maritis ambiuntur; neque tamen filia verbi cauſa, ſi amittat volũtarie formam, aut rem donatam à parentibus, delinquit contra illos nouo ſpecie peccato, diſtincto ab eo, quod eſſet, ſi fæmina non ſubeſſet parentibus. Similiter ſi publicè, aut graui cum infamia turpiter degat, difficilius locari poteſt, nec tamen publica fornicatio, eſt nouum ſpecie peccatum à fornicatione contra parentes commiſſum. 89

Ita ergò licet parentes, ſint cuſtodes clauſtri virginalis, amiſſio tamen eius non erit peccatum contra eos nouum, ac diſtinctum ſpecie à fornicatione. Aliud eſt in raptu ſi fiat contra voluntatem parentum, in quo quia tollitur fæmina, quæ abſolutè eſt neceſſaria ad matrimonium, visq; infertur parentibus, & iuri eorum quod habent ad prouidendum filiabus, vt ſtatum viuendi ineant, & antequam ineunt, ad habendum illas ſub ſua curà, ideò raptus eſt iniuſtitia, nouumque ſpecie à cæteris luxuriæ peccatis. Denique ex hoc etiam capite non videtur ſolida Caietani doctrina, quod ſtuprum in fæminis duntaxat ſpecie diſtinguat, non item in mare. Nam ſicut virginitas in vtroq; ſexu reperitur, ita & oppoſitum peccatum in vtroque ſi-

Digitized by Google

mili aſſignandum eſt ratione. Quod autem ille dicit, filios non cuſtodiri à parentibus ſicut filias, id ſolum oſtendit cuſtodiam filiarum maiorem eſſe adhibendam, vt faciliùs, & commodiùs nubant, in quo non eſt differentia, niſi per magis & minus. quod vt Logici dicunt non variat ſpeciem, ſatius ergo dicendum eſt, tam virginitatem eſſe eiuſdem ſpeciei cum caſtitate communi, quàm ſtuprum cum fornicatione, nihil enim eſt aliud, quàm actus ſoluti cum ſoluta, grauius tamen eſt ſtuprum fornicatione, ob amiſſionē floris virginei, ſicut furtum maioris ſummæ, grauius eſt furto ſummæ minoris, ſemper tamen eiuſdem ſpeciei.

Sectio Vigeſimaprima.

Sacrilega carnalitas deteſtanda DEO.

90. SExtum Luxuriæ peccatum eſt ſacrilegium, quod cōmittitur ab ijs quorum vel mas, vel fæmina, vel vterque voto caſtitatem DEO obtulit, ſacrilegij nomine hoc facin' appellatur, proptèrea quod corpora per votum Deo cōſecrata, ſint quædam res ſacræ quorum violatio, & profanatio jure ſacrilegium nominatur.

Acerbè fert DEUS criminis huius enor-
91. mitatem, in quo jus violatur ipſius per votum comparatum, & quantum tali injuria Maieſtati ſuæ illata offenditur, argumento poteſt eſſe mors Pontificis Heli, cædes filiorum eius, & ablatio dignitatis ſacerdotalis à poſteritate ipſius, de quo habemus 1. Regum c. 3. Quia enim filij eius carnes quæ DEO offerebantur à populo, ſibi perperam vſurpabant. Iratus DEUS prædixit ſe hoc facturum: *Ecce ego facio verbum in Iſrael, quod quicunque audierit, tinnient ambæ aures eius. In die illa ſuſcitabo aduerſum*

He-

Digitized by Google

Heli omnia, quæ locutus ſum ſuper domum eius, incipiam & cõplebo, prædixi enim ei, quòd iudicaturus eſſem domum eius in æternum propter iniquitatem, eo quod nouerat, inique agere filios ſuos, & non corripuerit eos, idcircò iuraui domui Heli, quod nõ expietur iniquitas dom⁹ eius victimis & muneribꝰ vsq; in æternum. Si tantam iram prophana vſurpatio meruit carnium, ipſi de cæſis bobus, agnis, & ſimilibus oblatarũ, quantam merebitur violatio corporum viuorum, voto caſtitatis DEO dicatorum? quæ vt ſcribit S. Paulus 1. Cor. 3. ſunt templum Spirit⁹ Sancti vbi & addit: *Si quis templum DEI violauerit diſperdet illum DEVS.*

De Sacerdotis veteris legis filiabus, ſi quando ſtuprum committerent, tale fuit à DEO latum decretum Leuit: 21. *Sacerdotis filia, ſi deprehenſa fuerit in ſtupro, & violauerit nomen Patris ſui, flamma exuretur,* quas flammas timere debet anima, filia ſponſaque Dei, quæ violat nomen tanti Patris tantique ſponſi, qui ſimul eſt ſupremus Pontifex ſecundum ordinem Melchiſedech Hebr: 5. fædiſſimo ſtupro, & ſacrilego adulterio. Minimè mirum videri debet, terrificas de eiuſmodi ſacrilegis ſumptas pœnas, quarum plenæ ſunt omnium ſæculorum hiſtoriæ, ex recẽtioribus vnam afferam, quam ſcribit noſter Delrius lib: 3. diſputationum Magicarum, par: 1. q. 7. ſ. 2. vt ſibi optimè perſpectam; verba eius ſunt hæc: In Flandriæ comitatu prioratus eſt, tres ibi, nomine tenus Monachi degebant, re ganeones, & concubinarij, ſua cuique erat, nec pudor vllus aderat, ſimul helluari, & libidinari. Quadam die in ſeram noctem, compotatione protracta, vnus qui minus ſceleroſus: ſat ait Bacho, ventrique datum, DEO gratias ſaltem, ego vero ſubinfert alter procacior, Cacodæmoni gratias ago, & agendas cenſeo, cui operamur, & cũ riſu menſa relicta, ruitur in cubilia, ſinguli cum ſcorto vix decubuerant; ecce tibi in triclinium, vi ianua reſerata: Dæmon magni, atri, & trucis viri ſpecie, habitu venato- 92.

 ris,

rio, & cũ eo duo coci paruuli, obābulat & lectos circumſpicit toruo vultu, deinde horrenda voce. Vbi qui mihi gratias egit? adſum, referam, lecto abſtrahit pauitantē, & fermè præ metu animam efflantem, traditum cocis jubet infigi veru, & luculento igne probè aſſari. Parent promptè, aſſatur infelix, emoritur planiſſimè, cæteri ferè præ formidine, aſſi corporis nidore, cubiculum impletur; demum venator ad ſuperſtites, ſub ſtragulis trepidantes vix viuos. Digni vos etiam, ait; pari ſupplicio: nec deeſt voluntas mihi, vetor vi maiore, inuitus abeo, & moneo reſipiſcite, aut manent terribiliora. Diſparent laruæ, nec tamen his alijs animus, vel vox redijt, niſi clareſcente luce vbi ſurrexère, collegam inueniunt mortuum; & (ne viſum inane putes) plenè aſſum. Haud ſcio, an ab aliquot ſæculis quidquam ad exemplum vtilius acciderit Scio locũ & ordinē; ſed vtrũque ſilentio inuoluo Hæc Delrius.

Omnes qui ſe DEO ſuaque corpora voto obſtrinxère, hoc vel ſimile præ oculis habere debent Diuinæ juſtitiæ exemplum, quoties ab immundo ſpiritu hoſte caſtitatis ad immunda ducuntur.

Sectio Vigeſimaſecunda.

Quam abominanda vita carnis contra naturam?

22 SEptimum, & vltimum Luxuriæ fœdæ matris turpior cæteris ſoboles, eſt vitium contra naturam, fœdius eſt hoc iam enumeratis, nam non rationi tantùm, vt illæ ſex, ſed ipſi etiam ordini modoq; à naturâ præſcripto, cæco quodam aduerſatur impetu: Sex priora peccata, re-

Digitized by Google

tinent id, quod natura in actu venereo intendit, nempè generationem prolis, quæ nequit eſſe à ſolo mare, vel à ſola fæmina, ſed ab vtroque debita adhibendo inſtrumenta; ita tamen vt vterque ſexus ſit eiuſdem humanæ ſpeciei, in hoc ſolum deuiant à rectitudine prædicta vitia, quod deſit regula rationis dum vel non initur Matrimoniũ, vel cogitur ad illud, aut ad copulam inuita fæmina; vel aliud quid perperam admiſcetur, hoc verò facinus dictum contra naturam; generis humani propagationem euertit prorſus, nihilque aliud niſi ſolam ſpectat libidinem. Exercetur autem 4 modis, vt docet S. Thomas. 2. 2. q. 154. art. 11. quos modos ſpecie diſtinguit Caietanus ibidem, nec immeritò, habent enim ſinguli peculiarem & notabilem deformitatem.

Primus modus, vocatur mollities, quæ eſt voluntaria libidinis carnalis procuratio, vocata communiter pollutio ſolitariè facta à mare, vel fæmina. Deformitas eius in hoc conſiſtit, quòd natura ad finem generationis, complicem ordinauit, qui hac in immunditia non adhibetur, *Secundus modus*, vocatur Sodomia, cui infelices incolæ Sodomæ enormiter dediti tali vitio nomen à ſe indiderunt: in Sodomia inuenitur quidem complex ſed eiuſdem ſexꝰ, quæ eſt magna deformitas, & dehoneſtatio, abuſuſque ſexus, contra quam ſtatuit autor naturæ. *Tertius modus*, vocatur beſtialitas, propter commixtionem cum beſtia in quo manifeſta deformitas cernitur, eò quòd homo ſe vilè efficiat bruti ſocietate. *Quartus modus*, in eo eſt, quod nõ ſeruetur indita à natura ratio expediendi huius actûs, aut quia negliguntur debita vaſa aut effræni libidini ita mos geritur vt (ſicut docet S. Thomas loco citato) monſtruosè, & beſtialiter multa fiant, & ſi non adhibentur vaſa ad generationem neceſſaria, grauiter delinquitur, eò quòd fraudetur naturæ intentio in generatione prolis, in cæteris ob fragilitatem ex fomitis æſtu, non rarò venialis dunta- 95.

ta-

Digitized by Google

taxat erit DEI offenſa. Omnia hæc contra naturā vitia adeò eſſe execranda cenſet Apoſtolus Paulus Rom: 1. vt cum alia peccata poſſint committi à fidelibus: hæc nonniſi in infideles, & quidem in pœnam idololatriæ à DEO permiſſa putet, ſicut & quædam alia enormiſſima ibidem enumerata, ſic enim ſcribit: *Propter quod* (ſcilicet propter idololatriam) *quia mutauerunt gloriam DEI incorruptibilis in ſimilitudinem volucrum, quadrupedum, ſerpentium, tradidit illos DEVS in deſideria cordis, in immunditiam; vt contumelia afficiant corpora ſua: nam fæminæ eorum immutauerunt naturalem vſum, in eum qui eſt contra naturam. Similiter & maſculi exarſerunt in deſiderijs ſuis in inuicem*, & quæ ſequuntur. Meritò contra naturam, iſtas obſcænitates infidelium vocat Apoſtolus; qui enim in eas exardeſcit, tantam timoris DEI, & honeſtatis notitiam habere putandus, quanta in homine Ethnico, hoc eſt nulla requirenda; proinde cæcus cùm ſit, in omnem liberè ruit fæditatem, belluæ potius quàm homini ſimillimus; vt tali rectè dictum ſit à Spiritu Sancto Pſal: 48. *Homo cùm in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* De caſtitate & ipſi contrarijs vitijs ſufficiant dicta.

CA: 16

CAPVT XVI.

Quantum abſtinentia, & Sobrietas conferat ad honeſtatem morũ, & ad ipſã ſalutẽ vbi & de oppoſitis vtrique vitijs?

INter omnes adminiculo ſenſuum percipi ſolitas corporis delectationes maximè ſunt eæ, quæ conſequuntur tactum, duplicemque eius operationem; quarum vna eſt copula carnis, alia cibi, potuſque ſumptio: in priore ſolus potiſſimè interuenit tactus, vt c. 15. eſt dictum: in poſteriore comitem ſe adjungit guſtus, ad augẽdam delectationem.

Sapientiſſimè verò, vt alia omnia ordinauit naturæ author, vt dictæ actiones annexam habeant ſingularem voluptatem: cùm enim prima neceſſaria ſit ad propagandum humanum genus, altera ad conſeruandam protrahendamque vitam cuiuſque, vtrumque hoc facile pateretur detrimentum, ſi operationes ad vtrumque tanquam media ordinatæ, laborem duntaxat moleſtiamque haberent, ſine vllo jucundi condimento. Propterea enim ſtudia literarum, cæteræque artes etſi per quam vtiles à multis negliguntur, quod laboris non modicum, delectationis parum, vel nihil contineant. Hæc ergò delectatio, cùm in naturæ duplici iſtà operatione interueniat, ab omnibus de facili, inprimis alimenta ſumuntur, connubia etiam ab omnibus inibantur, ab exordio creati hominis, quando primum cæpit propagari genus humanum, nunc à paucioribus eadem vſurpantur, eò quòd ſit iam aucta ho- 1.

Digitized by Google

minum multitudo. Quemadmodum autem vſus matrimonij propter habendam prolem, caſtus & honeſtus eſt, ita & vſus alimenti cauſa conſeruandæ vitæ, temperantia honeſtaſque dicenda; neque hanc vtrobique honeſtatem vitiat delectatio adiuncta; modo illa ad fines iam dictos à ratione dirigatur.

2. Cæterum quæ infirmitas eſt hominum, non ab õnibus fines illi, honeſtumque attenditur rationis; ſed creberrimè hæretur in iucundo, vt faciunt animalia bruta: & hæc quidem non peccant, ſola delectatione contenta, eò quòd careant ratione, quæ quoduis gratum, atque jucundum, ad honeſtum referre debet, tanquam ad finem naturæ intelligenti proprium, vt hoc lib: capitibus primis quinque demonſtratum eſt. verum homo rationis particeps nunquam immunis erit à culpâ, ſi alimento (de his enim hoc capite agimus) vtatur ſolius delectationis gratia; quod ne accidat, duabus virtutibus eget, Abſtinentia nimirũ & ſobrietate; illa moderatur cibi, hæc pot⁹ vſũ.

Sectio Prima.

In quo ſita ſit abſtinentia ?

8. ABſtinentia igitur præſcribit appetitui modum, qui in eſculentis corporis ſanitati conſulat, vt nec infirmetur, nec moriatur, ſiue ex defectu neceſſariæ ſuſtentationis, ſiue ex copia ſuperfluæ; eſt enim hæc virtus vna de numero virtutum moralium, quæ in medio inter extrema poſitæ, ſuam retinet perfectionem; hoc modo liberalitas, tenacitatis & prodigalitatis extrema vitare debet, tanquam vitia ſibi inimica. Merito abſtinẽtia tum à temperantia vt ſpecies à genere, tum ab alijs e-

iu

iuſdem generis ſpeciebus formali diſtinguitur perfectione; habet enim ſuam peculiarem difficultatem in regendo appetitu, ne ſecus in alimenta feratur, quam ratio præſcribit, ad tuendam corporis vitam. Difficultas hæc nõ eſſe parua ab illo cognoſcetur, qui prudenter expenderit omnes circumſtantias, quæ cuiuſque ferè virtutis operationem ſolent comitari illoque verſiculo contentæ ſunt.

Quis, quid, vbi, Quibus auxilijs, Cur, Quomodo, Quando.

Hæ inquam circumſtantiæ benè expenſæ, non ita facilem eſſe adeptu oſtendent abſtinentiam, vt fortè alicui videri poſſet obiter conſideranti; id quod in ipſo omnium parente Adam cernitur manifeſtè. Duas ille præ oculis habere debuit ex enumeratis iam circumſtantias, tum, cùm fructu ligni, ſcientiæ boni & mali veſci placuit; vnam quæ ſuam ipſius tangebat perſonam, alteram quæ concernebat arborem: vtraque expreſſa eſt duobus pronominibus *Quis*, & *Quid*, cogitare ergò debuit ſibi, ac in ſe, toti poſteritati hominum dictum, Geneſis 2. *In quocunque die comederis morte morieris.* Aduertendum etiam ei fuit, fructum arboris illius, ideo mortem ipſi nobiſque parituram fuiſſe, non quia natura ſua virus aliquod contineret; ſed quia vetitus fuit ab illo, cui nimirum ſupremo Domino, placuit huiuſmodi imponere præceptum: *Ex omni ligno paradiſi comede, de ligno autem ſcientiæ boni & mali, ne comedas.* Atque dum calidus ſerpens quæreret Gen: 3. *cur præcepit vobis DEVS, vt non comederetis de omni ligno paradiſi?* alijs reſpõſionibus omiſſis, hac vna erat veterator expediendus: ideo præcepit DEUS, quia eſt Dominus, & quidem talis, cuius ſuprema nimirum conditoris in opus, & figmentum ſuum poteſtas tanta eſt; vt omne quod præcipit, juſtum & ſanctum ſit, eique ſoli optimo illud quadret jure.

Sic volo, ſic jubeo, ſtat pro ratione voluntas.

Non quòd ea, quæ jubet rationi ſint diſſona; ſed quòd omnis noſtra ratio ordinatiſſima illius ſit regenda voluntate. Neglexit Parens noſter, hæc apud ſe vt debuit, expẽdere, omiſit tunc apprimè neceſſarium abſtinentiæ actũ à DEO præceptum, incurrit inobedientiam: & tandem hoc veluti duplici gladio, incontinentiæ nimirum, & inobedientiæ ſuum noſtrumque omnium petijt jugulum, lethaleque inflixit vulnus non ſanandum niſi morte DEI incarnati. Tantùm nocuit generi humano, duas illas alimenti ſumpti circumſtantias *Quis* & *Quid* non expenſas à parente communi omnium, neque ſeruatas fuiſſe.

Sectio Secunda.

Hæretici perperam contemnunt Eccleſiæ ieiunia.

4. EArundem circumſtantiarum neglecta conſideratio atque obſeruantia obcæcat omnes à fide Catholica alienos, Hæreticos dico, qui putant ſe beneficio libertatis Chriſtianæ exemptos ab omni iejunio, quod Eccleſia imponit fidelibus. Libertatem aſtruunt ex illis S. Pauli verbis Gal: 5. *In libertatem vocati eſtis fratres*; aduocant quoque in patrocinium ſuæ hereticæ opinionis dictũ illud Domini Matth: 15. *Non quod intrat in os coinquinat hominem.* Sed vt alia omnia Scripturæ loca, ita & hæc perperam ad ſuum trahunt ſenſum, etſi enim Chriſti fideles liberati ſint, à duro jugo legis veteris, præſertim à Circũciſione, de qua in illa Epiſtola ad Galatas ſcribit S. Paulus

lus c. 3. 4. & 5. vbi inter alia ſic inquit: *Ecce ego Paulus dico vobis quoniam ſi circumcidamini Chriſtus vobis nihil proderit*, tamen non ſunt exempti ab obedientia legum Eccleſiæ, cui Chriſtus tantam poteſtatem dedit, & ita eandem audire juſſit, vt inobedientes pro Ethnicis, & ſceleratis, habendos cenſeat. Sic enim Matth: 18. ait. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnic⁹, & Publicanus.* Eccleſia igitur poteſtate hac in fideles à Chriſto ſibi tradita, ſtatuit legem jejunij, ob multas, de quibus infra vtilitates, cui legi quiſque ſe ſubditum noſſe debet, qui Chriſtiani perſonam gerit; nam ſtatim à ſuſcepto baptiſmo, annectitur ei debitæ obedientiæ circumſtantia; expreſſa illa dictione *Quis*, eò quòd quilibet Chriſtianus ſit is, qui hoc ipſo nomine parere debet Eccleſiæ.

Neque vero S. Paulus citata illâ Epiſtolâ ita liberos putat Chriſtianos, vt carni pro libito ſeruiant, aut nulli legi hominiuè obediant, imò claré dânat talem libertatem c 5 ita ſcribens: *vos enim in libertatem vocati eſtis fratres: tantum ne libertatem in occaſionem detis carnis, ſed per Charitatem ſpiritus ſeruite inuicē.* Commendata vero vnione charitatis, paulo inferius oſtendit illam libertatem, quæ carni gerit morem, eſſe inimicam libertati Chriſtianæ, & inter alia opera carnis, recenſet contentiones, inimicitias, & ſectas, qualibus aguntur hæretici, ab vnione ſe ſeparātes, & jugum obedientiæ excutientes: *Manifeſta*, inquit ille *ſunt opera carnis, quæ ſunt inimicitiæ, contentiones, æmulationes, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, comeſſationes, & ſimilia: quæ prædico vobis, ſicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnū DEI non conſequentur.* Vel hic vnus ſcripturæ locus inanē oſtendit hæreticorum ſpem, qui ſibi regnum DEI pollicentur, ſectis ſuis pertinaciter & contentiosè adhærentes, ſeque eximentes ab obedientia Eccleſiæ Chriſti, inſuper docentes, non poſſe illam præceptum jejunij ferr. : cui fideles parere teneantur. 5.

Doctrinam talem non ab alio acceptam eſſe conſtat,
6. quam ab illo calido ſerpente, qui primus primam jejunij legem in paradiſo abrogare auſus eſt, impudentiſſimè, audaciſſimèque ita contra illam inuectus Geneſ: 3. *Cur præcepit vobis DEVS, vt non comederetis de omni ligno paradiſi?* Hāc omnino doctrinam ſecuti hæretici derogant pertinaci audacia legi per Eccleſiam latæ, trahuntque pro ſe illud Chriſti dictum ſupra adductum; *Quod intrat in os non coinquinat hominem*: vident quippe nos abſtinentes à carnibus, & lacticinijs, aſſerentes ſecundùm Chriſti doctrinam, non coinquinari hominem à carnibus, aut lacticinijs, quæ intrant in os. Planè verborum Chriſti talis intelligentia congruit eiuſdem ſtygij doctoris placito: Nam vt ille ſuaſit de omni ligno (quo quidem tunc ad ſuſtentandam vitā poterant vti homines) ſine vlla differentia veſcendum: ſic iſti omne eſculentum, quo vita alitur ſumendum putant, & quemadmodum ille ſuadēdo omne lignum ſecuros reddebat ab omni culpâ; & mortis pœna, ſic enim dicebat; *Nequaquam moriemini*; ita hi licitè, & impunè carnibus, ac lacticinijs vtendum arbitrantur. Sed niſi in meridiana luce cæcutire velint, clarè poſſunt videre, quam friuola nitantur ratiuncula, contra Eccleſiæ vſum atque authoritatem. Si enim illud jejunium, quo jubemur abſtinere à certis cibis, eſt contrarium menti Diuinæ, qua ratione ipſemet DEUS vnius certè arboris prohibuit fructum.

Cur item fidelibus olim Judæis à ſuilla carne, & ab alijs quibuſdam abſtinere iuſſit? cur hæc immunda eſſe dixit Leuitici 11. & alibi.

Si omne id, quod intrat in os non conquinat hominē? Denique contrarius ſibi Chriſtus eſſet, ſi ita ſua verba intelligeret, vt interpretantur hæretici, nam tum, cū mortalis adhuc in terra verſabatur, & hæc ipſa verba pro concione dicebat, lex vetus ligabat, nec abrogata eſt, niſi poſt reſurrectionem ipſius. Si ergò nullo eo, quod in os in-

Digitized by Google

intrat coinquinari hominem judicaret, carnis ſuillæ, & omnium Judæis ante prohibitorum concederet vſum, atque ita ſibi contrarius eſſet, iam prohibendo, iam concedendo, quod tribuere DEO impium eſt, ac blaſphemum.

Cæterum frequens eſt hæreticis talis in DEUM impietas, quam incurrunt peruersè intelligendo Scripturas; vt argumento eſſe poteſt hic de quo agimus locus. Dominus enim aſſerendo, non coinquinari hominem per id, quod in os intrat, ſolum voluit vanam Phariſæorum ſuperſtitionem damnare, & fraudulentam hypocriſim, docentium grande eſſe facinus, non lotis manibus ſumere cibos, quod illi ſtudioſe vitabant, oſtendentes ſe eſſe obſeruantiſſimos traditionum, à maioribus acceptarum; & ſic ſimulantes ſanctitatem, à quâ longiſſimi erāt; quippe qui præcepta Diuina tranſgrediebantur liberè, quod reprehendēs in illis Dominus: *Hypocritæ.* dicebat, *benè prophetauit de vobis Iſaias. Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum lōgè eſt à me.* Subjunxit deinde non inquinari hominem cibo illotis manibus in os porrecto; hoc eſt minimè peccare, ſi comeſturi non ſe lauent, peccare verò, ſi aliquid ore proferant quod ex impuro procedat corde. *De corde enim* (ſunt verba Chriſti) *exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ, hæc ſunt quæ coinquinant hominem.* Quibus verbis oſtendit Dominus inutilem fuiſſe traditionis illius de lauandis ante cibum manibus obſeruantiam tanquam cultus cuiuſdam diuini; qui in hoc nullus erat, præſertim cum interim grauia violarentur DEI mandata Arguit etiam hypocriſim Phariſæorum, qui exteriùs ſe fingebant ſanctos, intus verò pleni erāt rapina, & omni ſpurcitia, vt teſtatur de illis ipſemet Math: 23 Denique aſſerit Saluator, omnis ſui præcepti tranſgreſſione coinquinari hominem, tanquam macula, quæ ſola animam fœdat; & cum inter alia præcepta

fue-

7.

fuerit etiam tum, lex abſtinentiæ à certis cibis, verbi cauſâ Suillæ carnis, violatio talis abſtinentiæ, coinquinabat proculdubio Judæos; quemadmodum & nos coinquinat vſus ciborum, ab Eccleſiâ diebus jejunij interdictorum.

8. Velint ergò noſſe hæretici, id quod ſtudiò, & affectatè ignorant, jejunij Eccleſiaſtici hanc eſſe alteram circumſtantiam pronomine illo *Quis* notatam, vt alijs veſcendo cibis, à carnibus & lacticinijs abſtineamus, vel ſaltem à carnibus pro conſuetudine cuiuſque Catholicæ regionis ab Eccleſia permiſſâ ſeu approbata. Quam circūſtantiam quia pertinacia hæretica ſeruare detrectat, ſciant ſe reſiſtere poteſtati à DEO acceptæ. *Non eſt enim* inquit S. Paulus Rom: 13. *poteſtas, niſi à DEO; quæ autem ſunt à Deo, quæ ordinata ſunt, itaq; qui reſiſtit poteſtati, DEI ordinationi reſiſtit.* Nouerint demum ijdem, ſe vel ob hanc ſolam inobedientiam damnandos, nam & hoc ſubjungit Apoſtolus, *Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt.*

Neque certè meliores ſe putent illi eſſe primis parentibus, qui quod hanc circumſtantiam vetiti certi fructus non adimplèrint; à pœna & quidem ſat graui immunes eſſe nō poterant.

9. Tertia virtutis abſtinentiæ circumſtantia eſt, *Vbi*, quam tranſgrederetur ille, qui die veneris in Polonia ſemper vt incola degens, putaret ſibi licere vſum lacticiniorū perinde ac eſt licitus in Germania, Jtalia, & alibi: regiones enim variæ, quemadmodum ſunt diſſitæ loco, ita & conſuetudinibus diſcrepant, vt quod in vna rectè fit, in altera perperam vſurpetur, in quod ne impingat abſtinentia, loca, & quid in vnoquoque receptum ſit, attendit; de quo rectè illo diſticho expreſſum.

Cum fueris Romæ Romano viuito more.
Cum fueris alibi, viuito ſicut ibi.

Neglectum huius circumſtantiæ reprehendit S. Paulus in Corin-

Corinthijs, qui in Eccleſijs conuiuia inſtruebant; ita enim legimus 1. Cor: 11. *Vnusquiſque ſuam cænam præſumit ad manducandum; nunquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum, aut Eccleſiam DEI contemnitis.* Non prohibet Apoſtolus clam & priuatim in Eccleſia aliquid ſumere; vrgente quapiam neceſſitate, vt poſſunt facere, qui debilitatem, vel deliquium ſentiunt; ſed menſæ & conuiuia, nunquam ſine illi⁹ contemptu, & profanatione quadam inſtruuntur. 11.

Sectio Tertia.

Conuiuia cur apud quoſdam ſuſpecta eſſe debent?

QUarta circumſtantia eſt (*Quib⁹ auxilijs*) auxilia quædam ſunt extrinſeca, alia intrinſeca: illa verò externa eo quòd ab alijs offerantur, hæc interna, quæ ipſe adhibet veſcens. Extrinſeca auxilia malè vſurpantur; tum cum quis veſcitur ab eo tractatus; qui furto aut rapinis ab alijs ablata proponit; perinde enim is, qui tractatur, ac ille qui tractat, aliena ſibi vſurpat. Huius circumſtantiæ defectum nitebantur Phariſæi adſcribere Domino, quando Marci 2. dicebant: *Quare cum publicanis, & peccatoribus manducat Magiſter veſter?* notū enim erat Phariſeis, multa hoſce peccatores non ſua propoſuiſſe, ſed fraude, dolo & rapinis accepta; quibus excipiebant Chriſtum, verùm ſiluerunt reſponſo ipſius tali conuicti: *Non neceſſe habent ſani medico, ſed qui malè habent, non enim veni vocare juſtos ſed peccatores.* Medebatur optimus animarum medicus: exprobrando dextrè rapinas, furta, vſuras illis ipſis, à quibus tractabatur: medebatur inducendo in reſtitutionem eorum, quæ ab alijs iniquè accepta erant; & quia multi vel aberant, vel ignorabantur, quibus damnum

fuiſſet illatum, ipſe tanquam vnus è pauperibus cum di-
ſcipulis ſuis ſibi ſimilibus alimenta, quibus ſuſtentabatur,
in partem reſtitutionis acceptabat. Nã vt docent The-
ologi cũ S. Thoma 2 2: q. 62. art: 5. ad 3. Si is cui facta eſt
injuria mortuus fuerit; neque habeat hæredes, aut certè
ignoretur, pauperibus eſt reſtitutio facienda.

Qui non ſunt neceſſitate, aut imitatione Chriſti pau-
11. peres, & tamen aliena edunt, & bibunt apud eos, à quib⁹ tractantur, deficiunt à virtute abſtinentiæ, quæ ad ſui integritatem poſtulat, vt alienis non alamur. Epulo ille Luc: 16. ex conuiuijs ſublatus, ad inferos eſt deductus, cauſa vel ſola, vel ex præcipuis hæc quoque affertur, quod Lazari egeni inter delicias, nunquam meminiſſet, vel micas dando de ſua menſâ. Jam ſi hic epulo crematur igne æterno, quod de ſuo nihil eſt egenti largitus; qua ſecuritate putabit ſe euaſarum eundem ignem, qui alienum ſudorem lacrymasque edit & bibit? Tales æpulæ lugentium conditæ lacrymis, vt plurimum timendæ ſunt, in magnatum menſis, quæ vt copioſæ ſplendidæq; ſint, multis egent; nec ſemper ſufficiunt nummi pro tanto apparatu, aut certè illi, qui res coemunt, adigunt venditores, ad leuia pretia, vt quod detractum fuerit, ipſis maneat. Sæpè etiam vi accipiuntur multa, nec vim vi, repellere omnes poſſunt, quod non rarò fit, ſcientibus & conniuentibus, aut etiam iubentibus dominis.

Jlla verò conſuetudo, quæ in quibuſdam locis malè
12. viget, non parum addit lugubris condimenti. Res quæ ad forum venales deferuntur, adeò inter tot præfectos aulæ regiæ, caſtris, titulo cuiuſdam tributi diſtrahuntur, vt interdum vix maneat reſiduum venditori, quod ille aut cariſſimè vendat, damna accepti compenſando, aut merens referat domum, nouas paraturus merces, accepturis item gratis ad eiuſmodi menſas ex alieno penu, celliſque accumbenti, vtile eſt memoria tenere, quod à Salomo-

Digitized by Google

ne Prouerb: 23. fortè etiam hoc fine ſcriptum legimus: *Quando ſederis, vt comedas cum Principe, diligenter attende, quæ appoſita ſunt ante faciem tuam; ſtatue cultrum in gutture tuo: Si tamen habes in poteſtate animam tuam, ne deſideres de cibis e-ius, in quo eſt panis mendacij*: Singula præcepti huius membra propoſito noſtro apprimè ſeruiunt. jubet inprimis attendendum diligenter; quæ apponuntur, ne fortè ſit aliquid melle licet, & ſaccaro conditum, ſed alieno luctu amarum. Jubet deinde gutturi cultrum infigere, nam cõuiuia damnis & injurijs cõpoſita; petunt jugulum conuiuantium, hoc eſt animas necant. Suadet demum huiuſmodi menſas non eſſe expetendas, etſi ſplendidæ & delicatæ ſint, in illis enim eſt panis mendacij, aliena quippè datur acſi eſſent ſua. Propter has cauſas cenſet Spirit⁹ S. fugiendas eſſes menſas quorundam magnatum (nec enim omnes ſunt tales) nam licet non leue accedat auxilium rei familiaris ei qui tractatur (alieno quippe viuit) animæ tamen magnum eſt diſpendium vt iam explicui: ſed ad alia pergamus.

Sunt alia auxilia interna ad abſtinentiæ integritatẽ conferentia, enumeranturque à S. Grego: 30. Moral c 27. eſſe quinq; per cõtraria, debitis circũſtãtijs expreſſa; nimirum, præproperè, lautè, nimis ardenter, ſtudiosè. Itaq; qui ex præſcripto abſtinentiæ corpus ſuſtentare cupit, cõtraria iam enumeratis adhibere debet, cauereque primo ne citò, ante debitum tempus ſumat cibum: nam apud omnes gentes ſtatuta erant reficiendis corporibus interualla temporis, quæ juſta ex cauſa mutari poſſunt; hac vero abſente vitium erit gulæ appetitum non corpus paſcentis. Lautè ille veſcitur, qui ſumptus facit ſuperfluos, ſiue vt ſplendor appareat, ſiue vt concupiſcentiam irritet; pari modo exorbitat, qui ſtudioſè adinuenit condimenta, non ſanitatis ſed delectationis merè gratia. Is etiam deficit, qui nimius eſt in epulando, aut quia plura ſumit, quam di- 31.

geſtiua vis concoquere poſſit, etſi quæ ſumit ſana ſint; aut quia delectabilia tantum palato ſumit, quæ tamen ſtomachum grauant, eò quod anthipatiâ quadam illi aduerſentur, etſi fortè cum altero benè conueniant. Denique intemperans eſt, qui more voracis lupi ardenter, auidèque veſcitur ne quidem primis ad promouendam digeſtionem à natura datis inſtrumentis debitè vtendo, dentibus videlicet ad mandendum. Omnes hæ auxiliorū internorum circumſtantiæ ferè ſemper leuem delinquēti afferunt culpam, niſi fortè aliquid graue ſequatur; vt ſi quis nimium ſe ingurgitando grauis morbi, aut mortis ſit cauſa. Quo nomine reprehendit S. Paulus Hebræ 12. Eſau tanquam prophanum, qui, quod nollet expectare donec pararetur cibus, pro eo quem paratum reperit, vendidit fratri ſuo iuniori primogenita. Ita etiam grauiter peccant prodigè conuiuantes, qui decocta tota ſubſtantia, & illis deſunt quibus debent prouidere, aut debita ſoluere, & ipſimet deſperatione acti, fiunt tandem nequam, prædones, publici latrones, & ſimiles. Sequuntur quoque ex gula illa quæ S. Gregorius lib: Moralium 30. c. 3. vocat eius filias, inepta videlicet lætitia, ſcurilitas, immunditia, multiloquium, & mentis hebetudo; è quibus ſcurilitas continens turpes ſermones, & immunditia carnalis, poſſunt eſſe grauia peccata.

Sectio Quarta.

Finis inter edendum habendus omninò honeſtus.

Quinta Circumſtantia eſt, *Cur*, finem deſignans præconcipiendum mente ab eo, qui corpus reficit.
14 neque hic finis alius eſſe poteſt proximus & proprius abſtinentiæ, quam debita ſuſtentatio vitæ; & niſi in a-

Digitized by Google

nimo eius, qui edendi vel bibendi operationem exercet verſetur, operatio dicta non modo non erit virtus (quemadmodum non eſt in brutis, quæ jucunditate duntaxat ducuntur, nec habent rationem qua norint honeſtatem) ſed inſuper peccatum, nimirum otioſi actus: omnis enim illa actio otioſa eſt, quæ ad nullum finem homini ſecūdum rationem vtilem & conuenientem refertur; talis eſt cibi potuſue ſumptio, ſi non determinetur à ratione ſanitatis, vitæque ſuſtentandæ gratia. Dixi minimum eſſe otioſum talem actum; nam ſi adhibeatur peruerſus finis, vt cùm quis verbi cauſa ſumendo calidiora maiorem intendit ad luxuriandum corporis habilitatem & aptitudinem; erit comeſtio & potatio, nō tantū otioſa, ſed luxurioſa; neque venialis, ſed læthalis. Facilè verò ex otioſo leuique mortiferum, & graue ſcelus eſſe poterit, ſi iniquus adſit finis: vt benè docet S. Thomas 1. 2. q 72. art: 5. ad 1.

15\. Rarius quidem accidere puto, vt ſumpturi cibos mali quidpiam præ oculis habeant, ideòque comedant & bibant, vt ſint aptiores ad luxuriandum; furta, neces, & ſimilia patranda. Cæterum illud frequens eſt, & ferè commune, vt corpus reficiatur nullo habito honeſto fine; ſed animalis naturæ ductu, moreque brutorum id ſumendo, quod guſtui arridet, quo fit, vt naturalis & brutalis hæc refectio corporis, ſit ſemper actus otioſi peccatum, iam declaratum: & ſi tota vita inchoando, à pleno rationis vſu ſic fiat, totius vitæ refectio, ſingulis diebus toties iterata, innumeras multiplicabit culpas. Pauci ſunt ijque ſpiritu ſolidi, qui hæc apud ſe expendat; idcircò etiam pauciſſimi reperiuntur, qui honeſtè & temperatè edant, ſed vt plurimum gulæ ſeruitur, neque certè paruo cum diſpendio quà animæ, quà corporis.

Digitized by Google

Sectio Quinta.

Gula quantum animo, corporique noxia?

16. ET quantum quidem gula noceat, nocueritque animæ dicta ſunt multa ſupra c 11 à n. 19. vbi oſtendi intẽperantiam tam Angelis quam hominibus fuiſſe cauſam damnorum multorum, & magnorum, aliqua etiam in hoc c. infra in explicatione ebrietatis afferentur. Hic illud omittere nolo, quod S. Paulus ait Philip: 3. in lacrymas ſolutus exprobrat ijs: qui ventri gulæque ſeruiunt. *Multi* inquit *ambulant; quos ſæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico inimicos crucis Chriſti, quorum finis interitus, quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione eorum, qui terrena ſapiunt.* Debuit certe Apoſtolus, ea videre in gula, quæ digna erãt fletu, tantiſque eius querelis, & meritò: nam corpus infartum, & diſtentum epulis, in omnia terrena vitia, ita eſt pronum, vt aſſerit S. Judas, in epiſt. ſua ſic ſcribens: *Hi ſunt in epulis ſuis maculæ conuiuantes ſine timore, ſemetipſos paſcẽtes, nubes ſine aqua, infructuoſæ: quæ à ventis circumferuntur, arbores autumnales, bis mortuæ, eradicatæ; fluctus feri maris deſpumantes ſuas confuſiones, ſydera errantia, quibus procella tenebrarum ſeruata eſt in æternum.* Quæ qui expendit, dicet guloſos deſpumare in confuſiones luxuriarum, aliorumque terrenorum vitiorum; nullius etiam vtilitatis eſſe, quippe qui cerebrum ventri immergunt, alta & homine digna non aſſequuntur, quibus procella tenebrarum ſeruata eſt in æternum.

17. Corpori eadem gula duo adfert damna, omnium medicorum ſententia certa, & quotidiana iam cognita experientiâ. Morbos videlicet, & præcocem mortem. Diſcurrunt Phyſici quî fiat, quod intemperantes citò decedat

mi-

mihi effectum non cauſam ſatis eſt diſcere à Spiritu Sancto Eccleſi: 31. ita loquente: *Noli auidus eſſe in omni epulatione, vt non te effundas ſuper omnem eſcam, in multis enim eſcis erit infirmitas; qui autem abſtinens eſt, adijciet vitam.* Pulchrè Seneca 10. Rhetoricorum idem propoſitum ſic concludit. Quidquid auium volitat, quidquid piſcium natat, quidquid ferarum diſcurrit, noſtris ſepelitur ventribus: quære nunc cur ſubitò moriamur; quia mortibus viuimus. Hæc ille. Jam ad medicinam huius mali veniamus.

Sectio Sexta.

Quæ ſint remedia gulæ, ex quibus primum eſt oratio?

TAntum in homines vitij huius dominium non ferẽs Saluator exemplo ſuo docuit, quemadmodum illud per virtutem corrigi qoſſit; puoties enim aut ſanctũ ſuum refecit corpus, aut alios fame laborantes ſuſtentabat, ſemper ſolitus erat præmittere ad DEUM Patrem orationem. Jta legimus Marci 8. *Accipiens ſeptem panes, gratias agens, fregit, & dabat*, ita alias fecit, vt piam nobis commẽdaret ante cibum conſuetudinem; ex qua inter alia illud facilè conſequitur, quod in ſe experti ſunt duo Diſcipuli in Emaus, menſa excipientes peregrinum Dominum Luc: 24. *Aperti erant eorum oculi, vt agnoſcerent*, id quod non nouerant, nempe reſuſcitatum à mortuis Chriſtum: aperientur quoque oculi, præmiſſa oratione veſcentium, vt agnoſcãt temperantiæ menſuram, eâque cibum & potum definiant ſibi congruum. Aperiuntur item vt nouerint præſentem Chriſtum menſis noſtratibus, ſi non corporali ſubſtantiâ,

cer-

certè Diuinâ, & tam diuina quam humana ſcientia aſſidentem, atque ijs, qui cum gratiarum actione dona eius vſurpant, benedictionem ſuam largientem, ſin ſecus, tanquam ingratos punientem, omnium etiam minimarum culparum vindicem. Conſuetudo hæc, ante & poſt menſam precãdi à Christo introducta, & ab omnibus forte Chriſti fidelib⁹ in primitiua Eccleſia (in qua amoris diuini, viuida tum adhuc flãmma, & recens memoria exemplorum Saluatoris, procul abigebat omnem teporem) vſurpata, in Præsbiteris & religioſis remanſit; qui ſiue ſuas priuatas, ſiue eorum à quibus aluntur benedicunt menſas.

19. Quod quidem ita facere debent, vt duo efficiant omnino, ciborum ſcilicet veram benedictionem, & gratiarum actionem DEO plenè debitam. Ideò quippe à benedictione verba Sacra adhibentur; vt per illa id quod benedicitur, efficiatur ſacrum, quemadmodum ſcribit ad Timoth: epiſt: 1. c. 4. S. Paulus: *Omnis* inquiens *creatura DEI bona eſt, ſanctificatur enim per verbum DEI, & orationem.* Quare verba quæ profert benedicens, ea mentis attentione ac pietate, ea reuerentia ac decentia efferre debet, vt circumſtantibus conſtet, non ſua eſſe, ſed DEI, & DEUS cuius vi atque authoritate proferuntur, vtatur tanquam proprijs, ad communicandam ſuam diuinam ijs quæ ſumuntur benedictionem.

20. Benedictio porrò diuina, his quæ benedicuntur communicata, non eſt qualitas, aut res quæpiam eſculentis & poculentis impreſſa; (omnia enim humor videlicet, ſiccitas, calor, & frigus, atque ex his mixtæ qualitates, ſapor odor & alia, quæ inſunt, eadem manet poſt benedictionem, perinde atq; erãt ante) ſed eſt eorum quæ benedicũtur, relatio quædam ad diuinum cultum. Etenim benedicens & ſumens benedicta, recognoſcit DEUM eſſe authorem, Dominumque eorum, & ab illo quaſi petit licentiam poteſtatemque vtendi, cum proteſtatione quadam ſuæ egeſtatis,

niſi

Digitized by Google

niſi enim hæc à DEO daretur, ad vitæ ſuſtentationem, famæ, & morte eſſet pereundum omnibus: hæc & ſimilia ad cultum DEI ſpectant, quem pia excitat benedictio.

Addi debet & gratiarum actio, quam donorum ſuorum collator DEUS, cùm aliud à nobis accipere nequeat, pretij cuiuſdam exigit loco; quemadmodum legimus eum Lucæ 17. ab illis exegiſſe, qui à lepra mundati neglexerunt grates referre, ſic enim eos reprehendit. *Nonne decem mundati ſunt, & nouem ubi ſunt? non eſt inuentus qui rediret, & daret laudem DEO:* Ea ergo pietate, reuerentia, & decentia, quam requirit benedictio, agendæ ſunt DEO gratiæ, vt ipſe illas acceptet tanquam pro beneficio relatum donum, & rei acceptæ pretium: non quod reuera DEO rependam⁹ æquiualens, ſed quod conemur refundere, quantum poſſumus; id quod tanto pleniore cum ſatisfactione fiet, quantò preces, & reuerentia in munificum largitorem DEUM, fuerit propenſior. 21.

Laudes & grates dictas, opportunè ſecundū menſā exigit De⁹ refectū enim recreatūq; eſt corpus, mens item congratulata bono carnis ſuæ conſortis, in quid honeſtius & laudabilius prorumpat, quam in laudes benefactoris ſui DEI. Gratas ſibi huiusmodi laudes, luculento declarauit ipſemet facto, quod ſupra cap. præcedenti n. 93. attulimus; vbi etiā liquet, quantū ſuccenſeat neganti illas: nam ex aliquot peruerſis religioſis, vnus qui DEO renuit, pro lauta cœna agere grates, ſed per ludibrium Dæmoni eas obtulit, mox vbi ab illa ſurrexit, igne in veru ab eodem eſt toſtus, anima ad æternas flammas deducta; alij qui DEO vtcunque grati erant, pœnas euaſerunt. Jam iſto ſæculo, quo charitas valdè refrixit, multis fortè nimium videretur exigi vt non accumbant menſæ niſi orent, nec ab illâ abſcedant, niſi agant gratias: quin imò ſunt pauci, qui ſiu aulicâ audaciâ, ſiue craſsâ ignorantiâ ridendos putant eos, qui id faciunt, ſupplentes defectum, abſentiaque clerico- 22. 23.

rum, ſed ſi orare onus aut pudor eſt, vel crucem fronti pe-ctoriue imprimere, ſit leue, & decorum. Quod ſi & hoc ob hominum reſpectus, pigeat facere, mente aliquis pius concipiendus eſſet motus, quo veſcens, hominem ſe, non rationis expers brutum, proteſtatur eſſe.

Sectio Septima.

Inter veſcendum vtilis eſt ſermo pius.

24. PRæter orationem qua Dominus menſam condiri voluit, adhibebat etiam ſermonem pium & colloquia, quæ ideò miſcenda cenſuit, vt mens ad pia intenta, auiditatem arceat appetitus, ſimul & eum ſumat cibum, quo illa viuit, & de quo ita Saluator Matt: 4. *Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore DEI*, quot animæ hoc cibo inter veſcendum à Chriſto paſtæ, à morte ad vitam rediêre, teſtes ſunt Zachæi, Matthæi, innumeri Publicani, ac peccatores, è quibus laudem ſibi vendicat illa peccatrix, quæ vbi ſemel guſtauit dulcedinem verborum, quibus ſatiatus Petrus dicebat, *Domine quo ibimus? verba, vitæ æternæ habes*, Joannis 9. Nũquam omiſit captandi cœleſtis paſtus oportunitatem. Atque dum importuna (vt quibuſdam tum viſum eſt) illum quæreret, ab eo qui paſcebat, & laudata, & defenſa ſemper fuit. Laudata Lucæ. 13. *Fides tua ſaluam te fecit, vade in pace*, defenſa Lucæ 10. *Maria optimam partem elegit. quæ non auferetur ab ea.* Sermonum talium inter veſcentes nunc rarus vſus, & qui ſtudio eum ſemperque obſeruaret, pro illo haberetur, qui à mundo, & mundanis rideretur vt plurimum. Non careret quidem aliqua nimis nota is, qui nihil aliud, quàm vel ipſe concionari, vel alios concionantes audire vellet, ſed lau-

Digitized by Google

laudād⁹ ōninò, qui inter alia piū quid dextrè admiſcet. Sed quidquid ſit de cæteris, certè menſæ Eccleſiaſticorum, hiſce animarum epulis non deberent carere: & aſcetica quidem triclinia lectione Diuinorum perſonantia, abundè tales offerunt epulas: Apud Prælatos atque Epiſcopos olim mos fuit, & legendi & de auditis jucundè diſputandi, Vt de S. Auguſtino Eccleſia in lectione officij de ipſo teſtatur his verbis *Vulgaris menſa quam ſemper vel lectione Sacra, vel diſputatione condiebat.* Vtiliſſime id ſeruaretur in illis menſis, atque in ijs locis, vbi procliue eſt ad ebrietatem deflectere, à quâ pia & oportuna audita ſaltem aliquos cohiberent.

Reſtant poſt explicatas iam vltimæ duæ circumſtantiæ temperantiæ expreſſæ his dictionibus: *Quomodo & quãdo* quæ iam ferè ſunt notæ ex dictis, de auxilijs internis n. 13. vbi de modo, & tempore veſcendi egimus; quanquam plures poſſunt dari modi, quàm ibi ſunt explicati, quibus abſtinentia vitiatur. Nam non ſolum ardenter veſci & auide, indecorum eſt, ſed etiam nimis lentè, maioris delectationis gratiâ: Idem de tempore dici poteſt, tam enim vitioſum eſt, tempus conueniens præuenire, quam nimium multum extrahere veſcendo, plura etiam alia poſſunt accidere quæ deflectunt ab ijſdem circumſtantijs. Hactenus eſt dictum de abſtinentiæ virtute, comparata ad ſuos actus, qui ſemper & ab vnoquoque homine honeſtè corpus reficiente debent exerceri, vt vel ſumat cibum potumue, vel abſtineat, & iam ſic, iam aliter, ſe in hoc naturæ opere habeat pro commodo & auxilio vitæ. 25.

Sectio Octaua.

Quare ſuſcipitur jejunium Eccleſiaſticum?

Digitized by Google

EST verò vnus actus, qui à fidelibus tantùm vſurpatur, non tam ſanitatis gratià quàm pietatis, & obedien-
26. tiæ, dictus jeiunium Eccleſiaſticum. Eccleſiaſticū nominatur idcircò quòd Eccleſiia, illud injungit ea authoritate, cuius ſupra hoc c. à n. 4. per aliquot meminimus, explicando circumſtantiam *Quid,* Et licet jejunium hoc ſuſcipiatur accedente obedientia, non eſt tamen illius, vt ajunt, elicitus actus, ſed abſtinentiæ, moderantis delectationem, quæ percipi poſſet ex prohibitis cibis. nempe carnibus, & lacticinijs, deinde ex permiſſis alijs, ſi quoties quis vellet ſumerentur. Solum ergò obedientia imperat non efficit jejunandi operationem, aut ſi efficit, id in ea eſt materiale, formale verò actus obediendi. Cæterum hic agi-
27. tur de actu abſtinendi, qualis eſt jejunium. Tres habet Eccleſia præcipuos fines præcepti jeiunij, quos ita deſcribit S. Thomas 2. 2. q. 147. art: 1. in corp: Aſſumitur jeiuniū principaliter ad tria, primo quidem ad concupiſcentias carnis reprimendas. Vnde Apoſtolus dicit 2. Cor: 6. in jejunijs & caſtitate, quia per jejunia caſtitas conſeruatur, vt enim Hieronym, dicit lib: 2. contra Jouinianum. *ſine Cerere & Bacho friget Venus,* id eſt per abſtinentiam cibi; & potus tepeſcit luxuria. Secundo aſſumitur ad hoc, quod mens liberius eleuetur ad ſublimia contemplanda, vnde dicitur Danielis 10. quod per jejunium trium hebdomadarum reuelationem accepit à DEO. Tertio ad ſatis faciendum pro peccatis vnde dicitur Joel 2: *Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio & fletu, & planctu.*

Sectio Nona.

Quando licita eſt exemptio à jeiunando?

Digitized by Google

DE conditionib⁹ & varijs circumſtātijs jeiunij Catholici, crebri ſunt prædicantium ſermones, ex quibus notitia illius haberi poteſt. Vnum hic afferendum puto, quo oſtendatur eximentium ſe à lege jeiunij, 28.
triplici autem ratione poteſt quis eximi, vt docent Theologi cum S. Thoma 2. 2. q. 88. art: 10. ad 2. & 1. 2. q. 87 art: 4. ad 3 & alibi. Primo cum deficit facultas viresque ad ieiunandum, vt in ægritudine graui conſtitutis euenire ſolet, tales neceſſitate ipſâ, ſine vlla diſpenſatione liberantur à lege ieiunij Secundo cum adeſt aliqua rationabilis, & nō leuis cauſa, cuius intuitu diſpenſatio dari ſolet, ab eo, qui diſpenſandi ſibi habet commiſſam poteſtatem, ita Epiſcopi & inferiores animarum Paſtores diſpenſāt. Poſtremò ſine vlla cauſa dari poteſt diſpenſatio, ab eo qui condendi, vel tollendi legem jejunij, habet poteſtatem, qualis eſt Eccleſiæ Princeps, & caput Summus Pontifex. Jn primo modo non poteſt eſſe errandi occaſio, potius enim tenentur grauiter ægri non iejunare, vt ſanitati & vitæ conſulant; præſertim ſi eorum vita ſit adhuc alijs vtilis, neque cogantur voto, & ſtatu proprio, ad jejunium, vt ſunt quidā Religiſi ordines ab Eccleſia approbati, vel quoad hoc tam ſtrictum in caſu neceſſitatis iejunium) piè tolerati. Jn ſecundo, & magis tertio poteſt aliquid euenire quod diſpliceat DEO, nam ſi exaggerētur cauſæ, & leuiſſimæ pro alicuius momenti, malitioſa fraude, vel craſsâ fragilitate diſpenſanti proponuntur, rectè datur diſpenſatio ab eo, qui ſuſpicatur ſufficientem cauſam; perperam accipitur à fraudis vel malitiæ cōſcio, augeturque malū, ſi multæ adſint & neceſſariæ iejunandi cauſæ, quod malum etiam tunc interuenit, quando petitur licentia à Pontifice, & tamen adeſt iejunandi neceſſitas.

Jam verò talium non exiguus eſt numerus, qui di- 29.
ſpenſationibus gaudent magno animæ detrimento, ſaniſſimi ſunt, vegeti, robuſti, juuenes, ſucco, & ſanguine pleni,

Digitized by Google

quibus diminuendus potius quam augendus eſſet ſanguis, & quod caput eſt quia tales ſunt, varijs peccatis imprimis verò veneri, natura inſtigante ita dediti, vt niſi miraculoſa quadam, vel extraordinaria DEI præueniantur gratia. continere ab eiuſmodi peccatis nequeant, ſed poſt confeſſionem, ſi quando eam faciunt, iterum iterumque recidant; talibus diſpenſatio eſt occaſio peccandi & ruina ſalutis. Solet quidem Eccleſia benigniorem ſe exhibere perſonis Magnatum, Regumque, in quorum longa vita multũ eſt Reipublicæ poſitum, nunquam tamen mens eius eſt vt diſpenſatio lapis offenſionis ſit, & Petra ſcandali. Vbi enim de offenſa DEI agitur, illud Chriſti Matth: 16. ſuper omnia tenendum: *Quid prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua? Filius enim hominis venturus eſt in gloria Patris ſui. cum Angelis ſuis, & tunc reddet vnicuique ſecundùm opera eius.* Non promittit hic Saluator redditurum ſe pro ratione lucri, & vtilitatis, quam quiſque in alijs etiam in toto mundo fuerit conſecutus, ſed pro qualitate operum. Si ergo quiſpiam exemptus à jejunio, toti mundo plurimum proſit, ipſe vero hac exemptione, ad graue detrimentum animæ ſuæ abuſus fuerit, æternis ſupplicijs addicetur, neque vlla habebitur ratio tanti lucri, tantæque in alios redundantis vtilitatis. Quod ſi illis hoc à Domino eſt dictum, qui toti mundo ſunt neceſſarij, atq; vtiles, quid de ijs ſentiendum, qui parti illius, quid tandẽ de his qui paucis ſunt vtiles, aut certe nulli, niſi ſibi, & ſuo genio?

30. EST Sententia omnium Doctorum recepta, vnumquemque qui perire nolit, ea adhibere omnino debere, quibus non adhibitis certò peccaturus eſt, ſunt enim talia tanquam media ad finem non peccaudi neceſſaria, ad quæ perinde obligamur, atque ad hoc ipſum ne videlicet peccemus. Ex quo capite reprehenditur Rex Salomon 3. Regũ 11.

quod

quòd cùm ſciret prohibuiſſe DEUM ad vitādā Idololatriā ne Judæi connubia inirent cum infidelibus, ſciret etiam talis amicitiæ familiaritatiſque fuiſſe medium ad retinendam veram in DEUM fidem, nihilominus neglexerit parere DEO, de quo ita ſcriptum legimus capite citato: *Rex Salomon adamauit mulieres aligenigenas multas de gentibus, ſuper quibus dixit Dominus filijs Iſrael, Non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad veſtras, certiſſime enim auertent corda veſtra, vt ſequamini Deos earum.* Si Salomon grauiter peccauit non abſtinendo à mulieribus aligenigenis, eo quòd ex talib⁹ cōnubijs ſecuturū erat certò, imprimis periculū idololatriæ, deinde ipſa Idololatria, grauiter quoq; peccant qui certo præuidentes, periculū carnalium peccatorū, ex eò quòd non abſtineant à carnibus, & lacticinijs, imò experiuntur ſe peccare, nec finem luxuriæ imponunt, niſi vel morte præueniantur vel naturâ eneruatâ, neget laſciuiendi, facultatem; peccant inquam qui hæc in ſe experiendo, nihilominus qua poſſunt ratione à ieiunio ſe excipiunt.

Hæc certè fuit cauſa quæ DEUM impulit ad diluuiū illud generale, quo effectum eſt, vt fructus terræ, aquarū marinarū alluuione vitiatæ, nō ita eſſent ſalubres hominibus, neque ita efficaces, tum ad ſanguinem copioſum, materiamque generationi neceſſariam procreandam, tum ad formam humidi radicalis efficiēdā conſiſtentiam, ex qua longitudo vitæ dependet. Videns enim DEUS hominem velut equum & mulum, in carnalia ferri, & quò diutius viuebat, fœdius & liberius, abuti ſuo corpore, cibos meliores ſuſtulit, vitamque decurtauit. Id totum feciſſe DEUM, clarè teſtatur his verbis Moyſes Gen: 6. *Cùmque cepiſſent homines multiplicari ſuper terram, & filias procreaſſent: videntes filij Dei filias hominum, quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi vxores ex omnibus, quas elegerant, dixitque DEVS, non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt, eruntque dies* 51.

illi.

Digitized by Google

illius. centum viginti annorum. Et tactus dolore cordis intrinſecus, delebo inquit hominem quem creaui à facie terræ: Negauit creator delicatos cibos, qui vitam quidem prorogabāt, ſed libidinis fomitem irritando, animas necabant; quid faceret nūc cum illis; qui ab eo peterent licentiam, veſcendi delicatis, quæ fomitem acuendo animas luxurijs trucidāt?

32. Quid diceret de Paſtoribus Eccleſiæ, qui non tam neceſſitati, quàm fauori & gratiæ diſpenſando conſulunt? Timuit in hoc Paſtorali munere errorem, ac fidei Domino promiſſæ inconſtantiam, S. Apoſtolus Paulus, quando 1. Cor: 4. de ſe cæteriſque Paſtoribus dicebat, *Sic nos exiſtimet homo vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores Miſteriorum Dei. Hic iam quæritur inter diſpenſatores, vt fidelis quis inueniatur, nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum, qui autē judicat me Domin⁹ eſt.* Hic Domin⁹ cùm acceperit tēpus vt juſtitias etiam judicet, Pſalm; 74. judicabit diſpenſatores, & eos, quibus cum fuit aliquando diſpenſatum. Magnū profectò bonum Chriſti ſanguine partum, in theſauro Eccleſiæ reconditum, eſt poteſtas Eccleſiaſtica, è terris ad cœlos vſque aſcendens, cui illud à Chriſto promiſſum eſt Matt: 18. *Amen dico vobis quæcunque alligaueritis ſuper terram. erūt ligata & in cœlo.* Vſus tantæ poteſtatis Sanctus, & juſtus debet eſſe: cùm ergò juſtitiam examinandi venerit tempus, quæretur tam inter diſpenſatores, quis fuerit fidelis, quā inter eos, qui ab illis, de bonis Domini aliquid ſortiti ſunt, in qualem illud conuerterint vſum, quæretur cur Paſtor à iejunando ſoluerit, & cur fidelis ſolui petierit, omiſeritq; iejunium, ad vitanda peccata, & ad plurima ſalutis commoda comparanda adeo vtile. De his commodis præter iam dicta præcedēti capite n. 42. aliqua attulimus, agentes de caſtitate viduarum, à quibus hic ſuperſedemus.

Virtutis abſtinentiæ, cum ſuis actibus, & debitis eo-
33. rum circumſtantijs iam explicatæ oppoſitum eſt vitiū gulæ, delectationi in veſcendo, contra quam ratio præſcribit

mo-

morem gerens. Gulæ actus, tum eſt peccatum mortale, cum quis vt docet S. Thomas 2. 2. q. 148. art: 2. in Corpore, propter nimiam delectationem cibi potuſue, paratus eſt transgredi DEI mandatum, ſicut transgreſſi ſunt primi noſtri Parentes Hac tali præparatione animi dempta, gulæ opera venialia erunt, vt paulo ante dictum eſt, n. 13. & 14. Connumeratur gula inter capitalia vitia, multa enim ex illa ſequuntur peccata & vitia, luxuriæ, commeſſationum, item & compotationum, nam qui nimio delectatur eſu, potum quoque nimium intermiſcet noctes etiam dieſque trahit epulando, accedunt & furta, rapinæ, fraudes, cæteræque injuſtitiæ vt ſit vnde lautæ inſtruantur menſæ.

Sectio Decima.

Quid ſit, & in quo ſita Sobrietas, ac quàm præſtans?

INter alia vitia ſolet conſequi gulam ebrietas, de cuius virtutis oppoſito nempe ſobrietate primo agendum. 34.
Atque vt intelligatur in quo ſita ſit, duplex conſideratio moderati potus præmittenda eſt. Nam cum corpus eſculento & poculento ſuſtentatur (vnum enim abſque alio non ſufficit ad vitam) ſicut cibi ſumptio, eſt pars totalis refectionis, ita & ſumptio potus, qua conſideratione potum moderatur abſtinentia, vt ita ſumatur, quemadmodum vitæ & ſanitati conducit, ne vel noxius, vel nimius, vel exiguus, ſumatur, ſingula quippe hæc lædunt corporis vitam. Poteſt ſecundò conſiderari potus non vt prodeſt, vel obeſt ſanitati corporis, verùm vt mentem rationemq; concernit, ne ita ſumatur, vt hebetet, obfuſcet, & tollat rationis vſum. Jmpedit autem rationem ideò, quia calidi-

or potus, vi ſtomachi, in ſubtiles vapores reſolutus, caput & cerebrum implet, cum perturbatione imaginationis, qua turbata, languet, deficitque ratio, nimirum quæ nũquam ſola ſine Phantaſia operatur. quare ne talem imaginatiuæ perturbationem, rationis quoque deliquium quoddam ſequatur, neceſſaria eſt virtus ſobrietatis, quæ moderatum potum, non ob ſanitatem corporis, ſed ob rationis retinendum vſum. Ceſſat quidem his vſus in dormiente, verùm non ita vt in ebrio. Nam dormiens ſemper poteſt vti ratione, licet actu, ob quietem corpori neceſſariam, nõ vtatur, ebrius quantumuis excitetur & actu & potentia, priuat ſe illo vſu, euaditque brutum, quod nec vtitur, nec poteſt vti ratione: Propterea ſomnus non eſt vitandus tanquam culpabilis, ſicut vitanda eſt ebrietas de qua mox plura.

35. Sobrietatis virtutem non paruam eſſe ille cenſebit, qui aduertet, quantum bonum eſt poſſe ſemper ratione vti, & quantum malum priuari hac potentia. Magnum quid putant homines amittere ſe, ſi vel perpetuo, vel ad tempꝰ; priuentur jure, & Dominio terrenæ ſubſtantiæ ac poſſeſſionis, vtque illo, ſecure tranquilleque vterentur, terram, quæ ſui ortu, omnium communis erat hæreditas, inter ſe partiti ſunt, adeoque tenaciter huic partitioni innitũtur, vt tanto quiſque firmius nunc ſolidiuſque habeat Dominium, quanto longius, & antiquius ſuam retinuerit ſortem. De his Dominijs certatur toto orbe, litibus, jurgijs, bellis, nece. Ad eadem firmanda, tot fuerunt ſuntque iam, vbiq; terrarum judices, vix demum eſt aliud verbum tam frequens in ore hominum, quàm illud frigidum teſte S. Chriſoſtomo, in oratione de S. Philogonio, *Meum & tuum*.

36. Sed ſi omnium quæ vſquam ſunt Dominiorum originem & quaſi fundamentum perquiramus, aliud non reperiemus, præter rationem, quæ & illam primam terræ adinuenit partitionem, & cauſam eiuſdem partitionis, pacem tranquil-

Digitized by Google

quillitatemque ſtatuit populorum; denique decreuit vt quiſque eo, quod ſortitione obtinuit contentus, vltra non appeteret citra damnum, injuriamque vicini. Quapropter ratio eiuſque vſus, omnium jurium, Dominiorũ, poſſeſſionum fons eſt & origo. Quod adeò verum eſſe patet, vt etiamnum Dominij incapax ſit, qui mente eſt captus. Talium quippe curatio, ſeu(vt alicubi jurisperiti vſurpant) curatella à jure præſcribi ſolet, darique conſanguineis aut affinibus ſanæ mentis. Hinc verò clarè deducitur, quantum ſit bonum ratio, eiuſque vſus, quo & reperta, & ſtabilita ſunt Dominia rerum: deducendum quoque maiori ſtudio vnumquemque eniti debere, vt retineat ſemper hũc mentis ſanæ vſum, qui facit, vt non amittat Dominium in res quas habet proprias. Nam verum eſt illud Philoſophorum dictum, *Propter quod vnum quodque tale, & ipſum magis;* ſi igitur Dominia rerum ſunt à ratione præſcripta, & tanti ſiunt, pluris æſtimari debet ipſa rationis poſſeſſio, vel ſaltem tanti, quanti & Dominia.

Cæterum contrarium videmus fieri à multis, qui pro retinendo jure vnius particulæ agri, equi, veſtis, & ſimiliũ, non parcunt linguæ, quæ litiget, manibus quæ defendat, pedibus vt ad loca ſubſelliaque Tribunalium currant, impenſas verò, curas, & labores, quis recenſeat? In retinenda certè ratione integra, nihil horum fit ab illis, qui rogati duntaxat, aut ne rogati quidem, ſed ſuauitate potandi allecti, perdunt bonum, omnium bonorum, quæ dominijs ſubſunt, maximum. Qui ſobrietate præditus eſt, nouit magnitudinem maximi huius boni, nouit quid habeat illo fruendo, quantum perdat carendo eo; neque inquam induci ſe patitur, vt vel ad breuiſſimum tempus illo deſtitutus, nequeat, (quemadmodum à DEO conditore factus) eſt, aptus eſſe ad Dominandum; ſed mancipium vile bruto ſimile effici cogatur. Cui hoc Pſalmiſta Pſal: 48. exprobrabat: *Homo cùm in honore eſſet non intellexit, comparatus*

37.

eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.

38. A condito Orbe primus Noë amiſerat, hoc tantū bonum, & quidem ſine vllâ ſuâ culpâ, vinum quippe cuius adhuc vim, efficacitatecque non nouerat, in maiore copia ſumpſit, quàm capitis illius debilitas ferret. Noluit hoc etſi inculpatum factum, ſilentio prætertire DEUS, ſed ad poſterorum Noë, hoc eſt omnium hominum notitiam traduxit, quo moneret certoſque redderet, ne vel caſu & ignorantia ſimile quid eueniat, vtque homines ſollicitè bonum rationis ſeruent, quod à DEO perceperunt. S. Paulus ad Titum c. 2. volens totam Chriſtianæ vitæ tribus verbis cōplecti perfectionem, quarum vna nos, alia DEUM, tertia proximum concernit, ita ſcribit, *Sobriè, juſtè, piè, viuam*. Noluit eam partem quæ ad nos eſt relata, generaliore exprimere nomine, dicendo temperatè viuamus, quemadmodum aliſjs vocabulis vſus eſt vniuerſalibus *juſtè, & piè*, cōmendauit, nimirum præſtantiam ſobrietatis, vt ne vileſceret hominibus aliquando. Jnnuere etiam videtur, virtutes quæ ſub temperantia comprӕhenduntur, nempe caſtitatem, continentiam, modeſtiam, humilitatem, & cæteras robur ſuum facile in homine habituras, ſi ratio Domina, & gubernatrix omnium virtutum, beneficio ſobrietatis ſēper manſerit illæſa.

39 Sunt certè plurima in hac mortali vita, quæ mentē rationemque ex arce Dominij, ad terram vſque & terrena deijciant, inter quæ paſſionum motus primas tenent; parū enim facere ipſe tenebrarum Princeps ſuis malignis fraudibus, & technis, non multum aduerſorum aut proſperorū efficerent machinæ, niſi domeſtici hoſtes, timores videlicet, amores, iræ, triſtitiæ & ijs ſimiles, affectiones, cum eiſdem conſpirarent, mentemque ita turbarent, vt vinci & captiuari ſe permitteret, illa tanta Domina, cuius eſt Elogium, *Sapiens dominabitur* (per rationem videlicet) *aſtris*. Si ad hos domeſticos hoſtes rationis accedat ebrietas (*ipſa* quoque

que ab intra inſidians) & vires aſſidua illorũ impugnatione fractas ac debilitatas diſſipet, ad nihilũ ridigat, aliud non expectandum, quam quod de illo fit, qui fit præda eſcaq; rugientium leonum, non è cauernis montium, ſed ab inferis erumpentium, quos niſi à ſobrijs depelli poſſe cenſet S. Petrus 1. Petri 5. *Sobrij eſtote, & vigilate, quia aduerſariꝰ veſter Diabolus, tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret.* Merito hæc præcauendo commendat ſobrietatem Apoſtolus, jubetque ijs qui expectant, non infernaliũ beſtiarum immanitatem, ſed Beatorum ſocietatem in cœlis, vt ſobriè viuamus, expectantes beatam ſpem.

Sectio Vndecima.

Quæ damna affert Ebrietas?

SED vt clarius conſpiciatur, laus ſobrietatis, opponamus ei, æmulam ebrietatem, videamusque quot illa prædat, de ebrio ad orcum deuehit, nullus id melius 40.
præſtabit Salomone, Sapientiæ, & ſobrietatis ſtudioſo, ita de hac re Prouerb: 23. loquente: *Cui væ? cuius Patri væ? cui rixæ? cui foueæ? cui ſine cauſa vulnera? cui ſuffuſio oculorum? nonne his qui commorantur in vino, & ſtudent calicibus epotandis.* Duo genera damnorum hic recenſita video, quæ ebrietas duplici quoque ratione afferre ſolet, ſunt quædam corporis, & fortunæ; alia animæ, vtraque non vacant tum culpâ, cum ebrius vltro bibit, vt amittat rationis vſum, aut certè licet id ex propoſito non intendat, ſcit tamen certò illud ſecuturum, eò quòd nouerit potus vini, & capitis ſui debilitatem, vel deniquè præuidet ipſum periculum amittendi rationis vſum. Hæc tria ſi abſint, & tamen adeſt ebrietas, nec ipſa eſt culpabilis, cum non fuerit præuiſa, nec ea

damna quæ ebrietati juncta ſunt peccata erunt. Jtaque damna illa duplicia duplici ratione ebrium afficiunt, aut cum culpâ, ſi & ebrietas & illa præuideatur, aut ſine culpâ ſi non præcedat præuiſio. Ebrietas porrò plena cenſetur illa quæ non relinqnit eum rationis vſum, qui internoſcere poſſit differentiam, inter virtutem, & vitium, taliſque ſi culpabilis eſt, mortalis habenda, alia minor, & venialis.

Jam damna ebrietatis ſingula expendamus. Primũ eſt
41. *Væ*, hoc non aliud eſſe poteſt maius, quàm peccatum maximum animæ damnum, quod damnati deflebunt ſine fine, & numero *Væ*, ingeminantes. Multa verò ſunt peccata in ebrijs, imprimis ipſa ebrietas, de qua 1. Cor 6. clare dicitur: *Neque ebrioſi regnum Dei poſſidebunt.* Quem locũ S. Aug. in Serm: de temp: Serm: 231. ita interpretatur, itaq; vult intelligi (ſicut & alia ſimilia ebrietatem damnantia) vt cæteras quaſuis, ioci gratiâ ab ebrioſis afferri ſolitas interpretationes, prorſus reijciendas cenſeat. *Cùm*, inquit, *ebrietatis malum ſit graue vitium, & DEO odibile, ita per vniuerſum mundum à pluribus in conſuetudinem miſſum eſt, vt iam nec putetur eſſe peccatum.* Mox ſubiungit quàm ſit noxia hæc opinio: *Qui credit ebrietatem paruum eſſe peccatum, ſi ſe non emendauerit, & pro ipſa ebrietate pœnitentiam non egerit, cum adulteris & homicidis, æterna ſine remedio, illum pœna cruciabit.*

42. Sunt deinde alia peccata, quæ ebrij liberè, nimirum præuidenter illa patrare ſolet, præſertim peccata luxuriæ, quorum materiam fomitemque ſuggerit potûs copia, teſte Paulo ad Epheſ: 5. vbi ob hanc cauſam prohibet ebrietatẽ *Nolite*, inquiens, *inebriari vino, in quo eſt luxuria.* Jtaque omnia ea, quæ ſi in vigilia fierent culpa non carerent, in ebrietate quoque non vacant ab illa, ſi vt dixi præuideantur, præuidentur autem ab eo qui ſe inebriat, ſciens in ebrietate ſe illa, (data oportunitate) cõmittere ſolere, aut ſaltẽ promptum eſſe ad committendum, niſi vi aut alia ratione compeſcatur. Doctrina iſta communis eſt Theologornm

cum

Digitized by Google

cum S. Thoma 2. 2. q. 101, a. 4. quare is qui nouit ſe inebriatum procliuem eſſe, ad quæuis (modo adſit occaſio) luxuriæ ſcelera, mente, ore, opere, patrari ſolita? ad maledicta item, detractiones, blaſphæmias, & alia: omnium vna ebrietate erit reus, in qua tanquam in cauſa, indirectè ſubſequentia peccata intendit. Reus inquam omnium erit, quia vel omnia hæc ebrius committit, vel omnium, aut ſaltem aliquorum pro ratione occaſionis, periculo ſe exponit. Quod vel ipſum ſolum damnat Spiritus S. Eccleſiaſt. 3 *Qui amat periculũ peribit in illo.*

Jd autem ita verum eſt vt non ſolùm ebrietas mortalis, omnium ſubſequentium peccatorum, faciat ebrium reum, ſed etiam venialis ſi perinde quis nouerit, ſe pronũ eſſe, ad committenda grauia mala, in ebrietate veniali, atque in mortali. Quod expreſſe docet Caietanus in locum S. Thomæ, proximè citatum: Eſtque huins ratio in prõptu, à S. Paulo 1. ad Cor: allata, vbi dicit: *Si eſca ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum.* Carnium vſus de ſe licitus eſt, cauendum tamen cenſet Apoſtolus, ſi ſequatur ſcandalum: multò magis cauendus eſt potus, quãdo & vſus eius culpabilis eſt, etſi venialiter, & grauia inde ſequuntur crimina, quæ maiorem habent malitiam quàm ſi in ebrietate mortali committerentur: plenè quippe ebrius amittit omnem rationis vſum, & more beſtiæ quiduis agit, ſolumque peccat præcedenti præuiſione, & deliberata voluntate, qua ebrietatem tanquam cauſam tot malorũ elegit. Qui verò ſemiplenè eſt ebrius quæcunque peccata tunc committit, non ſolum cauſam dat, ſcilicet ebrietate veniali, deliberatè commiſſa, ſed & effectus eius vltro acceptat, ſiquidem habet tunc rationis vſum eſi nonnihil perturbatum, quo ſciens, & volens patrat mala. 43.

Sed enim enumeratis iam animæ damnis, creberrimè annectitur vnum vltimum omnium, & quidem tale quod nunquam compenſari poteſt. Quàm multos au- 44.

audimus, imò etiam videmus, in ipſa ebrietate decedere ex hac vita, aut quia ob nimiam calidioris potus copiam æſtu ſuffocantur, aut quia cædes ſubſequitur, quæ ebrijs vt mox dicemus familiaris eſt, aut denique quia occulto DEI judicio tolluntur ſubitanea morte & cum tales vel ob ſolum ebrietatis grauem culpam imparati migrent, neque ſic decedētes vllo ab Eccleſia remedio, aut Sacramēto juuari poſſint, ſiue dum adhuc cum morte luctantur. (ſiquidem ratione ſopita, ſalutis antidota, ſicut & irrationabilia bruta recipere non poſſunt) ſiue iam mortui, cum in peſſimo obierint ſtatu, æternum væ miſeri poſt infelices inchoant calices, quo an vllum aliud damnum, maius eſſe aut cogitari poteſt? Tantum animæ detrimentum videtur Sapiens innuere ſubſequentibus verbis, *cui fouea?* fieri enim & crebro ſolet, vt ebrij incaute incedentes, aut in equis periculoſe curſitantes in foueas præcipites ruant, ceruiceſque frangant, atque id nomine foueæ intelligi poſſet, verùm talis fouea tolerabilior foret, modo anima eſſet tuta ab horrenda illa fouea, quæ cum corporibus animas, æternis addictas cruciatibus in ſe concludit.

Reliqua alijs membris adducta à Salomone damna externis & huius vitæ bonis obſunt. *Patriæ Væ*, rixæ, vulnera, ſuffuſio oculorum. Dolent parentes, amici & propinqui multa in ebrijs, diſplicet illis prodigalitas, ſine qua cōpotationes & commeſſationes non fiunt, & per quam id quod cum labore multo longoque tempore collectum eſt, cito diſpergitur, ſed illud maxime amicos torquet, quod ebrietas charos, ita facilè medio tollit, vt facile eſt illum perire, qui perdidit id, quo prudētes cauent ne pereant, nēpe rationem. Non aliam ob cauſam Dauid Rex vt habetur 2. Reg: c. 14. ſcidit veſtimenta ſua, & cecidit ſuper terram, & omnes ſerui eius qui aſſiſtebant ei, ſciderunt veſtimenta ſua, quia nimirum filius eius primogenitus Amnō temulentus à fratre Abſolone cæſus erat. Ad rixas, ad vul-

45.

Digitized by Google

vulnera, ad mutilationes membrorum, tam in alijs efficiendas, quam in ſe perferendas, quis ebrio promptior aut aptior, nimirum, qui inſano per quam ſimilis, id omne licere putat, ad quod impellit caloris, ac cholerae incenſio, nempe rixas, maledicta, vulnera, cædes.

Poſtremò non contemnendum eſt malum, quod ſuffuſione oculorum videtur à Sapiente exprimi, ebrioſi 46.
enim non valentes nimium digerere potum, replentur cruditatibus, quæ deinde generant pallorem & ſuffuſionē vultus, oculorum lippitudinem, manuum, pedumq; tremorem, vitia ſtomachi, hepatis exuſtionem, pulmonis tabem, denique illos morbos, qui abundantiam phlegmatici humoris conſequi ſolent, ſcilicet lethargum, paraliſim, apoplexiam, & alios, etiam medicis incognitos, & innominatos, tandemque præproperam mortem. Alexandrum Magnum, ad hoc in orbem terrarum deſtinatum, vt peccata in Regnis & Prouincijs, tranquillitate pacis gaudētibus, impunita, tanquam flagello DEI caſtigantur, ſimul & potentia Diuina, prouidentiaque rerum humanarum nota eſſet, quæ prout neceſſe videt, hos deprimit, illos eleuat; hæc inquam in Alexandro is conſpicit, qui legit à DEO. Ezechielis c. 29. dictum: *Fili hominis, Nabuchodonoſor Rex Babylonis, ſeruire fecit exercitum ſuum, ſeruitute magna aduerſus Tyrum; & merces non eſt reddita ei, neq; exercitui eius de Tyro, pro ſeruitute qua ſeruiuit mihi aduerſus eam: Propterea hæc dicit Dominus DEVS: Ecce ego dabo, Nabuchodonoſor Regem Babylonis in terra Ægypti, & accipiet multitudinem eius, & diripiet ſpolia eius, & erit merces exercitui eius, & operi quo ſeruiuit.* Huc vſque Prophetia, quæ Alexandro, non incongruè quadrat. Ad ſeruiēdum quippe Diuinæ juſtitiæ, vna cum exercitu ſuo ſ ejectus fuit, ille ſtupor, & terror mūdi; multaque vix adoleſcentiam emenſus paucis annis fecit, & ſi diutius vixiſſet (ex præteritis ferendo conjecturam de futuris) plura eum patra-

Digitized by Google

turum fuiſſe nullus dubitabit. Verùm tanto Diuino fauori, tantæque felicitati humanæ præcidit filum ebrietas, quæ alias inſignes & heroicas eius virtutes dexteritatẽque agendi ſimul cum vita cito abſorpſit, neque permiſit viuere vltra vigeſimum quintum annum. Lege Plutarchum, & Curtium hoc in illo vnum reprehendentes.

Reperiuntur his quoque temporibus ad egregia, lõ-
47. gamque vitam nati, ſed hoc vno laborantes vitio, ineptiſſimi redduntur, quippe qui mente rebus gerendis ante moriuntur quam veniat (vt quidem ſolet in ebrioſis venire cito) mors corporis. Sed (vt appareat quàm multorũ enormium malorum cauſa ſit ebrietas) illud eſt terribile, quod refert S. Auguſtinus Serm: 33. ad Fratres in Eremo, Neque corpori tantùm, animæque vnius ebrij, ſed multis etiam alijs nocens. *Accidit* (inquit ille) *hodie terribilis caſus, propter quem ad Eccleſiam Hypponenſem, etiam fæminas & infantes congregari præcepi. Ecce præclariſſimus Ciuis noſter, & ferè dilectus præ omnibus, Cyrillus filium habebat, quem corrigere nolebat, & luxurioſè viuendo inſumpſit, partem bonorum ſuorum. Sed ecce hodie ebrietatem perpeſſus, Matrem prægnantem nequiter oppreſſit, ſororem violare voluit, Patrem occidit, & duas ſorores vulnerauit ad mortem.* Hæc ille. Quibus quid enormi⁹ & miſerabilius cogitari poteſt.

Sectio Duodecima.

Quid Gentiles, & Sancti Patres de ebrietate ſentiant?

48. VEteres non omnia quæ affert ebrietas detrimenta, animæ præſertim, aut nouerunt aut expenderunt, horrebant tamen illam vehementer, vel ob ea ſolum,

lum, quæ oculis omnium patent, & vitæ corporali, fortuniſque noxia ſunt. Varijs proinde in eam, & de ea dictis homines deterrebant De Anacharſe quodam Philoſopho, refertur ab ijs qui dicta referunt Philoſophorũ, quòd dum interrogatus eſſet, quo pacto quis abſtemius fieret, reſpondit: ſi quæ turpiter ab ebrijs fiunt, ſibi ante oculos ponat. Nullus eſt qui non rideat ebrios, imo omnes horrent geſta factaque eorum, neque eſt homo prudens, & ſanæ mentis, qui riſus, opprobrium, & horror aliorum velit eſſe. Hæc qui ob oculos ſibi ponit, tantum momenti habitura putat Philoſophus, vt ſemper abſtemius, & ſobrius velit eſſe. Alter item Philoſophus Cleomenes dict' quæſit°, cur Spartiatæ parũ bibant, reſpondit: *Ne pro nobis alij conſultent ſed nos pro alijs.* Magna ad conſultandum prudentiâ, hoc eſt maturâ & perſpicaci, ſingulaque expendẽti opus eſt; eam maturitatem & perſpicaciam tollit ebrietas; calor enim cerebrum, ſpecieſque vt vocantur à philoſophis intentionales, ac phantaſmata commouet, perturbat, & ita ſus deque vertit, vt neque in vno fixe hæreant, quod ad maturitatem requiritur, neque omnia quæ inſunt conſultandis integrè percurrant, quod exigit perſpicacitas, ex quo fit vt immaturè præcipitetur, & noxiè de grauiſſimis deliberetur rebus, quod non tantum locum habet in ijs qui iam ebrij ſunt, quid enim tales recti bonique definiant? ſed etiam in illis qui poſtquam edormierunt crapulam, ad conſultandum ſe conferunt; non enim fieri poteſt, vt ſomnus digerat omnes cruditates, quas præſertim in crebro ſe inebriantibus, plurimas remanere neceſſe eſt, ſemperque impedire operationes mentis, propter perturbationem cerebri, & ſpecierũ, quæ à dictis cruditatibus multum afficiuntur. Nam ſi ſtomachus qui eſt à natura deſtinatus ad operationes vitales quidem, omniũ tamen infimas, modo crudis humoribus imbuatur, male digerit: peius caput ſua exercebit

munia quæ ſunt ſuprema omnium vitalium operationum, quando abundat copia ſuperfluorũ humorum.

Quapropter Plato Dialogo 2. de legum latione, non
49. ab ebrietate tantùm, aut nimio vſu vini, ſed ab omni prorſus vſu abſtinendum cenſet, ijs vel maximè qui rebus agẽdis vacare debent, propterque Carthaginenſium legem, quæ interdicebat vino militibus in caſtris, ſeruo, & ſeruæ ſemper, magiſtratibus toto tempore, quo vtuntur magiſtratu, gubernatoribus ac judicibus (cum munus ſuum obeunt) deliberaturis de rebus grauibus; & tandem concludit *Nulli penitus interdiu vinum concederem niſi exercitationis corporeæ morborumque cauſa, hoc potu opus fuerit.*

De Romulo Romæ fundatore ſcribunt hiſtorici eũ
50. fuiſſe in bibendo parcum, cumque ſemel modicum bibiſſet, vnus illi è familiarib⁹ dixit: *Si ad iſtum modum omnes bibãt, vinum eſſet vilius,* ad quæ Romulus, *imò verò carius, ſi quantum quiſq; volet bibat, nam ego bibi quantum volui.* Hoc ſapienti reſponſo oſtendere voluit, ebrioſos fruſtrari fine ſuo, propter quem bibunt. Nam ſi interrogentur cur tãtum bibant, reſpondebunt, quia ſapit, & volupe eſt. Negat & rectè voluptatem eos percipere Romulus, tanto ſiquidem maiore cum guſtu bibitur, quanto amplior eſt ſitis & indigentia naturæ, quæ optimum eſt potus condimentum. Jam cum ebrij minime ſitiant, eo quod pleni ſunt, præſtantiſſima etiam vina nauſeare debent, tanquã vilia & inſipida, qui vero ſitiendo, & tantum quantum natura appetit, bibit, carum gratumque habet, etiam minùs præſtantem potum: Rectè ergò dixit Romulus, carius fore vinum, ſi quantum quiſque volet bibat.

51. Poſtremò fuerunt, qui ipſius Bacchi teſtimonio, damnabant inebriandi ſe noxiam conſuetudinem, itaque illum dicere ſolitum aiebant: *Tres tantùm ego ſanis Crateres miſceo, vnum valetudinis, ſecundum amoris, tertium ſaporis, quo qui ſapere ſolent eunt hauſto domum, nam quartus haud eſt ampli-*

us crater meus, ſed contumeliæ, velut huic proximus clamoris, hunc ſequitur commeſſandi furor, ita ſeptimus habet vulnera, octauus forum, nonuſque ſtomachum, & decimus eſt inſaniæ. Nihil hic indignum honeſtis auribus, niſi forte turpem quis amorem ſuſpicetur, in ſecundo Cratere, ſed poteſt eſſe amor hilaris amicitiæ. Talia videri poſſunt in Suida, voce οἶνος, Platone, & alijs qui in ebrietatem inuecti ſunt, ſed ob longitudinem illa hic omitto. Ex S. Patribus innumera eſſent afferenda, quibus illi aut Sobrietatem commendant, aut exoſam reddunt ebrietatem.

Vno contentus ero S. Auguſtino, qui Serm: de temp: 52. ſic ſcribit: *Solent ebrioſi ita ſe excuſare, vt dicant: Perſona potens me coegit, vt amplius bibam, & in conuiuio Regis non potui aliud facere. Etiamſi ad hoc veniretur.* Sunt verba Auguſtini, *vt tibi diceretur, aut bibe, aut morieris, melius erat vt caro tua ſobria occideretur quàm per ebrietatē anima moreretur,* oſtēdit deinde magnitudinem meriti in eo, qui ſobrietatis gratia aliquid patitur. *Ille inquit, qui ebrietati reſiſtit ſi cum Dei adiutorio perſeuerauerit, & pro ipſo aliquas pertulerit tribulationes. omnia ei Dominus ad Martyrij gloriam reputabit.*

Sectio Decimatertia.

An, & quænam excuſent ebrietatem; & primò, an ſanitas corporis?

TOT de cauſis noxiam & deteſtandam ebrietatem, aliqua pleroſque videntur excuſare potiſſimè in 53. partibus noſtris ſeptemtrionalibus, vbi frigidior aura natiuo corporis calori obeſt, atque ad ſuppetias ei ferendas, calidiore potu erat opus, Et primo quidem

vſus illius fuerat tantus, quantum indigentia exigebat, ſucceſſu deinde temporis indigentiæ adiuxit ſe voluptas, quæ iam non expletur niſi ebrietate. Hanc inebriandi ſe conſuetudinem nonnulli ebrioſorum, licitam eſſe putant propter ſanitatem corporis, ſunt enim qui niſi ſe ingurgitent, dormire nequeunt, vel aſſueto ita capite, vel curis & ſolicitudinibus exſiccato. Sed excuſatio hæc, qua illi ſe ſpecie ſanitatis à peccato vindicant, non plus facit, quàm ſi quis dicat, licere furari, vt furto ablatis ad ſanitatem vtamur, aut fornicari mollemque eſſe, quando id ad depellendum conducit morbum. Nam cùm ebrietas non ex eo ſit mala & illicita, quod lædat valetudinem, ſed quòd auferat magnum hominis bonum nempè rationis vſum, & ob id ex genere ſuo ſit peccatum graue, conſequẽs eſt, vt nullo bono fine honeſtari poſſit, Non enim ſunt facienda mala vt eueniant bona, quale eſſet hic ſanitatis, corporeæ bonum, Atque ita ſentit S Thom: 2. 2. q: 110, a. 2. ad 3. quem ita ſentientem ſequuntur alij, vbi cum obieciſſet ſibi, poſſe interdum à medicis præſcribi ægris ſuperfluos potus, vt per vomitum purgentur, ſanique fiant. Reſpondet potum duplici modo ſumi poſſe, primo vt conducit valetudini, & ſic quemadmodum certa quantitas & menſura potus, vni eſt ſuperflua, alteri moderata, pro diuerſitate corporis, & complexionis, ita fieri poteſt, vt certa menſura potus, ſano ſit ſuperflua, infirmo moderata, atque ita ex conſilio medici, poteſt æger plus bibere quam biberet ſanus, quia talis exceſſus eſt illi moderatus, tanquam infirmo, cum per vomitum conducit ad ſanitatem. Secundo aſſerit, poſſe ſumi potum, qui tollit vſum rationis, quo pacto nunquam eſt licitus, eò quod vt talis habeat, inſeparabiliter annexam, prohibitaque ipſo lumine naturæ culpæ malitiam; dictat enim hoc, cauetque ne quis ſe priuet tanto bono, ab authore naturæ accepto, qui eiuſdem ſolus eſt Dominus (ſicut & ipſius animæ) non

ho-

Digitized by Google

homo, proinde homo non poteſt pro libito priuare ſe illo; ſicut non poteſt priuare corpus ſuum vitâ, & animâ.

Poſſet quis in fauorem, ebrietate ſibi medentiũ duo afferre, primò licere maius bonum perdere, vt minus conſeruetur, quando vtrumque teneri non poterit, ita poteſt quis potius vita velle priuari, quam pati iacturam famæ bonique nominis, cum tamen vita potior ſit fama: pari ratione licebit ob valetudinem corporis, perdere rationis vſum, præſertim ad aliquod tẽpus. Hoc facile diluitur, allata diſparitate inter bonum rationis, & alia bona, quæ habentur interdum pro maioribus, quando enim bonum minus naturâ ſuâ, adjunctis circumſtantijs, adeò creſcit augeturque, vt ſuperet id quod eſt maius de ſe, tum honeſte & prudenier pluris fit, eo quod in poſito caſu maius iã non quidem naturâ ſuâ, ſed ob illas circumſtantias; id quod facilius concedi poteſt, in illis bonis, quæ ſunt eiuſdem ordinis, ſicut eſt fama, & vita corporis, ad temporalia bona ſpectans. Hæ circumſtantiæ ſuaſerunt fortiſſimo Populi Dei Duci, Judæ Machabæo, vt in periculo vitæ conſtitutus, maluerit mori, quàm fugere ex acie, veritus nimirum, ne ſi fugeret timidus, & imbellis putaretur, tum cùm maximè opus erat fortitudine, fiduciâ in DEO, & bono, quod commilitonibus relinquendum erat, exemplo: Suadentibus ergo fugam ita 1. Machabæorũ c. 9. reſpondit: *Abſit iſtam rem facere, vt fugiamus ab eis, & ſi appropiauit tempus noſtrũ, moriamur in virtute, & nõ inferamus crimen gloriæ noſtræ,* 54.

Jam verò, valetudo corporis nunquam tanti eſſe poterit, vt adæquet, ne dum ſuperet, rationis præſens dominium, atque vſum, ſicut ipſum corpus quod eſt longe inferioris ordinis, quam ſit ſpirit⁹ atque anima, nũquam illam adæquat, nimirum rem ſuperioris & præſtantiſſimi gradûs, ſicut etiam quæcunque corporis, & caducæ vitæ bona in nullo caſu præferenda ſunt virtutib⁹ vt propter illa hæc 55.

Digitized by Google

hæc damnum, vel ad breuiſſimum tempus patiatur: Ita iſta ſecum conferebat, & maius de genere ſuo minori præferebat, nempe animam, & eius bona, corpori & fortunæ, ipſe per quem facta ſunt omnia. Matth: 16. *Quid prodeſt homini ſi vniuerſum mũdum lucretur, animæ vero ſuæ detrimentum patiatur.* Sicut ergo non licet, vel ad breue tempus rationi honeſta ſuadenti obſiſtere, & præferre inhoneſtum honeſto; ita non licebit, vel ad breue tempus ipſam perdere rationem, vt ea impotens ſit ad omnia, etiam ad ſuadendam ſibi alijſue honeſtatem.

56. Hoc eodem modo reſpondendum eſt dicenti, licere præcidere digitũ, ne totum corpus corrumpatur, ita etiam licebit pati damnum, in ratione, ne vita totius hominis periclitetur: reſpondendum inquam diſparitatem eſſe, nam digitus eſt pars totius corporis, ipſum integrans, merito ergo illi præfertur totum tanquam maius minori bono, ac hæc eſt eiuſdem ordinis cum toto corpore, cum ſit res corporea: Cæterum ratio nec eſt pars vitæ corporalis, ſed pars ſolius animæ; nec eſt eiuſdem ordinis cum vita, cum hæc ex parte corporis corporea ſit & caduca, mens purè ſpiritualis & immortalis, ſpirituale autem & immortale ſemper præferẽdum eſt corpori & mortali.

57 Secundo in gratiam eorundem ægrorum, dici adhuc poteſt licitam eſſe ebrietatis medicinam: nam ex cõmuni Doctorum ſenſu, poteſt quis ſuas ſyluas, verbi cauſa, exurere propter commodum, vtilitatemque propriam, quãtumuis præter omnem intentionem exurẽtis ſequatur dãnum vicini in ſyluis contiguis, pari ergo modo licebit vti copioſo potu, vt medicinâ, propter commodum valetudinis, etſi interim ſequatur læſio cerebri & ebrietas. Hoc etiam minimè cõuincit ebrietatem eſſe licitam, nam exuſtio ſyluæ propriæ, non eſt inſeparabiliter conne-

Ss

Digitized by Google

xæ cum combuſtione ſyluæ alienæ, cum hæc defendi poſſit & varia ratione euitari. Quodſi de facto exuratur, id caſuale eſt, vel ſaltem tale, quod per accidens conſequitur; cæterum potus ille qui ad hoc vel ſaltem tantus ſumitur vt tollat vſum rationis inſeparabilis eſt à damno magni boni: quare ſicut damnum, non poteſt non eſſe damnum, ita potus inebrians non poteſt, non eſſe cauſa tanti damni: ac proinde culpa damnificatis, quemadmodum quia actus mollitiei, eſt neceſſariò conjunctus cum damno prolis, ad quam ſunt ordinata membra naturæ, nunquã licitus eſt, ob valetudinem aut etiam vitam corporalem, ſed ſemper eſt damnificans, & culpa grauis. Itaque hæc prima excuſatio non eximit ebrioſos à peccato.

Sectio Decimaquarta.

Vtrum propter hoſpitalitatẽ licita ſit Ebrietas?

ADducunt ijdem aliam plenam humilitatis & beneuolentiæ, aſſerũtque ſe non poſſe amicos notoſque jucundè & humaniter excipere, niſi & ipſi ſint poti & conuiuas inebrient. Vrgent hanc excuſationem duo, conſuetudo iam recepta communiſque apud plurimos, deinde obtrectationum timor, niſi enim Patresfamilias vſque ad ebrietatem tractent, tenaces, inhumani, parci habentur. Excuſatio hæc duobus fulta ſuis argumentis, conſuetudine videlicet, & timore, adeò in multis ſeptemtrionis Prouincijs inualuit, vt turpe & indecorum ducatur, intereſſe conuiuio, non ebrium, neque inebriantem, & quod maius eſt, etiam apud illos id locum habet, qui ab eo quod animæ, ſpirituique regendo ſunt, Spirituales dicuntur. præ-

Sed excuſatio dicta quæ ſumitur ab humanitate, inhumana eſſe oſtendetur, ſi tam conſuetudinem, quam
59. timorem, cui illa ta iiquam fundamento innititur ruere neceſſe erit. & conſuetudinem quidem damnat Spiritus Sanctus Prouerb: 23. ſiue quæ iam fuerit tum cum hæc ſcribi mandauit, ſiue futura deinceps. Loco ergò citato omnia ebrietatis damna ſupra explicata, imputat tanquam malæ cauſæ inebriandi ſe conſuetudini. Sic enim ait: *Cui væ! Cuius Patri væ!* &c. & tandem *nonne his, qui commorantur in vino, & ſtudent calicibus epotandis.* commorari & ſtudere denotat actum, & operationem, è qua conſequitur habitus, & conſuetudo, quamue malam exprobrat DEUS, potatoribus. Neque enim malum, ideò, quia crebrum, & conſuetum eſt, ceſſat eſſe malum.

60. Intulerat conſuetudo Sodomis & Gomorrhæ fædiſſimorum peccatorum, ita vt nec Angelis in corpore aſſumpto parceretur hoſpitibus, non excuſauit illa incolas dictarum vrbium à culpa & poena, imprimis ignis ſulphurei de cœlo miſſi, deinde incendij, gehennalis. Fateor conſuetudinem interdum legis vim obtinere, poſſeque temporis decurſu aliquid in republica licere, quod ab initio non licuiſſet, tali conſuetudine poſſidentur nunc à certis dominis definitæ terræ portiones, quas alij ſibi vſurpare non poſſunt, cum ab initio creati mundi omnia fuerint communia: Verùm hoc in ijs tantùm locum habet, quæ non ſunt contra legem, & lumen naturæ, ſed contra legem aliquam humanam, vel certè ſunt talia, in quibus adhuc nihil lex humana ſtatuit, vt docent Theologi cum S. Thoma 1. 2. q. 97. art: 3. in corp: & alibi. Cæterum ea quæ contraria ſunt legi naturali, nulla vnquam conſuetudine licita erunt, quis enim homicidia, latrocinia, adulteria & ſimilia monſtra, etſi vſpiam conſuetiſſima excuſet à Cri-

mine

Digitized by Google

mine. Talis eſt inebriandi ſe conſuetudo, quam cõmoratio crebra in vino alioque inebriante potu, & ſtudium potandi inuexit.

Nec myſterio carent vocabula hæc *Commorantur & ſtudent*, ſignificare quippe voluit Spiritus Sanctus, fore aliquando tam Magiſtros quàm diſcipulos, qui diu mo- 61.
rentur in Schola ebrietatis, ſtudeantque potandis calicibus, diu inquam, nam à juuentute & Adoleſcentia, aggrediuntur hoc ſtudium, neque finiunt niſi cum iam Caput, ſtomachus, totumque corpus cogit valedicere illi ſtudio. Vt tamen in alijs corporis illecebris, ita in hoc potandi oblectamento, callida voluptas, ſubtiles quaſdam & ad ſpeciem honeſtas præſcribit diſcipulis artes & regulas. Inter alias vna eſt quam ſuggeſſit Orco, euocatus Doctor, qui olim finxit deam quandam Annam, ab Anno ſic vocatam, eiuſque feſta certis anni temporibus Deæ cultores ſibi propinabant merum, tot precando annos, quot quiſque calices hauſit. Retinetur hæc à multis per Cacodæmonem reperta conſuetudo, & vt liberiùs teneatur, interuenit cultus cuiuſdam, & pietatis forma. inuocatur quippe DEUS fauſtorum auspex: quod quidem ſi cætera abeſſent, citra reprehenſionem fieret, ſed exhauriuntur interim pleni, nec parui interdum cyathi, bibitur pro ſalute maiorum, parium, muta, & ita bibitur, vt nõ ante ceſſetur, quàm ad omnes quibus optandi eſſent anni, nominandos, ſufficiat plenus iam ſtomachus & deiectum grauatumque caput.

Vt tamen multi auſpiciorum exhauriantur crateres, neque tam facile violentiæ ſuccumbat natura, 62.
non deſunt qui eam aſſuefaciunt, quo conſuetudo euadat altera natura. Scribit Syluius in Paral: Alphon: de Comite Goritiæ Henrico, qui duos filios adhuc paruulos in ſuo conclaui nocte cubantes habere ſolitus e-

rat, & dum obdormiſcerent ſæpius illos excitare, quærereque num ſitirent, ſomno verò oppreſſis ingerebat vinum euomentibuſque illud iratus, vxorem compellare dicereque. Ex alio concepiſti meretrix, neque enim filij mei ſunt, qui noctem integram nihil ſitientes dormiunt. Facilè inducor, vt credam, hos filios inſignes tandem, talis magiſterij factos diſcipulos vſu videlicet & conſuetudine diebus noctibuſque indurata. Non omittuntur plures alij modi eadem potandi conſuetudinem promouentes, quos ego, quia negligi cupio, nolo hic afferre.

Ad alterum argumentum venio, quo humana
63. innititur ebrietas, & eſt timor linguarum atque obtrectationum, ſed hunc & quemcunque alium etiam maiorem Dominus Matthæi 10. tanquam vanum contemnendum cenſet: *Nolite*, inquit *timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere, ſed potius timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam*, Non prohibet hic Saluator timere, illa, quæ nos quoquomodo afficere poſſunt, inter quæ ſunt oblocutiones hominum, neque prohibet aſſumere ea, quibus occurratur linguis procacibus: ſed illud omnino vetat, ne ita timeamus honores, vt timorem eorum DEI honori præponamus: malimuſque offendere Maieſtatem diuinam quam hominum fauorem, quod nullo vnquam in caſu faciendum, etſi agatur de vita ipſa corporis, teſtante & jubente Chriſto: *Nolite timere eos qui occidunt corpus.* Itaq; is qui magis timet DEUM quàm homines, hoc præiacto velut fundamento, agat, curetque, vt non habeatur in tractando parcus & ſordidus, inuitet amicè quos cupit, optimè interim facturus, ſi memor conſilij Diuini Lucæ 14. Amicis admiſceat eos, in quibus ipſe Dominus vult conuiuari; etſi non ita opiparè, vt ami-

amici. *Cum feceris*, (conſiliũ eſt Chriſti) *prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos neque fratres tuos, neque cognatos tuos, neque vicinos diuites, ne fortè & te ipſi reinuitent & fiat tibi retributio: ſed cum facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos, & beatus eris, quia non habent retribuere tibi, retribuent enim tibi in reſurrectionem iuſtorum.* Inuitet ergò is, qui tractaturus eſt, amica ductus beneuolentia, non ſordido lucro & compenſatione, non inuitatum venientem, hoſpitio hilaris excipiat, non pellat triſtis domo, nam & hoc iubemur facere cum poſſumus, Hebræos 13. *Hoſpitalitatem nolite obliuiſci.* Proponat deinde quæ habet ſecutus Sanctum Paulum ad Philip: 4. *Scio & ſatiari & eſurire & abundare & penuriam pati,* quæ inquam habet proponat, ſi multa habet, copioſè; ſi pauca, modicè, ad ea tandẽ quæ propoſuit ſumenda excitet beneuolè: quæ vbi fecerit omnia, facile vitabit iuſtas de ſe tanquam inhumano & parco querelas.

Qui verò hæc omittit cùm poſſit non omittere modo velit, merito à linguis referet, quæ non vult: quod ſiquis nõ omittit quidem: ſed tamen plùs æquo obtrectatores timẽdo, varijs vtitur modis, Bacchique artibus, inebriandi eos, quos excipit, is pluris facit timorem hominum, quàm Dei, nam tot committit peccata, quot inebriatis, culpam vltrò inducit, quæ eſt communis opinio Doctorum cum S. Thoma 2. 2. c. 150, ait 1. ad 2. & inprimis ipſius DEI Eccleſ: 13. clarè ipſum ita prohibentis: *Diligentes in vino noli prouocare, multos enim exterminauit vinum.* Omnes qui cupiunt ita tractari, vt inebriẽtur, ſunt diligentes in vino, nolunt enim negligere potandi occaſionem, tenentque mordicus oblatum. Hi ergò non ſunt prouocandi ad bibendùm, quin potius dextrè auocandi, ne exterminentur à vino, amiſſo quippe rationis vſu, tranſiliunt terminos rationis, multaq; mala patrant, quæ ſi præuidit fore, is qui inebriat, omnium eſt reus: nam vt benè dicunt Philoſophi, *Qui eſt cauſa cauſa*

rat, & dum obdormiſcerent ſæpius illos excitare, quærereque num ſitirent, ſomno verò oppreſſis ingerebat vinum euomentibuſque illud iratus, vxorem compellare dicereque. Ex alio concepiſti meretrix, neque enim filij mei ſunt, qui noctem integram nihil ſitientes dormiunt. Facilè inducor, vt credam, hos filios inſignes tandem, talis magiſterij factos diſcipulos vſu videlicet & conſuetudine diebus noctibuſque indurata. Non omittuntur plures alij modi eâdem potandi conſuetudinem promouentes, quos ego, quia negligi cupio, nolo hic afferre.

Ad alterum argumentum venio, quo humana
63. innititur ebrietas, & eſt timor linguarum atque obtrectationum, ſed hunc & quemcunque alium etiam maiorem Dominus Matthæi 10. tanquam vanum contemnendum cenſet: *Nolite*, inquit *timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere, ſed potius timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam.* Non prohibet hic Saluator timere, illa, quæ nos quoquomodo afficere poſſunt, inter quæ ſunt oblocutiones hominum, neque prohibet aſſumere ea, quibus occurratur linguis procacibus: ſed illud omnino vetat, ne ita timeamus honores, vt timorem eorum DEI honori præponamus: malimuſque offendere Maieſtatem diuinam quam hominum fauorem, quod nullo vnquam in caſu faciendum, etſi agatur de vita ipſa corporis, teſtante & jubente Chriſto: *Nolite timere eos qui occidunt corpus.* Itaq; is qui magis timet DEUM quàm homines, hoc præiacto velut fundamento, agat, curetque, vt non habeatur in tractando parcus & ſordidus, inuitet amicè quos cupit, optimè interim facturus, ſi memor conſilij Diuini Lucæ 14. Amicis admiſceat eos, in quibus ipſe Dominus vult conuiuari; etſi non ita opiparè, vt

amici. *Cum feceris*, (conſiliũ eſt Chriſti) *prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos neque fratres tuos, neque cognatos tuos, neque vicinos diuites, ne fortè & te ipſi reinuitent & fiat tibi retributio: ſed cum facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos, & beatus eris, quia non habent retribuere tibi, retribuent enim tibi in reſurrectionem iuſtorum.* Jnuitet ergò is, qui tractaturus eſt, amica ductus beneuolentia, non ſordido lucro & compenſatione, non inuitatum venientem, hoſpitio hilaris excipiat, non pellat triſtis domo, nam & hoc iubemur facere cum poſſumus, Hebræos 13. *Hoſpitalitatem nolite obliuiſci.* Proponat deinde quæ habet ſecutus Sanctum Paulum ad Philip: 4. *Scio & ſatiari & eſurire & abundare & penuriam pati,* quæ inquam habet proponat, ſi multa habet, copioſè; ſi pauca; modicè, ad ea tandẽ quæ propoſuit ſumenda excitet beneuolè: quæ vbi fecerit omnia, facile vitabit iuſtas de ſe tanquam inhumano & parco querelas.

Qui verò hæc omittit cùm poſſit non omittere modo velit, merito à linguis referet, quæ non vult: quod ſiquis nõ omittit quidem: ſed tamen plùs æquo obtrectatores timẽdo, varijs vtitur modis, Bacchique artibus, inebriandi eos, quos excipit, is pluris facit timorem hominum, quàm Dei, nam tot committit peccata, quot inebriatis, culpam vltrò inducit, quæ eſt communis opinio Doctorum cum S. Thoma 2. 2. q. 150, ait 1. ad 2. & inprimis ipſius DEI Eccleſ: 13. clarè ipſum ita prohibentis: *Diligentes in vino noli prouocare, multos enim exterminauit vinum.* Omnes qui cupiunt ita tractari, vt inebriẽtur, ſunt diligentes in vino, nolunt enim negligere potandi occaſionem, tenentque mordicus oblatum. Hi ergò non ſunt prouocandi ad bibendùm, quin potius dextrè auocandi, ne exterminentur à vino, amiſſo quippe rationis vſu, tranſiliunt terminos rationis, multaq; mala patrant, quæ ſi præuidit fore, is qui inebriat, omnium eſt reus: nam vt benè dicunt Philoſophi, *Qui eſt cauſa cau-* 64. 65.

ſæ eſt etiam cauſa cauſati, nimirum eorum, quæ in ebrietate tali fiunt. Pyrrhus Epirotarum Rex, vt in eius vita refertur, intellexit de ſe multa probra à conuiuis iuuenibus prolata, ſequenti die quæſiuit ex eis, num hæc dixiſſent, quorum vnus. *Hæc, inquit, ô Rex & multo plura his dixiſſemus, ſi plus vini habuiſſemus.* Non rarò euenit, vt ij qui timore obtrectationum alios inebriant potius ab ijſdem peius tractentur, non verbis tantū, ſed etiam vi & manu, quàm ſi fuiſſent minus lautè excepti, ſed ſobrij, neque poſtero die negant ſe feciſſe, quin fatentur plura facturos fuiſſe, ſi plus fuiſſent inebriati, omnem enim culpam referunt in ebrietatē. Juſto id DEI judicio fit nam vt eſt Sapien: 11. *Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur,* luat ergo pœnas ebrietatis, qui eſt author illius. Ad confirmanda ea quæ in laudem ſobrietatis, & inebrietatis odium hactenus dicta ſunt, affero vltimò verba ipſius DEI, quibus nihil melius excogitari poteſt & quæ clara cum ſint, non egent dilucidatione, ſed fide & opere, vt dicenti credatur & jubenti pareatur Eccleſi: 31. *Ignis probat ferrum durum, ſic vinum corda ſuperborum arguet in ebrietate potatum: Æqua vita hominibꝰ vinū in ſobrietate, ſi bibas illud moderatè eris ſobrius. Quæ vita eſt ei, qui minuitur vino? quid defraudat vitam? mors? vinum in iucunditatem creatum eſt non in ebrietatē ab initio. Exultatio animæ & cordis vinum moderatè potatum, ſanitas eſt animæ, & corporis ſobrius potus, vinum multum potatum irritationē & viam & ruinas multas facit. Amaritudo animæ vinum multum potatum. Ebrietatis animoſitas imprudentis offenſio minorans virtutem & faciens vulnera.*

Hæc de ſobrietate alijſque virtutibus quæ priore parte libri primi explicandæ erant.

SALVATORI DEO
ÆTERNA LAVS.

Digitized by Google

INDEX
ALPHABETICVS RERVM.

Prior numerus Caput indicat: Secundus notat diſtinctionem marginalem.

A

Abſtinentia quid ſit, & quam difficilis cap: 15. à n. 3. ad 25.
Actiones quædam externæ egent virtutibus cap: 11. n. 4.
Adam in prohibito fructu, duo debuit aduertere ibid: n. 3.
Aduerſis dominantibus quid potiſſimè diabolus efficere intendat cap: 14. n. 34.
Aduerſa dum ſtimulant, peccato non conſentire, magnũ eſt Dei beneficium cap: 14. n. 35. & 36.
Aduerſa quæcumque, quibuscunque, à iuſto Iudice pro meritis infliguntur cap: 14. n. 51 & 52.
Aduerſa interna magis affligunt, quam externa cap: 14. à n. 64. ad 72.
Aduerſis qui carent, ſunt incerti valde de æterna ſalute cap: 14. à n. 75 ad 78.
Adulterium quot modis patretur, & quam odibile DEO. cap 15. n. 83. & 84.
Amor eſt cauſa reliquarum affectionũ tum voluntatis, tum appetitus cap: 11. n. 21.
Amor bonus eſt cauſa virtutum, malus vitiorum ibid.

Amor

Digitized by Google

INDEX

Amor ſui inordinatus tam in Angelo, quam homine mouet ad Intemperantiam cap: 11. n. 25 22 27 28.

Animæ pulchritudo in quo ſita ſit cap: 1. n: 4.

Appetitus ſenſitiuus quotuplex ſit? & quas habeat actiones cap: 11. n. 2.

Quæ appetitiones egeant virtutibus ibid: n. 3.

Appetitus ſenſitiuus capax eſt in ſe virtutis, non item membra exequentia actiones externas ibid: n. 5.

Appetitus cur nequeat ita refrænari, vt non debeant ſentiri motus paſſionum cap: 11. n. 6.

Aſpectus incautus, quàm multa afferat mala cap: 15. n. 15.

Aſpectus num & qualia peccata ibid: à n. 9. ad 12.

Audire de rebus turpibus quando eſt peccatum cap. 15 n. 8.

B.

Boni patiuntur à malis, vtiliſſima & difficillima ſui emendatione cap: 24 à n. 13. ad 21.

Boni obleues defectus patiuntur non leuia cap: 14. n. 20. & 21.

Boni patiuntur aduerſa vt meliores fiant cap: 14. à n. 31. ad 55.

Boni in negotijs quibuſdam ſucceſſu carent, ob leues defectus ibid. n. 27 28. & 29.

Boni & perfecti, ea quæ patiuntur, pro merito patiuntur peccatorum cap: 14: n. 51 & 52.

Bonorum animæ amiſſio longè magis cruciat, quam exteriorum, & Fortunæ ibid: à n. 59. ad 72.

Bona immobilia, cur à nonnullis ſui ordinis domib⁹ admiſit S. IGNATIVS cap: 10. n. 26.

C.

Cantica quæ ſint, virgines tantum, in cœlo canunt cap: 15. à n. 63. ad 76.

Carnium vſum cur S. IGNATIVS ſuis permiſſerit cap; 9. n. 44.

Caſtitatis virtus eſt difficilis cap: 15: n. 1.

Caſti-

Caſtitas quid ſit ibid: n. 2.

Caſtitas in conuerſando eſt valde timida & circumſpecta ca. 15. à n. 16 ad 22.

Caſtitati quid ſuggerit magnum periculi timorem ibid à n. 19. ad 22.

Caſtitas magnis vtitur ad ſui ſecuritatem cautelis c. 15. à n. 16 ad 22.

Caſtitas conjugibus difficilior eſt, quam qui non ſunt conjuges jbid: á n. 33 ad 36.

Caſtitatis quæ, & quot ſint vitia jnimica? c. 15. à n 81 ad 95.

Caſtitatis quanta ſit excellentia c. 10 à n. 28 ad 32 Item Caſtus diuinitati certo modo aſſimilatur jbid: n. 32:

Caſtitatis adeptio difficillima jbid: n. 33 & 34.

Caſtitas dum acquiritur per quæ media difficultates ſuperandæ jbid n. 34 & 35.

Caſtitas licet habeat abſtinentiam à delectatione (v. g. vt virginitas) ſemper tamen fertur diligendo, & proſequendo bonũ jucundum c. 11. à n: 16 ad 18.

Cælibum & Conjugatorũ prudentia in quo ſit c. à n. 45 ad 55.

Cælibum continentia præſtantior eſt ſi fiat ex voto jbid: n. 46 & 47

Clerici qua prudentia prædìti eſſe debeant ad ſtatum neceſſaria c. 10 à n. 5. ad 22.

Clerici vocantur Regale Sacerdotium ob excellentiſſimas quaſdam præeminentias jbid: à n. 7 ad 9.

Clerici ex ſuo ſtatu præſertim in ordinibus Maioribus debent eſſe perfectiores Religioſis jbid: à n. 12. ad 16.

Clerici ad Seraphicam aſpirare debent perfectionem, aut etiam eandem ſuperare jbid: n 16.

Clerici ad ſacros ordines promoti maiori ornantur ſanctitate, quam Religioſi per primum in Religionem ingreſſum c. 10. n. 15 & 16

Clerici habebũt quædã ſigna ex quibus colligi poteſt, ſint necne conſecuti debitam ſibi perfectionem jbid: à n. 16 ad 22

Clerici ijſdẽ ſignis & notis præferuntur, à Chriſto omnib⁹ Chriſtianis. c. 10 n. 17. & 18.

Clericos ad ſummã perfectionem ordinatos à Chriſto duc-tũ incũt jbid: à n. 19 ad 22.

Cogitatio mali obiecti num, & quãdo eſt peccatũ c. 15. à n. 16 ad 22

Cognatio ſpiritualis in quo ſit c. 15. n. 62.

Comeſturus aut bibiturus quem finem ſibi præfigere debeat c. 16. n. 18. & 19.

Comeſturi ſeu corpus refecturi præmittere debent orationem jbid. n. 14. 15. & 16. Iijdem debent gratias agere jbid: n. 20 & 21. Cur tam oratio quam gratiarum actio plerumq; negligitur. Ibidem n. 23. colloquia pia inter veſcendum, c. 16. n. 24.

Complacentia ſimplex in malo, num & quale ſit peccatum? c. 15. à 4. ad 13.

Communem vitam degentium in Eccleſia Chriſti quo potiſſimè referenda eſt cura & intentio c. 10. n. 54. & 55.

Conſcientia mala, quantum torqueat animam c. 4. à n. 2. ad 7.

Conſcientiæ remorſus, quanta ſit pœna animæ c. 14. à n. 22. 24.

Conuiuari apud raptores, & auaros, num & quibus expedit? c. 16. n. 10. & 12.

Concupiſcentia etiam jn conceſſo matrjmonjo, quantum à recto aberret c. 15. n. 32.

Conjugũ [illegible] c. 10 : à 48 ad 52.

Conjugum mutuæ fidei inſigne exemplum jbid: n. 49:

Cõjuges quo pacto mutuũ amorẽ cõſtãter poſſint tenere c. 10: n. 50 & 51

conjugalis caſtitas num differat ſpecie à cõmuni caſtitate, & in quo conſiſtat c. 15 à n. 23. ad 36.

Conjuges difficilius libidini modum imponunt, quã qui ſunt extra cõjugium? c. 15. à n. 33. ad 36.

Chriſtus Dominus Agnus immaculatus, & Dux Virginum, primus inter virgines choros cœleſtes ducit, cantatque canticũ virgineum c. 15. à n. 77.

Continentia quo pacto ſit virtus. c. 11. à n. 5. ad 9. Cõtinẽtia virt⁹ habet adnexas vehemẽtes quas refrenat paſſiones c. 11. à n. 6. ad 9.

Contumelia quid ſit c. 14 n. 1. & 4. vſque ad 10.

In Conuiuijs quomodo ſe debeat gerere is qui excipit, vt debitè tractet inuitatos jbid: n. 63. 64. & 65

D.

Delectatio in quouis appetitu vnde nã & quo pacto cõſequatur c. 11. n. 9

Delectatio carnalis multiplex eſt, multisq́ expletur modis c. 15. n. 2.
Delectatio moroſa quid ſit jbid: n. 6. & 7.
Delectationũ corporalium abſentia aptat animam ad vnionem cum DEO, c. 16. à n. 40 ad 43.
DEVS permittit varia mala tũ in bonos, tum in malos, cur c. 14 n. 12. 13
Detractio quid ſit c. 14 n. 1. 4.
Diluuij vniuerſalis quæ fuit cauſa Deum mouens jbid: n. 31.
Diſpenſatio in jeiunio quos habeat abuſus c. 16. à n. 28 ad 32. In diſpẽſationib⁹ dãdis, quid timere debeãt Paſtores Eccleſiæ c. 16 n 32.
Domini quæ debeant famulis & ſubditis c. 8. à n. 6 ad 13.
Domini & Principes debent eſſe miſericordes in egenos jbid: à n. 21. ad 26. Item in Clericos à n. 27. ad 30 Item debent eſſe miſericordes in Religioſos à n. 32 ad 37.
Domini & Reges debent in ſubditos exercere juſtitiam, tam commutatiuam, quam diſtributiuam c. 8 à n. 38. ad 56.
Dominiorum omnium quænam radix, c. 16. n. 36.

E.

Ebrietas quanto bono priuat hominem c. 16. à n. 37 ad 39.
Ebrietas quæ damna animæ corporiq́ affert jbid: à n. 41 ad 48.
Ebrietas quæ mortalis, quæ venialis; jbid: n. 40.
Ex ebrietate ſequuntur peccata, jbid: à n. 41. ad 43.
Ebrietas etiã venialis mortaliũ peccatorũ fit interdũ cauſa c. 16 n. 43
Ebrietas ex vita hac tollit etiam vtiliſſimos mũdo jbid: à n. 44. ad 47
Ab ebrietate quomodo veteres abducebant jbid: à n. 48 ad 52.
Ebrietatem quæ videntur excuſare jbid: à n. 53 ad 65.
Ebrietas num ſit licita propter ſanitatem corporis c. 16. à n. 53 ad 57
Ebrietas propria, & aliena ad quam tractans alios inducit nũ ſit licita propter oſtendendam humanitatem jbid: à n. 58 ad 63.
De ebrietate Noe cur DEVS literis tradidit, jbid: à n. 38.
Eccleſia Chriſti protegenda eſt à regibus & Dominis c. 8. à n 16 ad 20
Eccleſia eſt ſub ſingulari patrocinio piorũ Principũ jbid: à n. 17 ad 20.
Eccleſia quam ſit à Principibus Chriſtianis protegẽda, conſtat exemplo gentilium jbid: n. 20.
Eccleſiæ protector ſingulariter à DEO diligitur jbid: num: 19.
Educatio prolis qualis eſſe debeat, c. 9. n 25 ad 56.

Digitized by Google

Educatio juuentutis quæ ſit bona jbid:
Educationem bonam promouet mirè exemplum jbid: à n. 34. ad 38.
Educādæ iuuentuti quæ doctrina ſit cōmendanda, jbid: à n. 39. ad 49.
Educandæ juuentutis commendantur tanquam boni Magiſtri Religioſi Societatis I E S V à Concilio Tridentino cap: 9. n. 42.
Educationem juuentutis Societas ſuſcepit cum difficultatibus ibid à n. 42. ad 48.
Eleemoſyna danda non expectando preces pauperum jbid: à n 23 ad 26.
Eleemoſynæ dandæ modus facilis jbid: à num: 10 ad 12.
Eleemoſynæ finis triplex ibid: à n. 13 ad 15.
Eleemoſyna danda eſt Clericis copioſior quam alijs jbid: n. 27. & 28.
Eleemoſynæ in Clericos neglectæ, quæ ſint excuſationes jbid: à n. 29 ad 31.
Eleemoſyna amplior danda eſt Religioſis quam alijs jbid: à n. 32. ad 37.
Eleemoſynæ dandæ medium, amor realis, non verbalis c. 9. à numero 6 ad 12.
Eleemoſyna exonerat hominem vt leuior ad cœlum pergat, jbid: n. 7.
Eleemoſynā dans eligit ſibi Chriſtum pro hærede, jbid: n. 8 & 9.
Eleemoſynæ impedimentum tenacitas, & luxus jbid: n 5.
Eutrapeliæ virtus, ſiue decernēs vſus ludorū, & colloquiorū jucundorum in quo ſit c. 12 à n. 11 ad 16.
Exēpla mala juniorib⁹ data grauiter offēdunt DEVM jbid: n. 37 & 38

F.

Fornicatio quid ſit & quam deteſtabilis, cap: 15 num: 82.

G.

Geſt⁹ externi immūditiam præſeferentes, num ſint peccatum? & quale? cap: 15. n. 8.
Gula quale ſit peccatū & quando eſt mortale c. 16. á n. 13 ad 16. & n. 33.

Digitized by Google

Gula quantum noceat corpori jbid: num: 33 & 34.

H.

Hæreſes vnde natæ in Religionibus Chriſtianis c. 3. à n. 8. ad 13.

Hæretici qua via ſe à jeiunio Eccleſiaſtico eximunt c. 16. à n. 4 ad 6. Contra eoſdem oſtenditur excuſatio eorum, qua ſe eximunt à jeiunando, nullius ponderis jbid. à n. 6 ad 8.

Hæretici non ſunt Sacerdotes, aut Epiſcopi, curnam c. 10. n. 17.

Honeſtatis nomine quid intelligitur c. 1 à n. 3 ad 7.

Honeſtas moralis acquiſita, & infuſa, qui differant c. 1. n. 8. & 9.

Honeſtas vt ſic, in quo ſit jbid:

Honeſtas moralis, acquiſita; neceſſaria eſt ita, vt viuenti vita c. 7. n. 2.

Honeſtas eadem quam vilis ſit apud multos jbid: à n. 2. ad 12.

Honeſtas eadem neceſſaria eſt ad vitam ſocialem c. 2. n. 3. per multos.

Honeſtatis eiuſdem defectus quanta cõmunitatibus afferat damna jbid: à n. 3 per multos.

Honeſtatis defectus quanta afferat damna animæ cap. 2 à nũ: 2 ad 7.

Humilitas in quo ſita eſt, & quot modis exerceri poſſit c. 13. à num: 1. ad 20.

Humilitas in tota ſua perfectione 4. attendit jbid: à n. 4. ad 9.

Humilis quo pacto ſe miſericrem omnibus agnoſcit jbid:

Humilis quo pacto in alijs ſemper aliquid plus agnoſcere debeat jbid: à n. 5 ad 9.

Humilitas Apoſtolica in quo ſita ſit c. 13. à n. 10. ad 18.

Humilitatem Apoſtolicam præcepit S. Ignatius ſui ordinis hominibꝰ ſectandam jbid: n. 13. & 14.

Humilitati Apoſtolicæ Chriſtus promittit inſigne præmjum jbjd: n. 11. & 12. & à n. 15 ad 18.

Humilitatis Apoſtolicæ quænam ſit cauſa jbid: n. 10. & 11.

Digitized by Google

Humilitate Apoſtolica ad maximam Chriſti ſimilitudinem euehimur ibid: à n. 12. ad 17.
Humilitatem Apoſtolicā Chriſtus in vltimis ſuis ſuadet ibid: n. 14.
Humilitati nihil præiudicat, agnoſcere ſe alijs ſuperiorem c. 13 n. 19.
Humilitati eidem nihil præjudicat, agnoſcere ſe parem ibid: n. 20.
Humilitas quantum ad ſalutem conferat c. 13. à n. 21 ad 42. Quæ cauſa eſt quod humilibus Chriſtus vitam promittit æternā ibid: à n. 22. ad 42.
Humilitas vndenam habeat quod ad altiſſimum attollat DEVM ibid n. 24. 25. & 26.
Humilitas celſiſſimam Dei mentem mirè deuincit ibid: à n. 27. ad 29.
Humilitas etiam in beſtijs reſpectiuè ad beſtias: & in hominibus ad homines magnam vim, habet ibid: n. 28. & 29.
Ad humilitatē Chriſt', ſuâ, & Matris ſuæ Societate inuitat c. 13. n. 30. & 31.
Humilitate Chriſtus & Mater eius altiſſimè ad diuinitatem aſcenderunt ibid: n. 30 & 31.
Humilibus Chriſtus ſui ſequacibus altiſſimum in cœlo thronum exoptat ibid: à n. 32. ad 34.
Humilitatis veræ ſignum manifeſtū ibid: à n 34. ad 39.
Humilis perfectè, quo conſenſionis gradu adhæret DEO ex doctrina S. Ignatij Fundatoris Societatis IESV c. 13. n. 38 & 39
Humilibus promiſſa eſt vita æterna à Chriſto ſola eius voluntate ib: n. 40. & 41.
Cur humilibus potius, & non magnis in mundo D. Paulus ſalutem polliceatur ibid: n. 41. & 42.

I.

Iejunium etſi habeat abſtinentiam, fertur tamen in ſuum obiectum tanquam in quid iucundum c. 11. n. 18.
Ieiuniū quo pacto confert ad vnionem cum DEO c. 15. n. 42.
Iejuniū Eccleſiaſticum quid ſit, & quos habeat fines c. 16 n. 26 & 27
Iejunium omittere quibus eſt noxium, & cum graui peccato, quantumuis habeant diſpenſationem. ibid: à n. 29 ad 32.
Inceſtus quantū DEO odibilis c. 15. n. 85.

Intemperantia quantum Creaturæ rationali tam Angelicæ quam humanæ obfuerit ad ſalutem jbid: à n. 19. ad 28.
Intemperantia eſt cauſa, cur Angeli, & tot homines ſint damnati, c. 11. à n. 21 ad 28.
Intemperantia primorum parentum, eſt cauſa damnationis plurimorum hominum jbid: 19 23.
Ioci turpes, quanta ſint peccata c. 12. n: 13. & 14.
Iudicij juſti ſunt peſtes Ignorantia, Fauor, Munera, Timor potentiorum, Ira judicis c. 8. à n. 40 ad 50.
Iudicij injuſti deinceps per Iuſtitiam correctj inſigne exemplum Imperatoris occjdentis, jb: a n. 43 ad 46.
Iudicibus quantum munera noceant, & num illa accipere poſſint jb: à n. 43. ad 46.
Iudices & Domini malefaciunt, quod timore quodã politico ſceleratis parcant c. 8. à n. 47 ad 48.
Iudicibus nocent affectus præſertim Ira jbid: n: 49 & 50.
Iuriũ, & Dominiorum omniũ quæ radix c. 16. n. 36.
Iuſtitia diſtributiua quo pacto ſit à Principibus ſeruanda c. 8. à n. 51 ad 56.
Iuſtitiam diſtributiuam quid impediat in Principibus jbid: à n 52 ad 55. Eadem juſtitia à DEO commendatur Principibus jbid: à n. 54 ad 56.
Iuſtitia diſtributiua aptè adhibita quantum profuerit Regibus jbid: n 52. & 53.
Iuſtitiam, & Iudicium quæ impediant c. 8. à n. 39. ad 50.
Iuuentus inſtituenda eſt docendaq́ ſalutis doctrinam, & labores quibus occupetur c. 9. à 32. ad 56.
Iuuentutis inſtitutio vnde nam habet magnas ſuas difficultates jbid n. 45. & 46.
Iuuentutis inſtitutio eſt efficaciſſimum ex paucis medium ad reformandas Reſpublicas, communitates jbid: à n. 47. ad 49.
In juuentute inſtituenda, quid leuet magnum aliâs laborem, c. 19. c. 48.

L

INDEX.

L.

Lætitia extraordinaria ſpiritualis, detur manſuetis, & patientibus c. 14. à n. 48. ad 55.
Lætitia eadem cur non omnib⁹ detur patientibus jbid: à n. 49. ad 55
Leges ab Eccleſia latæ obligant in Conſcientia c. 16. à n. 4. ad 8.
Libertas Chriſtiana in quo conſiſtat jbidem.
Loqui de rebus turpibus, quando eſt peccatum c. 15. n. 8.
Ludi turpes, quanta ſint peccata c. 12 n. 13 & 14.

M.

Magiſtri ſi dent mala exempla parum efficiunt in diſcipulis, quantũuis doceant egregiè c. 9. à n. 34 ad 37.
Magnates pauci ſaluabuntur, quanam de cauſa? c. 13 n. 41 & 42.
Maledicendi conſuetudo, num & quando eſt peccatum, & quare c. 14. à n. 6.
Mali, vſq; ad mortem patiuntur, non in futuro ſolũ ſæculo, ſed etiam in hoc jbid. à n 16 ad 29.
Mali vſq; ad mortem in pœnam peccatorum patiuntur intus, & foris grauia aduerſa jbid: à n. 17. ad 20. & à n. 25 ad 30.
Mali patiuntur aduerſa, vt fiant boni jbid: n. 12.
Manſuetudo in quo conſiſtat c. 14. à n. 1. ad 25. Et quæ illi oppoſita vitia jbid: n. 1. & 4 ad 10. Vbi de Contumelia, detractione, maledictis, & blaſphemia.
Manſuetudo quantum conferat ad ſalutem jbid: à n. 11. ad 78.
Manſuetudo magnos theſauros in alteram vitam defert c. 14. à n 38 ad 78.
Manſuetudo eſt inſtar formicæ æſtate laborantis jbid: à n. 38 ad 41
Mãſuetudo aſſociat ſibi innumeras virtutes jbid: à n. 42 ad 48.
Manſuetudo eſt cauſa ingentis lætitiæ animæ jbid: à n. 48 ad 55.
Manſuetudini culmẽ perfectionis, id eſt Amor Dei adſcribendus jbid à n. 55. ad 78.
Mãſuetudo æquat, & interdũ ſuperat Martyriũ jbid: à n. 57. ad 72.

Man-

Digitized by Google

Manſuetudo ducit ad ſummā perfectionis Chriſtianæ jbid: à .57 ad 78
Beata Virgo MARIA fuit veriſſimè Martyr, ob patientiam & tolerantiam malorū internorū jbid: .65.66.67.68.69.
B. V. MARIA grauiora paſſa eſt quam Chriſtus, in quodam ſenſu, c. 14. n. 68 & 69.
B. VIRGO num & quomodo fuit vera conjux S. Ioſeph c. 15 n. 24.25
B. VIRGO vouit ante Conceptionem Chriſti virginitatem jb: n 62.
Martyres ſunt & quidem inſignes coram DEO, qui propter virtutes acquirendas grauia in animo patiuntur c. 14 .n. 73. & 74.
Matrimonia expetebant Clerici in Polonia, qua de cauſa & occaſione c. 3. n. 13 & 14.
Matrimonium poſt Aduentum Chriſti imperfectius eſt matrimonio veterum c 15. n. 27
Matrimonium poſt aduentum Chriſti melius eſt non inire, vel eo inito à copula abſtinere jbid: Si matrimonia nunc poſt Chriſti aduentum non inirentur, quomodo occurrendum eſt damno generis humani, quod ſequeretur ex abſtinentia à copula jbid:
Matrimonij finis quis ſit? c 15. n. 23.
Matrimonio quadrupliciter conjuges vti poſſent jbid: à n. 24 ad 26.
Matrimonium eſt verum ſine copula carnali, & ſine animo illius, imò cum voto obligante ad non petendum, & reddendum debitum c. 15. n. 24 & 25.
Matrimonij vſus ſanctus debet eſſe, propterea quod ſit ſignum & ſymbolum Sanctiſſimæ rei, jbid: n. 27.
Matrimoniū quibus modis, & quam grauiter vitietur c. 15. à n. 28. ad 36.
Matrimoniū minus præſtans virginitate & viduali caſtitate c 15 n 62.
Membra corporis humani ſunt incapacia virtutis c. 11. n. 5.
Mercedis detentio quantum ſit ſcelus c. 8 n. 9. & 10.
Modeſtiæ virtus in quo ſita ſit c. 12. n. 10. & 11.
Ad Modeſtiam ſpectat Eutrapelia, ſeu vſus jucundorum in ludis & colloquijs moderatus jbid: à n 11. ad 16.
Muſica in cælo an ſit habitura, non ſolum diuerſam modulandi per-

fectionem, ſed etiam concordantias diuerſas & plures ibid: n. 60. & n. 70.

O.

Obedientiæ Religioſæ in quo ſit vis, & præſtantia c. 10. à n. 36. ad 44
Obedientiæ dignitas, & difficultas vndenam proueniat ibid: à n. 36. ad 41.
Obedientiæ materia latiſſimè in omnes alias morales extẽditur virtutes ibid: à n. 36 ad 41.
Obedientia teſtimonio Chriſti, proximum & vnicum eſt medium ad ſummam perfectionis Chriſtianæ ibid: n. 39.
Obedientia excellentiſſima, & prima eſt omnium virtutũ moralium, ſolis tribus Theologicis inferior ibid: n. 41.
Oeconomiæ quis finis & conſtitutio c. 9. n. 7. & n. 23.
Operum bonorum diuerſi ſunt gradus c. 15. n. 27.
Operibus naturæ cur DEVS adjunxit delectationem v. g. comeſtioni, potationi, & ſimilibus c. 16. n. 1.
Oratio adhibenda inter reficiendum corpus c. 16 à n. 18 ad 21. Et cur illa contemnitur ib: n. 23.
Oſcula num, & quando ſunt & qualia peccata c. 16. à n. 9. ad 12.
Otium jubemur vitare tum diuina lege, à condito ſtatim homine, tum antiquiſſima lege humana c. 9 à n. 50. ad 56.
Ex otio grauiſſima conſequuntur ſcelera ibid: à n. 51. ad 53.

P.

Parentes quid præſtare debeant proli c 9. à n. 29 ad 56.
Parẽtes ſi imprudẽter filijs, & filiabus amorẽ teſtentur inæqualiter, nocent jllis multum jb: n. 30 & 31.
Parentes ſi ſint mali, nequeunt bonos filjos, & filjas efficere, quantumuis ſeueri ſint in jllos jb: à n. 34. ad 37.
Parentibus quid debeant filij, filjæq́; c. 9. n. 25. An ob ſuſtentatjonem parentum debeant relinquere Religionem jbid: Quod ſit præmium eorũ, qui honorant Parentes c. eodem à n. 27.
Paſſiones non jta debent à virtute reprimi, vt omninò nõ ſentiãtur. c. 10.

Digitized by Google

10. n. 3 & 4.
Paſſionis alteratio, quando eſt virtus c. 10. n. 6.
Paſtorum in Eccleſia Chriſti munus, pietati & bono exemplo initi-tur, tanquam fundamento jb: à n. 2 ad 6.
Paſtores Eccleſiæ vndenam parum in ouibus boni efficiunt, niſi ſunt boni jb: In Paſtoribus Eccceſiæ præter pietatem, exigitur Spiritus Chriſti jb: à n. 8 ad 15.
Paſtoris Eccleſiæ inſigne exemplum D. Thomas Epiſco. Cantuariē-ſis, & S. Stanislaus Epiſco: Cracouien: jb: n. 9.
Paſtores ÿdēquomodo debeant hominibus conuiuere jb: n. 11 & 12.
Paſtoris quæ debeat eſſe ſolertia, & magnanimitas jb: à n. 12. ad 14.
Patrumfamilias munus, eſt gubernare familiam c. 9. n. 6. & 20. 21 22:
Patrumfamilias quod ſit munus jb: à n. 1. ad 56. Ijdem debent eſſe miſericordes in pauperes, à n. 4 ad 15.
Patresfamilias, & parentes quo pacto debent prolem gubernare jbid à n. 23 ad 56.
Patientia in quo ſit & ad quæ extendatur c. 14. à n. 1. ad 25 & quæ illi oppoſita vitia jb: n. 1.
Patientia quantum conferat ad ſalutem jb: à n. 11 ad 78.
Patiētia magnos theſauros in alteram vitā defert c. 14. à n. 38 & 78.
Patientia eſt inſtar formicæ æſtate laborantis jb: à n. 38 ad 41.
Patientia aſſociat ſibi multas virtutes jb: à n. 42 ad 48.
Patientia eſt cauſa ingentis lætitiæ animæ jb: à n. 48 ad 55.
Patieni tempus quodnam aſſignatur à DEO, vt is qui patitur liber ſit à patiendo tandem jb: à n. 53 ad 55.
Patientiæ adſcribendus eſt amor Dei, ſeu culmen perfectionis jbid: à n. 55. ad 78.
Patiētia æquat, interdum ſuperat Martyrium jb: à n. 57 ad 72.
Patientia ducit ad ſummā perfectionis Chriſtianæ jbid: à n. 57 ad 78
Patientia de malis internis, longe excellentior eſt, quam de malis ex-ternis jbid: à n. 59 ad 72.
Pauperior quiſq; beatior eſt cap: 10. n. 27.

Digitized by Google

Paupertatis Religioſæ quæ ſit perfectio c. 10. à n. 24 ad 27.
Paupertatis rigor, non eſt perfectio, ſed medium ad illam quibuſdam ſeruiens jb: à n. 25 ad 27.
Paupertatis tranſgreſſores grauiter à DEO puniuntur jbid: n. 27.
Pauperes quantum ſunt juuandi à Principib⁹ & Dominis c. 7. à n. 21 ad 37.
Peccatum mortale quibus bonis priuet hominem c. 14. n. 17. Non permitti quempiam in peccata conſentire, eſt maximũ DEI beneficium jb: n. 18. ad 31.
Perfectio virtutis moralis in quo ſita ſit c. 11. n 1.
Permiſſio in Pœnam peccatorum, magna eſt DEI pœna, ſed ea ſanctè à DEO infligitur c. 14 à n. 17 ad 19.
Politici perinde ſunt infeſti Eccleſiæ atq; hæretici c. 7. n. 16.
Poſſe licentioſè viuere, & peccare liberè, pœna eſt, quã qui nõ agnoſcit, cæcus eſt c 14. n. 17 & 18.
Pot⁹ duplici modo, benè, vel malè ſumitur c. 16. n. 34 & 35.
Præcipitatio in agendo, quo pacto obſit prudentiæ c. 6 à n. 17 ad 20.
Prodigalitatis vitandæ normam dat Salomon c. 9. n. 24.
Prudentia in homine eſt vt ſol in mundo jb: à n. 2 ad 5.
Prudentia à quo potiſſimum homini communicatur jbid:
Prudentia peculiare eſt donum Dei jbid: n. 7
Prudentiæ quod ſit munus jbid: n. 8. quæ ſint illius partes jbid: à n. 9 ad 16.
Prudentiam quæ impediant, & perturbent jbid: à n. 17 ad 20.
Prudentia carnis quid ſit, & quomodo obſit veræ prudentiæ jbid: n. 19 & 20.
Prudentia quæ ſit prælatorũ in Eccleſia Chriſti c. 7 à n. 1 ad 14.
Prudentia ciuiliter gubernantium in quo ſit c. 8 à n. 1 ad 17.
Prudentia ciuiliter gubernantis exigit magnitudinẽ virtutis jbid: à n. 1 ad 4.
Prudentia eadem exigit continentiam jbid: n. 5. Item exigit miſericordiam in ſeruos, & ancillas jb: à n. 9 ad 12. Exigit miſericordiam in defendenda ſubditarũ pudicitia à n. 6 ad 8. Exigit juſtitiam tam commutatiuam, quam diſtributiuam jbid: à n 38. ad 56.

Digitized by Google

Prudentia Oeconomica in quo conſiſtat c. 9. n. 1.
Prudentia in quo conſiſtat, cuique ſigillatim neceſſaria c. 10. n. 1. & 2. *Prudentiam quæ turbent* c. 16. n. 39.
Pudicitia num ſit diſtincta ſpecie virtus à caſtitate, & in quo ſit c. 15. à n 14 ad 22
Pulchritudo animæ quid ſit c. 1. n. 4 & 5.
Pupilli & aduerſæ fortunæ homines ſunt protegendi à Dominis, ſeuera lege DEI id præcipientis c. 7. n. 13 ad 15.

R.

Raptus quot modis fit & quæ fæditas eius c. 15. n. 86.
Rationem, & prudentiam quæ, & quot turbent c. 16. n 39
Rebellione carnis qui, & quomodo liberi eſſe poſſint c. 15. n. 20 ad 22.
Recreatio honeſta ad jucunditatẽ animi, adhibenda eſt, etiã à perfectis c. 12 à n 11 ad 16.
Recreatio quam ob cauſam à B. P. N. Ignatio non pro Externis tantum, ſed noſtris etiam ſtudentibus inducta eſt c. 9. n. 44.
Recreationẽ animi rigidè, fugientes, nõ carent vitio c. 12. n. 15 & 16
Recreatione honeſta animi, vſus eſt Chriſt° cũ Apoſtolis jbid: n, 16.
Reges quid debeant ſubditis c 8. à n. 1. ad 15.
Religioſorũ cõmunẽ vitã degẽtiũ cauſa, & occaſio c. 3. à n. 15 ad 17
Religionis virtus à natura hominem in DEVM primariò ordinat. c 5. à n 2 ad 7.
Religioſi vocantur à D. Auguſtino paſſeres, quam ob cauſam c. 8 n. 33
Religioſis conſtringuntur Fundationes, quã male? jbid: n 33 & 34.
Religioſi præſertim imperfectiores, quibusdam non videntur eſſe vtiles Reip: Chriſtianæ jbid: n: 35.
Religionem ingredi quando prohibentur filij filiæue c. 9. à n 26 ad 28.
Religioſi cuiuſq; in vtroq; ſexu quæ ſit prudentia c. 10. à n. 23 ad 44.
Religioſorum olim bona quam ampla c. 8. n. 36.
Religioſa vita præſtantior martyrio c. 10. n. 43. & 44.
Rixa grauiſſima parit peccata in corporis, & animæ damnum c. 14. à n. 7 ad 10.

S.

Sacrificiũ Miſſæ prodeſt viuis, & defũctis c. 5. n. 4. & 5.

Digitized by Google

Sacrificio Miſſæ cooperantur etiam Laici audientes c. 5. n. 6.
Sacrificium idem, ſingulis horis interdiu, & noctu in orbe Chriſtiano expeditur c. 5. n. 7. 8. & 9.
Sacrilegium in materia caſtitatis, quomodo admittitur & quantum deteſtabile c. 15. n. 90. & 91. & n. 92. & n. 93.
Sanctitatis maioris quæ ſit radix, & cauſa in vnoquoq; c. 10. n. 19. 20. 21.
Serui qui ſint propriè, c. 8. n. 11. & 12.
Serui quo pacto debeant obedire dominis c. 9. n. 16. 17. 18.
Sobrietas quid ſit c. 16. à n. 35. ad 40.
Sobrietatem tueri eſt actus Martyrij c. 16. n. 52.
Societas IESV ob inſtitutionem juuentutis à Concilio Tridentino laudata c. 9. n. 42 & 43.
Societas eandem ob cauſam non pauca ab obtrectatoribus paſſa c. 9 n. 43.
Societas poſt vltima vota in Religione emiſſa, obligat ſuos ad docendum pueros c. 9 n. 43.
Societas per Iuuenum inſtitutionem quanta adtulerit Chriſtianitati commoda inter alia Regna Regno Poloniæ jbid: à n. 46 ad 48.
Societatem ob inſtitutionem juuenum hæretici & politici perſequũtur jbid: n. 48.
Societas quo vſa eſt potiſſimum medio ad purgandas à vitijs, peccatiſq; plurimas communitates jbid: à n. 47 ad 49 incluſiuè.
Solicitudo quid ſit nimia, vel moderata c. 6. n. 12 & 13.
Studioſitatis virtus in quo ſita c. 12 n. 9.
Stuprum quid ſit & num diſtinctum vitium à fornicatione c. 15 n. 88 & 89.
Subditi, alicubi, qui habentur pro colonis, miſerè tractantur c. 8. n. 11 & 12.
Subditis duo debentur, juſtum judicium & merces jbid: n. 9 & 10.
Succeſſus felix negatur interdũ bonis ob leues culpas c. 14. à n. 27 ad 29
Superbia quo ſenſu eſt omnium peccatorum cauſa c. 13. n. 35 & 36.

T.

Tact⁹ & oſcula, quando ſunt & qualia peccata c. 15. à n. 9 ad 12. incluſiuè.

Digitized by Google

Telony quoddã genus, quomodo juſtũ ſit in Regno Poloniæ c. 16. n. 12.
Tẽperantiæ nomine quid intelligi debeat c. 11. n. 7 ad 17.
Tẽperantia potiſſimũ verſatur in moderanda delectatione, quæ percipitur ex cognitione tangibilis obiecti c. 11 n. 11.
Temperantia moderatur & guſtũ, & olfactum, ſed ſecũdariò jbid:
Temperantia non ſolum exiſtit in appetitu ſenſitiuo, ſed etiam in rationali, neq; ſolũ cooperando appetitui, ſed peculiariter volũtatem perficiendo jbid: à n. 12. ad 14
Tẽperantia diligendo, & proſequendo fertur in ſuã materiã jbi: n. 15
Tẽperãtia quãtũ homini & Angelo cõferat ad ſalutẽ jbid: à n. 19 ad 28
Temperantia quaſnam contineat virtutes jbid: à n. 1. ad 21.

V.

Vacationem à ſtudijs cur induxit Societas præſertim pro ſui ordinis Religioſis c. 9. n. 44.
Verecundia in quo ſita ſit, & nũ sẽper ſit virtus c. 12. à n. 2. ad 4.
Verecũdia in perfectis hominibus vndenam oritur c. 12. n. 4.
Veſtium vſus quis debeat eſſe moderatus jbid: à n. 17 ad 20.
Veſtium abuſus, poteſt eſſe cauſa grauium peccatorũ jbid: n. 19 & 20.
Veſtium ornatus adhibendus eſt interdum jbid: n. 18.
Victoria potentiſſimarũ paſſionum, quanti ſit apud DEVM & quo præmio digna jbid: n. 8. & 9.
Viduali caſtitas nõ eſt diſtincta ſpecie à cõmuni caſtitate omniũ caſtorum c. 15. n. 37. & 38.
Vidualis eadẽ caſtitas, ſuperat caſtitatẽ conjugalem c. 15. n. 39.
Viduarum teſtatur ſe DEVS ſingularem protectorem, quanam de cauſa jbid: à n. 43. ad 45. incluſiuè.
Vidui, viduæq; ſingulare à DEO quoddam referunt beneficium jb: à n. 46 ad 52.
Vidualis caſtitas quotuplex, & quæ præſtãtior jb: n. 37. (à n. 43 ad 45
Viduar: poti⁹, quã viduorũ De⁹ ſe tutorẽ teſtatur, quanã de cauſa c 15.
Virginitas quid ſit & cur non ſit diſtincta ſpecie à communi caſtitate omnium caſtorum, niſi voto firmetur jbid: à n. 53 ad 62.
In Virginitate quid ſit formale, ſeu eſſentiale, quid materiale, & accẽdentariũ c. 15. n. 54 & 55.
Virtutes morales quo pacto ad 4. cardinales reuocentur c. 6. n. 1.

Digitized by Google

Virginitatẽ cur SS. Patres peculiariter ab alijs caſtitatis **cõmunis a-**
ctibus diſtinguunt, c. 15. à n. 56 ad 58.

Virginitas ſecluſo voto Religionis, partim eſt actio cõmunis caſtitatis, partim res de ſe indifferens; & niſi habeat bonum finem, poteſt eſſe vitioſa c: 15. à n. 60 ad 62.

Virginitatis inſignes duæ prærogatiuæ in cœlo jbid: à n. 63 ad 80.

Virginitatis cultores cum Deipara mirè fæcundi jbid: n. 62.

Virgines quoſnam curſus in cœlo ſibi proprios exerceant c. 15. à n. 63 ad 67. & n. 75 & 76.

Vitium contra naturam, quid, quotuplex, & quam turpe? jbid: n. 44 & 95.

Vita hominis, vt hominis eſt honeſtas, & pulchritudo animæ c. 1. à n. 1 ad 5.

Vnio cum DEO præexigit abſentiam delectationum corporalium c. 15 à n. 40. ad 43.

Voluptas inter DEVM, & animam in quo ſit c. 1. n. 5.

Voluptas quænam eſt maior an in vſu carnis copulæ? an vero in caſtitate cap: 11. n. 17 & 18.

Votum, quæuis opera bona facit præſtantiora c. 10. à n. 45 ad 47.

LAVS DEO.

Digitized by Google

Errata contra ſenſum.

reliqua prudens lectio corriget.

In præfatione Verſu 30 *quam* lege *quâ*.

In Indice Capitum, Cap. 4. *Sentire cum*, adde *qui caret: c.* 8 *Sect.* 10. *neceſſaria eſt* adde *Principibus. C.* 14. *Sect: 5. Deo; lege Dei. Pag.* 22 *vers.* 6. *contemptu. l: contemptui. P.* 31 *vers:* 11 *Quonam l. quoniam. P.* 34 *v* 14 *ob illam*, adde *ſiue. p.* 37 *v.* 12 *veritute l. veritate. v.* 24 *apprimis l apprime. p.* 43 *v. vlt: quis l qui; qui l. quis. p.* 68 *v.* 2. *extendebat l. extenderet, oſculabatur l. oſcularetur p.* 70 *v.* 18 *gregi l. gregis p.* 75 *v.* 29 *præpoſitis l. ſepoſitis. p.* 76. *v* 7 *Rege* adde *male? p* 79 *v* 3 *daretur l. darentur. p* 94 *v.* 25 *affici l: effici p* 96 *v.* 19 *iudicium l. ieiunium. p.* 98 *v.* 4 *citabo l. cibabo, p.* 108. *v.* 16. *illi l. illis. p.* 113 *v.* 22 *minus l: minui. p.* 122 *v.* 9. *innumeris l. innumeris:* 27 *ſuccepiſſet. l. ſuſcepiſſet. p.* 129 *v.* 1 *mali l. male. p.* 135. *v.* 15 *Cap.* 7 *lege* 11. *p.* 136 *v.* 12 *Eccleſiaſtico l. Eccleſiaſte. p.* 140 *v.* 31 *conſtitutus l. conſtitutas. p.* 141 *v* 10 *omittit*, adde *non. p.* 148 *v* 19 *Diuiua l. Diuina. p.* 150 *v.* 2. *miſerenti l miſerentis p.* 154 *v.* 10 *danda l. reuocanda. p.* 155 *v.* 8 *benè* adde *non. p.* 163 *v.* 28 *quo l. pro. p.* 195 *v.* 6. *meuerit l neuerit.* 21. *patientie l. patiente. p.* 197 *v* 6. *Cupiditatis l. cupiditati. p.* 198 *v.* 14 *ordinis l. ordinum. p.* 211 *v.* 22 *voluit l noluit. p.* 214 *n.* 29 *Sua l. Tria p* 219 *v* 8 *ſeipſum l. ſeipſam p.* 222 *v.* 9 *In l.* 1. *p.* 224 *v.* 14 *vltroq; l. vtroſq;. p.* 226 *v* 10. *vt l eſt. p* 230 *v* 11 *hæc* adde *non v. vlt: in l. inter. p.* 232 *v* 31 *indignatem l. indignitatem p.* 238 *v.* 20 *efficiat l. deficiat* 26 *iam* adde *eſt. p.* 240 *v.* 10 *vt l: &. p.* 242 *v.* 1. *horrebat l horrebant p.* 243 *v.* 5. *oppoſi l. oppoſitam v.* 14 *fructionem l. fruitionem. p.* 247. *v.* 24 *gradu l. grato p.* 248 *v.* 27 *vltram l. vltra. p.* 252 *v* 14 *anto l. certe.* 15 *&* 16 *quod l. quot: p.* 254 *v:* 23. *homini l hominis. p.* 255 *v:* 17 *liberi l. liberè. p.* 256 *v:* 1. *luxuriat l luxurias.* 7 *virtutum l. virtutem:* 23. *ſingilæ l. ſingulæ:* 30. *continetur l. continentur. p.* 259 *v:* 6 *intemperanta l. intemperantiam. p.* 261 *v.* 8 *delectionis l. dilectionis;* 22 *temperatia lege temperantia p.* 267 *v.* 13. *præuenta l. præuenti. p.* 269 *v* 18 *reſurgat l. inſurgat: p.* 271 *v.* 20 *ſpecies l. ſpeciem. p* 273. *v.* 12 *contentis l: contenti.* 13. *adocent, l. edocent: p.* 274 *v.* 3 *obcæna l. obſcænæ. p.* 275 *v* 19 *vſuipata l. vſurpatam. p:* 276 *v.* 10 *grauiter l. grauitati. p.* 279 *v* 20 *prudentia l pudicitia*, adde *etſi hæc veriùs integrat caſtitatem:* 27 *ſodali* adde *caſtitate ac. p.* 283 *v* 6. *& l vt. p.* 284 *v penul. pepes, l. pedes. p.* 296 *v.* 9 *regalem l. legalem. p.* 298 *v* 17 *ſunt l. ſint. p.* 299 *v.* 25 *voluntas* adde *eſt. v.* 6 *admittendo l. amittendo. p.* 305 *v.* 11 *ipſimet, lege ipſemet. p.* 309 *v.* 28 *ſapientam l: ſapientiam. p.* 314 *v.* 24 *multa l: mutua: p.* 316. *v:* 3. *hæc l. his. p.* 317 *v.* 17. *ideo l. adeò. p.* 321 *v.* 20 *male l. malo p.* 322 *v.* 30 *commendationem l. emendationem p.* 325 *v. penul. Deo l. Dei. p.* 326 *n.* 17 *priuans l. priuant. p.* 329 *v.* 20 *vanitatib. l. venalibus. p.* 330 *v* 14 *ſuarum* adde *Sponſum,* 16 *malum l. malunt. p.* 334 *v.* 9 *vtraq, l vtroſq;* 10 *licet l. liquet p.* 335 *v* 26 *ſtabile l. ſtabilem p.* 336 *v.* 14 *certius l. certus. p* 338 *v. vlt: more l mirè. p* 340 *v.* 13 *illos l illo v.* 27 *ſuſtinetur l. ſuſtineatur. p.* 342 *v.* 24 *alius l altiusq;. p.* 345 *v.* 7 *efficit l reficit. p.* 346 *v.* 6. *patientia l. patienti,* 27 *careret* adde *ne. p.* 350 *v.* 22 *nam l non. p* 352 *v* 8 *fidicia l. fiducia. p.* 359 *v.* 5. *tantum l. multum. v. vlt: cetenis l. catenis p.* 360 *v.* 26 *item l. illas, pudorem l. pudoris p.* 362 *v.* 2. *iuſtitia, l. triſtitia p.* 365. *v.* 13 *dolens*

lens

Digitized by Google

tens l. dolor. p. 373 v. 9. eſt in l &in p. 374 v. 14 hominis l: homini p. 375 v. 11 mare ad. à mare. ſolitario l. ſolitariè p. 377 v. 1 motum, l. malum 19 viuis ad. de ſublatus p. 379 v. 16 nimium l. nimirum, 25 curando l. curandi. p. 381 v. 12 ſcriptus l. ſcripto, 18 ille l illi p 382 v. 9. tibi l: ſibi p 383 v. 4 ſed adde tamen. p 388 v. vlt: motus l. modus p. 392 v 17 quam l. quod. p 393 v. 25 & l. vt p. 394 v. 24 exuberet l. exuberat p. 398 v. 10 meriti l. meritis p. 399 v. 26 quid l ſit, 28 appetui l. appetitui p 401 v. 3. nontenent l. retinent p. 402. v. 12 caſtitati l caſtitatis. p. 403 v 4. omnes l. procul. 16 omnis l animi p 404 v. 13. vt lege ſit. p. 405 v. vlt. quæ adde ſua p. 409 v. 6 vnus l. vna p. 410 v. 3 Hebræos l: Hebræo. adtulerit l. attulit. p. 412 v. 11 ſexus l clarius. p. 414 v: 32 eſt l. erit. p. 416 v. 20 formali l: formale, & omitte. p. 418 v. 20 habeant l. habeat. p. 419 v. 3 præ l: pia. p 421 v. 1 carendijs l. carendi p. 422 v. vlt: violentes l: violentos. p 423 v: 24 poſt id l: quod; poſt & omitte quod. p: 425 v. 4 vano l: vana. p. 430 v: 25 excogitari l. exprimi. p: 432 v: 26 via l: vita. p: 434 v: 19 poſſit l: poſcit, 27 paritas l: puritas. p: 435 v 28 elegantur l: eleganter. p: 438 v. 21 poteſt adde vt, 27 & adde à. p: 440 v: 13 Deo adde fulminantur. p: 441 v: 1. ſororum l: ſororem, v: penul. ijſdem l: ipſum. p: 442 v: 10 contrarium adde tenet. p: 450 v. 15 his l: hoc p 454 v 9 abſtinentes l. abſtinere. p. 456 v: 7 quis l: quid, v: 14 quæ omitte p: 458 v. penul: ad l: Ad. p: 462 v: 6 ait l: ad. p: 464 v. 14 à benedictione, l: ad benedictionem. p: 465 v: 1 daretur l: darentur, 32 ſin l: ſiue. p: 469 v. 4 ieiunij adde praxis. p. 474 v 7 moderatum l. moderatur, 8 his l: hic. p: 476 v. 27 facere l: faceret. p: 477 v: 14 prædat l: prædas. p: 478 n 42 præuidenter l: præuidendo. p: 481 v. 18 caſtigantur l: caſtigarentur. p: 487 v: 14 iam adde ſit. p. 489 v: 8 damnificatis l: damnificantis, 14 humilitatis, l: humanitatis. n. 60 Intulerat l: inualuerat, ante tres verſus quamue l. quam vt. p: 490 v: 25 muta l: mutua p: 492 v: 23 honores l: homines. p: 493 v. 23 inebriatis l: in ebrietatis. In Indice rerum Cantica quæ ſunt, adde quæ. Clerici habebunt, l. habent. Hæreſes in religionibus l. in Regionibus. Lætitia extraordinaria detur l. datur. Patieni l. Patienti,

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

8-1

Digitized by Google